TRACTATUS DE SUMMI PONTIFICIS AUCTORITATE, IN QUATUOR...

Jean Le Jau, Pietro Cardinale Sforza Pallavicini

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
36 K
21

Digitized by Google

TRACTATVS

DE SVMMI PONTIFICIS AVCTORITATE,

In quatuor distinctus libros.

1. De Monarchia.
2. De Infallibilitate.
3. De disciplina Ecclesiastica.
4. De Concilijs.

Aduersus Apologeticas Simonis Vigorij Obiectiones.

Auctore I. LE IAV, Ecclesiæ Ebroicensis Pœnitentiario & Canonico, ac R.mi Domini D. Episcopi Ebroic. Vicario generali.

Accedit & ad calcem Appendix aduersus Gallicum eiusdem Simonis librum nuper editum, eodem auctore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

EBROICIS,
Ex Typis ANTONII LE MARIE.

1622.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

LONGÈ PLVS NOCET FALSVS CATHOLICVS, QVÀM SI VERVS APPAREret HÆRETICVS. *S. Bernardus ſerm. 65. ſuper Cantica.*

Digitized by Google

BEATISSIMO, SANCTISS.
PATRI GREGORIO XV.
PONTIFICI MAXIMO.

QVOD olim Hebręorum filijs contigiſſe legimus (BEATISSIME PATER) qui media parte loquebantur Iudaicè, media parte Azoticè, iuxta linguam populi & populi, cum quibus verſabantur; Illud ipſum nonnullis Galliæ ſcriptoribus nuper accidit, quorum puram, maternamque Romanæ Eccleſiæ linguam ſermo peregrinus ita corrupit, vt ex eorum libris

Digitized by Google

LONGÈ PLVS NOCET FALSVS CATHOLICVS, QVÀM SI VERVS APPARERET HÆRETICVS. *S. Bernardus serm. 65. super Cantica.*

Digitized by Google

BEATISSIMO, SANCTISS.
PATRI GREGORIO XV.
PONTIFICI MAXIMO.

QVOD olim Hebręorum filijs contigiſſe legimus (BEATISSIME PATER) qui media parte loquebantur Iudaicè, media parte Azoticè, iuxta linguam populi & populi, cum quibus verſabantur; Illud ipſum nonnullis Galliæ ſcriptoribus nuper accidit, quorum puram, maternamque Romanæ Eccleſiæ linguam ſermo peregrinus ita corrupit, vt ex eorum libris

non ſatis intelligas, noſtri-ne ſint, an aduerſariorum. Videntur enim iuraſſe in Domino & iuraſſe in Melchon, vel potius ita claudicare in duas partes, vt neutri velint adhærere. Vnde non malè quis eos Religionis veſpertiliones dixerit, nec inter fidelium volucres, nec inter mures hæreticorum. Sed profectò quàm dubia eſt eorum fides, tam certa eſt ruina. Immundum eſt enim coram Domino omne quod reptat & pennulas habet, quales ſunt iſti, qui cùm ſcribendo pennas Catholicorum vſurpent, humi tamen repunt, vnde ſubtiliùs falſæ doctrinæ venena diffundant. Quod quidem tum maximè moliuntur, cùm ſummi

Pontificis auctoritatem, hoc est, Ecclesiæ arcem, non aperto quidem marte, sed insidijs & cuniculis labefactare ac subuertere nituntur. Quorũ doctrinæ tam prauæ, ne in perniciem animarum, gentisque nostræ infamiam latiùs serperet, nos statim occurrendum & pro viribus obsistendum putauimus; Idq; in hoc opusculo, quod sacratissimi tui nominis splendore illustrari, atque communiri humillimè petimus. Neque enim videtur alia de causa tua Sanctitas in hęc periculosissima tempora, Deo ita prouidente, reseruata, quàm vt illius singulari præsidio tanti Principatus splendor, ac maiestas magis, ac magis eluceſcat, & munia-

tur, vt non facilè sit diiudicare vtri plus afferat ornamenti, an tua dignitas virtuti, an virtus ipsa dignitati, cùm in vtraque summa sint omnia. Accipe igitur (SANCTISSIME PATER) ab infimo filio munusculum tot titulis Beatitudini tuæ debitum, quam diu, multùmque florentem Deus ipse cùm toti orbi Christiano, tum præsertim Galliæ nostræ, quæ semper eidem chariſſima fuit, saluam seruet & incolumem.

IOANNES LE IAV.

PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amés & feaux Conseillers les Gents tenants nos Cours de Parlemens à Paris, Roüen, Thoulouse, Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble, & Bretagne, Preuosts desdits lieux, Baillifs, Senechaux de Lyon, Poictou, Berry, Champaigne, Iuges d'Anjou & du Mayne, & à tous nos autres Iusticiers & Officiers ou leurs Lieutenans, Salut; Nostre cher & bien amé Maistre Iean le Iau Penitentier & Chanoine en l'Eglise Cathedrale d'Eureux & Vicaire general du Sieur Eueſque dudit lieu, nous a fait dire & remonstrer que meu d'vn zele de la gloire de Dieu & de la Religion Catholique Apostolique & Romaine, il a composé vn liure intitulé, *Tractatus de summi Pontificis auctoritate aduersus apologeticas Simonis Vigorij obiectiones*, lequel il desireroit faire imprimer & mettre en lumiere, requerant sur ce nos lettres à ce necessaires. A ces causes, apres auoir fait veoir en nostre Conseil l'approbation des Docteurs, nous auons permis & octroyé, permettons & octroyons par ces presentes audit le Iau, de faire imprimer par tel Imprimeur que bon luy semblera ledit liure, faisans deffenses à toutes personnes de le faire imprimer, vendre, ou distribuer par tout nostre Royaume, iusques au terme de six ans, à compter du iour & datte de l'impression dudit liure, à peine de confiscation des Exemplaires, & de mil liures d'amende, applicables moictié à nous, & l'autre audit le Iau, ou à celuy qui aura droict de luy, à la charge d'en mettre deux Exemplaires en nostre Bibliotheque au Conuent des Cordeliers à Paris. Si vous mandons & commettons chacun endroict soy, que de nostre presente grace & Priuilege, vous faictes & souffrez ioüir & vser ledit le Iau, plainement & paisiblement, & à ce faire, souffrir & obeir, contraignez tous ceux qui pour ce seront à contraindre, par toutes voyes & manieres deües & raisonnables, nonobstant oppositions, ou appellations quelconques, & sans preiudice d'icelles: Voulons que le vidimus des presentes mis au commencement, ou à la fin de chacun Exemplaire, serue de signification à tous qu'il appartiendra,

car tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le vingtieſme iour de Feurier l'an de grace 1622. & de noſtre regne le douzieſme, & ſeellé du grand Seau à ſimple queüe de cire jaune.

Par le Roy en ſon Conſeil

LE TENNEVR.

Ledit le Iau Penitentier a permis à Antoine le Marié Imprimeur & Libraire demeurant à Eureux, d'imprimer vendre & diſtribuer le meſme liure, & ce pour le meſme temps & terme de ſix ans.

APPROBATIO.

NOs ſacræ Theologiæ in facultate Pariſienſi Doctores teſtamur librum iſtum, *De ſummi Pontificis auctoritate aduerſus Apologeticas Simonis Vigorij obiectiones*, à doctiſſimo viro IOANNE LE IAV ſummo labore ac diligentia elaboratũ, à nobis autem accuratiſſimè perlectum & examinatum, nihil continere quod ſit alienum à fide; Sed multa, tum ad illam propugnandam, tum ad conuellenda ſchiſmata complecti. Itaque nos illum & luce & laude digniſſimum iudicamus. Ebroicis Kal. Iunij 1621.

Fr. SALOMON LIEVIN.

N. HEBERT *Ebroicenſis Eccleſiaſtes.*

Fr. C. ROVSSEL.

PRÆFATIO.

FILII matris meæ pugnauerunt contra me. Cuius ista vox? Numquid vt sponsæ, ita & sponsi? Sequitur enim. *Posuerunt me custodem in vinea.* Ecclesia namque vt Christi vinea est eius manu plantata, sanguine irrigata, protectione fulcita, sic vineæ custos summus ipse Pontifex, qui *Super speculam Domini stat iugiter per diem, & super custodiam suam totis noctibus.* Idem & sponsus. *Qui enim habet sponsam, sponsus est:* Visibilis quidem illa, ergo & iste. Sed proh dolor! ingemit dicens. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Matris meæ, inquit. Licèt enim quatenus in Ecclesia plebis, & in Cathedra seniorum exaltatus, visibilis sponsæ, visibilis sponsus habeatur, vt Christianus tamen Chri-

Cantic. 1. Ibidem. Isai. 21. Ioan. 3. Cantic. 1.

Sūmus Pontifex Ecclesiæ sponsus appellatur in Concil. 1. Lugdunēſ. vt habetur cap. vbi periculum ē. de elect. in 6. S. Anton. 3. part. summæ tit. 22. §. 3.

sti primarij sponsi, Ecclesiæque sponsæ regeneratione lætatur. Quare ergo tristis est anima eius, & quare conturbatur?

S. Bernard. serm. 20. super Cantic.

Illud expressiùs plangit, inquit sanctus Bernardus, *quod & sentit differentiùs. Homo pacis meæ, inquit, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.* Multa ab exteris, hęreticis, inquam, ac schismaticis licèt patiatur, silet tamen. Filios autem matris suæ solos & solùm incusat, quasi soli sint in culpa.

Psalm. 37.

Amici mei, & proximi mei, clamat alibi, *aduersum me appropinquauerunt, & steterunt.*

Psalm. 54.

Numquid amici, qui cum illo dulces capiebant cibos in eadem Domini domo ambulantes, eiusdem Domini mensæ participes effecti? Numquid & proximi, quibus toties ille, spiritualia eorum alligando & curando vulnera per Indulgentias, aliaque remedia, misericordiam fecerit? Quidni amici & proximi, quibus etiam temporalia bona, ex Christi patrimonio in prędecessores de tota Ecclesia bene meritos, abundè effusa, accessêre? Quare ergo appropinquauerunt illi, & steterunt, non quidem vt audirent, sed vt cõtradicerent? Quid Simoni cum Simone? Illo, inquam, Simone, cuius nomen immutatum solidæ petræ exæquatum fortitudini, illum de-

monstrat? Licebit-ne dicere, *Simon dormis?* Mar. 14. Et reuera dormitanti, imò & dormienti similis deprehenderis, cùm tamen vigilare Simonem Christus voluerit, ne intraret in tentationem. Illam autem credo tentationē, quam paulò ante futuram prædixerat. *Omnes vos*, inquit, *scandalum patiemini in me in ista nocte.* Matth. 26. Tentatio ergo in scandalo crucis, tentatio in persecutione Christi. Quòd si tentatio in persecutione Christi, numquid & in persecutione Ecclesiæ? *Si me persecuti fuerint*, inquit Christus, *& vos persequentur.* Ioann. 15. Et paulò post. *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Ioann. 16. Scandalū ergo in vtraque persecutione. Quòd si scandalum, vtique & tentatio. Audi Apostolum monentem pariter & arguentem. *Qui se existimat stare, videat ne cadat, Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* 1. Cor. 10. Vtinam ô Simon, verè Simon esses, audiens, inquam, seu obediens: Id namque significat Hebraicū nomen. Si enim audires vtique & intelligeres, ac nouissima, quæ in maximum Ecclesię detrimentum ex Apologetico tuo vergunt, prouideres. Nec difficor, quin & voci Domini, teipsum ab errore viæ tuæ auocantis, aurem libenter ac- Deuter. 32.

commodares, tui nominis æquiuoco vero Simoni, in eius digniſſimo ſucceſſore debitum honorem exhibendo. Fuit equidem illi in ipſo ſurgentis Eccleſiæ principio cum vno Simone non modica concertatio. Vis ergo vt & in nouiſſimo eiuſdem ſeneſcentis tempore cum altero Simone alia iterum renouetur? Scis qualem exitum prior illa ſortita ſit, dum magnus ille Simon, idemque Petrus. *Velut victum Simonem alterum de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo elidens eius crura confregit, adeò vt ille qui paulò ante volare tentauerat, ſubitò ambulare non poſſet.* Quid volare præſumis, tu qui ſuper terram reptare conſueuiſti? Vt quid in alienã meſſem falcem tuam immittis? *Labia Sacerdotis*, inquit Propheta; *cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore eius.* Ergo Sacerdotis, non autem vxorati, liberis & ſæcularibus negotijs operam dantis, proprium munus eſt ſecretiora & ſacratiora religionis myſteria tractare. Saül quod Samuelis erat imprudenter exequens, regno priuatur. Ozias thuribulum impudenter aſſumens, lepra percutitur. *Quod medicorũ eſt promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola ſcripturarum ars*, conqueritur D. Hieronymus, *quam ſibi omnes*

S. Maximus homil. 5. de SS. Apoſtol. Petro & Paulo.

Malach. 2.

1. Reg. 13.

2. Paralip. 26.

S. Hieron. in epiſt. ad Paulinum.

vendicant, hanc garrula anus, hanc (nota) *delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Noli* Rom. 11.
ergo, inquit Apostolus, *altum sapere, sed time.* Imminet ruina si te altiora quæsieris. Vide ne Simonis volatum ambiens Simonis casum experiare: Prædictum namque à quodam eximiæ sanctitatis & eruditionis viro, qui ante sexcentos annos vixit, comperio.

Altipetax Simonem sequeris Simon astra petentem
Te quoque tartareus simul absorbebit hiatus.

Petrus Damian. in fi. disceptat. inter Reg. Aduocat. & defens. Roma. Eccles. tom. 3. Concil. part. 2. edit. Binij pag. 1145.

At fortè hæreticum illum, magumque fuisse, cum sis Catholicus, respondebis: Nec renuo. Memineris, tamen, qualiscũque tandem sis, tibi semper cum eodem Simone negotium esse. Si enim cum Gregorio, vtique & cum Simone Petro. Diligit enim Simon Petrus Gregorium, quem constituit Dominus super familiam suam, nec ab eodẽ morte separatur, cum viuam eius imaginem, in eadem Cathedra constitutus, nobis repræsentet. Licèt enim corpore præcesserit ad tempus, numquam tamen separatur spiritu, imò in persona Gregorij decimi quinti *Ille intelligitur, ille honoratur, in quo & omnium pastorum sollicitudo*

S. Leo serm. 2. in anniuersar. assumpt. suæ.

cum commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, nec eius dignitas, nec auctoritas in eiusdem sanctissimo deficit hærede. Quòd si contra Petrum, vtique & contra Christum decertatio tua est. Quidquid enim in hac sancta sede potest esse auctoritatis & gratiæ, ab eo quasi quodam lucidissimo fonte emanauit. Ipsemet enim est, qui in præclaræ confessionis Petri præmium, dixit. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues regni cælorũ, & quodcumque ligaueris, aut solueris super terram, erit ligatum, vel solutum & in cælo.* Et hoc ante passionem. Instante autem passione. *Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Post passionem verò pro intimi amoris indicio trinæ professioni triplicem exhibendo mercedem, ter imperando, dixit. *Pasce oues meas, pasce agnos meos, pasce ouiculas meas.* Quid clariùs? Cui-nam, quæso, Apostolorum talia intimata reperies? Vel vt sanctus Bernardus ait. *Cui non Episcoporum dico, sed & Apostolorum sic absolutè & indiscretè commissæ sunt oues?* Si æquales Apostoli fuerunt, vt sæpiùs inculcas, ad quid eiusmodi verba Petro, non autem alijs dicta?

S. Hilar. can. 16. in Matth.

Matth. 16.

Luc. 22.

Ioann. 21.

S. Bernard. lib. 2. de Cõsiderat.

cta? *At*, inquis, *antiquis Patribus adhæreamus asserentibus Apostolorum æqualem fuisse potestatem ex ijsdem locis, quibus aduersarius amplissimam potestatem Romano Pontifici adscribit, scilicet quod sit Petra, quod datæ ei claues, quod ei dictum sit pasce oues meas, quodcumque ligaueris & solueris, & similia, quæ omnium Patrum consensu æquè omnibus Apostolis dicta sunt, & cõueniunt, excepto Primatu.* Optima propositio. Consulamus Patres, illis adhæreamus, nefas erit fidem Catholicam profitentibus ab eorum doctrina, vel tantillum discedere, quos certo scimus spiritu Dei afflatos, quid per hæc verba nos Christus tenere vellet, non ignorasse. Adde quod & *Nullas nobiscum*, inquit S. Augustinus, *vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt, neque nobis, neque vobis irati sunt, neque nos, neque vos miserati sunt. Quod inuenerũt in Ecclesia, retinuerunt, quod didicerunt, docuerunt, quod à parentibus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.* Quod ad primum ergo verbum spectat. *Tu es Petrus*, &c. ante passionem proprio Christi Domini ore prolatum. Ex Græcis. Origenes. *Vide*, inquit, *magno illi fundamento Ecclesiæ, & petræ solidissimæ super quam Christus fundauit Ecclesiam quid dicitur à Domino, modicæ fidei quare dubitasti?* S. Athanasius. *Tu es Pe-*

Simon pag. 12. Apolog.

S. Augustin. lib 2. contra Iulian. sub finem.

Origen. Homil. 5. in Exod.

S. Athanas. in epist. ad Felic.

trus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi, sunt confirmatæ. S. Basilius. *Petrus propter fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in se suscepit.* S. Gregorius Nazianzenus. *Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habet.* S. Epiphanius. *Dominus constituit Petrum primum Apostolorũ petram firmam, super quam Ecclesia Dei ædificata est.* S. Chrysostomus. *Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* S. Cyrillus Alexandrinus. *Nec Simon iam fore nomen illi, sed Petrus prædicit; vocabulo ipso commodè significans quod in eo tanquam in petra, lapideque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Theophylactus. *Post me Petra es, & Ecclesiæ fundamentum.* Ex Latinis verò Tertullianus. *Latuit*, inquit, *aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ petram dictum.* S. Cyprianus. *Petrum Dominus primum elegit, & super eum ædificauit Ecclesiam suam.* S. Hilarius. *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferorũ leges dissolueret! O beatus cæli ianitor.* S. Ambrosius de eodem Petro loquens. *Petra dicitur*, inquit, *eò quòd primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque contineat.* S. Hieronymus. *Super hanc Petram ædifica-*

S. Basil. l. b. 2. contra Eunomium.
S. Greg. Nazian. in Orat. de moder. ferm. in disput.
S. Epiph. in Ancorato.
S. Chrysost. Homil. 55. in Matth.
S. Cyrill. Alex. lib. 2 c. 2. in Ioann.
Theophil. in Luc. cap. 22.
Tertull. l. b. de Præscript.
S. Cypr. in epist. ad Quirin.
S. Hilar. can. 16. in Matth.
S. Ambros. serm. 47.
S. Hieron. in epist. ad Damas.

tam Ecclesiam scio. S. Augustinus. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa Petri sede. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et alibi. *Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit, & ideò dignè fundamentum hoc Ecclesia colit, supra quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit.* Et hæc quidem de Petra. Quòd si de clauibus ibidem memoratis agatur, duo mihi sanctorum Hilarij & Augustini testimonia sufficient, vt in ore duorum stet istud verbum, & probè intelligatur omnia Petro dicta. *O beatus cæli ianitor,* inquit S. Hilarius, *cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cælo, vt quæ in terris aut ligata sint, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in cælo.* S. autem Augustinus. *Solus,* inquit, *Petrus inter Apostolos meruit audire. Amen dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabò Ecclesiam meam. Dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clauis ad regnum.* Vnde iam contra Simonem concludere ex S. Augustino liceat, clauem vere esse & fuisse Petrum.

S. August. in Psalm. contra part. Donat.

Idē serm. 15. de Sanctis.

S. Hilar. can. 16. in Matth.

S. August. serm. 28. de Sanctis.

Quoad secundum autem verbum, quod os Domini instante passione locutum est. *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua,* &c. Ex Luc. 22.

S. Chrysost. Homil. 83. in Matth.

Græcis sanctus Chrysostomus. *Non dixit*, inquit, *non negabis, sed vt non deficiat fides tua: Cura enim ipsius & fauore factum est, ne omnino Petri fides euaneſceret.* Theophylactus.

Theophyl. in cap. 22. Lucę.

Quàmuis breui tempore concutiendus ſis, habes recondita ſemina fidei, etiamſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis, radix tamen viuet & non deficiet fides tua. Et paulò pòſt. *Quia te habeo principem diſcipulorum, poſtquam negato me fleueris, confirma ceteros. Hoc enim te decet qui poſt me Petra es, & Eccleſiæ fundamentum.* Sanctus Cyrillus apud S. Thomam.

S. Thomas in catena in cap. 22. Lucę.

Secundùm hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæretica circumuentione manet immaculata. Hinc & Theodoretus.

Theodor. in epiſt. ad Renat.

Tenet ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit. Ex Latinis S. Auguſtinus.

S. Auguſtin. lib. de corrept. & gratia cap. 8.

Quando rogauit, inquit, vt non deficeret fides eius, rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, & perſeuerantiſſimam voluntatem. S. Bernardus.

S. Bernard. epiſt. 190. ad Innocent.

Oportet ad veſtrum Apoſtolatum referri pericula quæque & ſcandala regni Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Cui enim alteri ſedi dictum eſt, Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua?

Quod denique ad tertium illud attinet bonum verbum, quod Christus Dominus post passionem iam resuscitatus in Petri fauorẽ eructauit. *Pasce oues meas*, &c. Ex Græcis S. Epiphanius, de Petro loquens. *Hic est*, inquit, *qui audiuit pasce oues meas, cui concreditum est ouile.* S. Chrysostomus. *Alijs omissis Petrum duntaxat affatur, fratrum ei curam committit.* Et paulò pòst. *Nam cùm magna Dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset.* Theophylactus. *Finito prandio præfecturam ouium totius mundi Petro commendabat, non autem alij, sed huic tradidit.* Et alibi. *Tu Petre conuersus bonum exemplum pœnitentiæ omnibus eris, qui cùm Apostolus fueris & negaueris, iterùm receperis primatum, ouium & præfecturam orbis.* Ex Latinis. Sanctus Ambrosius hæc eadem verba exponens. *Christus*, inquit, *in cælum eleuandus Petrum amoris sui vicarium relinquebat.* Et infrà. *Quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Sanctus Augustinus. *Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua seruiat quam timori, & plus vocis elicuisse videatur mors imminens quàm vita præsens, & sit amoris officium pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem.* Sanctus Maximus. *Hic est Petrus, cui Christus ascensu-*

Ioann. 21.

S. Epiph. in Ancorato.

S. Chrysost. in Ioan. c. 21.

Theophyl. in cap. 21. Ioan.

Idem in Luc. cap. 22.

S. Ambros. in cap. vlt. Lucæ.

S. Augustin. tract. 123. in Ioann.

S. Maxim. serm. de SS. Apost. Petro & Paulo.

rus ad patrem, pascendas ouiculas suas, ouesque commendat. S. Bernardus. *Cui non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & indiscretè commissæ sunt oues. Si me amas Petre pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Ex his ergo perspicuum fit quam syncerè Simon noster antiquorum Patrũ fidẽ obtestetur, cùm omnes vna voce, vnanimi consensu profiteantur verba Christi vt soli Petro dicta, sic & illi conuenire. Adducat licèt primis ipsis Apologetici sui paginis pauca quædã SS. Cypriani, Ambrosij & Augustini necnon & Primasij loca iam ab ipsis Catholicæ religionis perduellibus obiecta & ab Illustrissimo Cardinali Bellarmino alijsq; quàm doctissimè elucidata: quin & Antonij de Rosellis & Tostati recentiorum vtique auctorum, quid iam proderunt ad labefactãdam tantorum Patrum fidem, qui ita clarè de persona Petri Christi verba intelligenda pronunciarunt? *Manet ergo* si beati Leonis mihi liceat verbis vti, *dispositio veritatis & beatus Petrus in accepta petræ fortitudine perseuerãs suscepta Ecclesiæ gubernacula non reliquit.*

S. Bernard. lib. 2. de Cõsiderat.

Bellarm. lib. 1. de Romani Pontif. cap. 10. 11. & seqq.

S. Leo serm. 2. in anniuers. assumpt. suæ.

Oblatrent hæretici, strideant dentibus schismatici, tabescãt falsi Catholici. *Manet* inquam, *Petri priuilegium, Vbicumque ex ipsius fertur æquitate iudiciũ, nec nimia est seueritas, vel remissio, Vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod beatus Petrus aut ligauerit, aut soluerit.* Ideo proclamare liceat cum Patribus in Concilijs generalibus congregatis, *Hæc est Patrum fides, hæc Apostolorum fides, ita omnes credimus, Anathema sit qui ita non credit.* Plura alia in eundem pene finem vsque ad paginam, quæ ordine 34. est, Apologeticus effutit, quæ non mei est instituti retellere, vel quia iam à Catholicis doctoribus, qui contra nostri sęculi Nouatores eadem sibi vendicantes, refutata noscuntur, vel quia doctissimum Vallam respiciunt, quem sacræ Theologiæ doctorem, Regium Professorem, eumdemque Sacerdotem, ac verbi Dei eximium Prædicatorem, de tota Republica Christiana bene meritum, tot conuitijs ab homine Catholico appetitũ sæpius demiratus sum. *Est qui quærat & iudicet.* Fortis nihilominus est & potens robore, quia & de doctrina agitur, & pro veritate stat ad retorquẽda si libeat, in ipsum Simonem, quæ ab eo proiecta sunt tela. Absit itaque mihi vt aliud quidpiam tam

Idem serm. 3. in anniuersar. assumpt. suæ.

Ioann. 8.

pro eius, quàm pro iuris ab eo ſuſcepti, per-
doctéque iam ab eo elucidati, defenſione
aggrediar. *Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.*
Licèt enim fortis armatus ſibi videatur
Simon atrium ſuum cuſtodiens, fortior
tamen illo, mihi credite, ſi quando erudi-
tiſſimus ſuperueniat Valla vincet eum &
vniuerſa eius arma auferet, in quibus con-
fidebat, ac ſpolia eius diſtribuet. Ideò eas
tantùm, non quæ ius, ſed quæ factum dun-
taxat reſpiciunt, quæſtiones, vbi quàm ſæ-
piſſimè Simon impingit, agitandas, ex-
plicandaſque ſuſcipio.

DE MO-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE MONARCHIA. LIBER I.

AGEDVM ergo machinas inſpiciamus, quibus ſupremam in totũ Eccleſię corpus ſummi Pontificis poteſtatem, & Monarchiam oppugnare ſatagit Simon: Monarchiam, inquam, quę inter tres, ſimplicis gubernationis formas, teſtibus Hebræis, Græcis, Latinis, Theologis, Philoſophis, Oratoribus, Hiſtoricis, Poëtis, omnium optima eſt & præſtantiſſima. Ita enim *ad diuinum Imperium*, inquit S. Cyprianus, *etiam de terris mutuamur exemplum*, quandoquidem & ab vno mundi effectore totus hic mundus regitur. Ita ad cæleſtis illius ciuitatis ſimilitudinẽ, (in qua præter ſummũ Deum, vnus Angelus eſt, qui cæteris præſit, *qui &*, S. Gregorio teſte, *tanta ſpecie pulchrior redditur, quanta & ſuppoſita Angelorum multitudine decoratur*,) hæc Ieruſalem noua de cælo deſcendens, quæ eſt Eccleſia militans, inſtituitur atque conformatur. Ita figuræ veteri Chriſtiana veritas optimè reſpondet: *In Eccle-*

S. Cypr. in Tract. de Idolo. vanitat.

S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 24.

Apoc. 21.

Centuriat. Cent. 1. li. 1. c. 7. col. 257.

sia namque Judaici populi, aiunt Centuriatores, *vnus tantùm erat lege diuina Sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eiq; parere.* Ita denique Catholica Christi Ecclesia *castrorum*, verè est, *acies ordinata*; Nullibi enim castra bene ordinata reperies, vbi non sit vnus qui imperet & *in quamuis grandi exercitu*, inquit S. Hieronymus, *vnus signum expectatur.* Vnde ergo Simon ab exercitu nostro Imperatorē, à grege pastorem, ab ædificio fundamentum, Solem ab astris, caput à corpore remouere vult & abstrahere? Numquid certè vt per hoc exercitus fundatur, grex dissipetur, ædificium ruat, sydera obscurentur, corpus exanime iaceat? Sed quibus armis istud agrediatur, iam perscrutemur.

Cantic. 5.

S. Hieron. in Epist. ad Rusticum Monach.

Obiectio.

Simon p. 34. *Patres Africani Apiarium præsbyterum, qui à suo Episcopo ad Pontificem confugerat in communionem nusquam recipere voluerunt, etiamsi à Papa communioni restitutus fuisset.*

Responsio.

Imò Apiarium in communionem receptum fuisse ex Epistola Africanorum patrum ad Bonifacium Papam Zozimi successorē scripta, apparet. *Apiarius præsbyter*, inquiunt, (*de cuius ordinatione & excommunicatione fuerat exortum non solum Siccensi, verum etiam toti Africanæ Ecclesiæ non leue scandalum*) *de omnibus erratis suis veniam petēs, communioni* (nota) *est restitutus.* Quin & eiectus licèt aliquantò post ob mores deprauatos, dataque sæpiùs atque iterata scandala ex Ecclesia Siccensi fuerit, præsbyterij tamen honor, commēdatitijs etiam Africanorum

Patres Africani in Epist. ad Bonifac. apud Baronii ad annū 419. numer. 71.

Episcoporum literis suffultus, penes eum semper remãsit, ita enim eadem habet Epistola. *Quia verò,* addunt illi, *paci & quieti Ecclesiæ non tantum ad præsens, sed etiam in posterum prospiciendum fuit, quoniam talia multa præcesserãt, vt vel similia vel etiam grauiora deinceps præcaueri oporteret, placuit nobis vt de Siccensi Ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, præsbyter remoueretur Apiarius, & accepto Epistolio, vbicumque alibi vellet & posset præsbyterij munere fungeretur, quod eidẽ ipsi, per literas proprias, postulanti, sine dificultate concessimus.* Ibidem.

OBIECTIO.

A Synodis Prouincialibus quibus præsidebant Metropolitani; aut à Patriarchalibus non erat prouocatio, nisi forte ad Synodum Vniuersalem. Pag. 34.

RESPONSIO.

Quàm falsa sit hæc assertio, ex Canone 7. Concilij Sardicensis patet, vbi hæc legũtur. *Si Episcopus accusatus fuerit, & omnes iudicauerint congregati Episcopi regionis illius, & de gradu suo eiecerint eum, si appellauerit, qui deiectus videtur, & confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & voluerit se audiri, si iustum putauerit vt renouetur examen, scribere Episcopis dignetur Romanus Episcopus, &c.* Concil. Sardicens. Can. 7. Hinc cum in Concilio 1. Lugdunensi Salonius Ebredunensis & Sagittarius Vapigensis Episcopi, Episcopatus honore priuati essent, *ad regem Gunthranum,* inquit Gregorius Turonensis, *accedunt, deplorantes se iniustè remotos, sibique tradi licentiam vt ad Papam vrbis Romanæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus eorum datis Epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne exponunt se nullius rationis existenti-* S. Gregor. Turonens. Hist. Francor. lib. 5. cap. 20.

bus causis dimotos. Ille verò Epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis illis priùs verbis multis, impleuit. Nec mirum quando & alterius Concilij Lugdunensis decreto cùm Ludouico Pio Imperium abrogatũ fuisset. *Hoc decretum,* inquit Paulus Æmilius, *mox à Gregorio Pontifice maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis mulctata. Ex sede enim sua deiectus est.* Omitto exempla S. Iulij, qui S. Athanasium, S. Innocentij, qui S. Chrysostomum, S. Leonis, qui Theodoretum, Nicolai 1. qui S. Ignatium, S. Martini, qui Maximum iniquis pseudosynodorum iudicijs oppressos, & ad Romanum tribunal confugientes, appellantesque & audierunt, & iudicarunt.

Paulus Æmil. Hist. Franc. l. 3. in Ludouico Pio.

OBIECTIO.

pag. 36. *Cùm Iulius in Concilio particulari Romano Athanasium suæ sedi restituisset.*

RESPONSIO.

Qui temporum illorum historias contexerunt, de illo Concilio particulari Romano prorsus reticẽt, sed ab ipso Iulio non solum S. Athanasium, sed & Paulum Patriarcham Constantinopolitanum, Asclepam Gazæ, Marcellum Ancyræ minoris Galatiæ, & Lucium Adrianopolis Episcopos ab Eusebianis Arij fautoribus eiectos, suis sedibus restitutos, quin & ipsum Iulium in causa eiusdem S. Athanasij etiam iudicem ab ijsdem Eusebianis reclamatum, ingenuè profitentur. Socrates. *Eusebius,* inquit, *cum quæ volebat perfeciſſet, legationem ad Iulium Romanum Episcopum misit obsecrans, vt ipse iu-*

Socrat. lib. 2. Hist. Eccles. cap. 11.

dex in causa Athanasij esset & ad se litem hanc vocaret.
Et cap. 15. *Eodem tẽpore Paulus Constantinopolitanus, & Asclepas Gazæ, & Marcellus Ancyræ minoris Galatiæ, & Lucius Adrianopolitanus, alius alia de causa accusati, & Ecclesijs suis electi in vrbe regia Roma inueniũtur. Iulio igitur Romano Episcopo causas quisq; suas exponunt. Ille verò* (nota) *propter Romanæ Ecclesiæ prærogatiuam communiuit eos minacibus litteris, & ad Orientem scripsit, ac suum cuique locum restituit, illosq; reprehendit qui eos per temeritatem deposuerant. Illi itaque relicta Roma ac litteris Episcopi Julij confisi, ad Ecclesias suas venerunt & Epistolas ad quos scriptæ erant, miserunt.* Sozomenus. *Eusebius cùm ista molestè ferret Julio scripsit vt ipse iudex eorum esset quæ in causa Athanasij Tyro decreta essent.* Et cap. seq. *Cognitis verò Romanorum Episcopus singulorum querelis, quoniam* (nota) *propter sedis dignitatem omnium ad se cura pertinebat, vnicuique suam Ecclesiam restituit & Orientalibus Episcopis scripsit reprehẽdens eos quod haud rectè contra hosce viros iudicassent & Ecclesias à decretis Concilij Nicæni deficiendo turbassent, ac simul paucos aliquot ex omnibus ad certum diem adesse iussit, qui probarent quod iustè aduersus eos pronunciasset: Deniq; in posterum non laturum se minatus est, nisi à studio nouandi desisteret. Qui verò cum Athanasio & Paulo erant suam quique sedem receperunt, & Epistolas Julij per Orientem miserunt.* Quin & Theodoretus, Eusebianos, cum S. Athanasio, Romam à Iulio citatos asserit. *Athanasius*, inquit, *præuisis insidijs cessit ipse, seque cõtulit in Italiam: nam Romano Episcopo (pascebat autem eam Ecclesiam Iulius) perscripserant Eusebiani compositas calumnias in Athanasium. Julius igitur Ecclesiasticam secutus legem, & ipsos Romæ adesse iussit, &*

Ibid. cap. 15.

Sozomen. lib. 3. hist. cap. 7.

Ibid. cap. 8.

Theodoret. lib. 2. hist. cap. 4.

diem dixit diuo Athanasio, qui cupidè, simulátque citatus fuit, accurrit. Fabulæ autem auctores Romam venire neglexerunt, quod facilè mendacia sua deprehensum iri cernerent.

OBIECTIO.

pag. 36. *Orientales Episcopi coacto Concilio grauiter Iulium reprehendunt, ostenduntque si qui eorum arbitrio Ecclesia eiecti essent, rem ab eo non debere decerni.*

RESPONSIO.

Nihil mirum si Episcopi illi, qui Arianas partes tuebantur, à Iulio, vt ex supradictis constat, grauiter reprehẽsi, imo & Romam citati Iulium ipsum reprehendunt, licèt *confiterentur in illis literis*, inquit Sozomenus, *Romanam Ecclesiam liberalem ferri erga quoscunq; tamquam phrontisteriõ Apostolorum & pietatis metropolim ab initio factam.* Non tamen ausi sunt restitutiones huiusmodi ab eodem Iulio factas, nullas vel irritas decernere; sed tantùm quod absque eorum consensu factæ fuissent, cõquesti sunt.

Sozomen. lib. 3. hist. cap. 8.

OBIECTIO.

pag. 36. *Itaut & ipse Athanasius Concilium ab Imperatoribus postulare coactus sit.*

RESPONSIO.

Ex præcedentibus satis liquet S. Athanasium sedi suæ solius Iulij Romani Pontificis decreto restitutum fuisse. Verumtamen cum nec propterea ab eius persecutione Arriani desisterent, Constantiumque insuper Imperatorem in eũ concitassent, fuga iterùm saluti suæ consulere coactus, Romam secundò ad Iulium Pontificem, eius inuitatu, pro-

fectus est. De quibus omnibus ita Socrates. *Hoc tempore,* inquit, *& alia est ab Arrianis accusatio contra Athanasium consuta.* Et post pauca. *Athanasius verò cùm Imperatoris minas præsensisset fugam arripuit, seseq; occuluit. Cùm autem tunc temporis & Iulius Romanus Episcopus quæ ab Arrianis contra Athanasium facta fuerant cognouisset, & litteras Eusebij defuncti accepisset, cognito vbi Athanasius deliteſceret eum ad se vocat. Adferuntur autem etiam eodem tempore & litteræ illæ quas qui Antiochiæ primùm congregati fuerant, miserunt. Scripserunt illi etiam Episcopi Ægyptij falsa esse dicentes, quæ contra Athanasium dicebãtur. Litterarum istarum inter se contrariarum exemplaria Iulius Episcopus Antiochiæ congregatis misit, scripsitq; primùm quam molesta fuerit ipsorum Epistola: deinde quod præter Canones egerunt, quod ipsum ad Synodum non vocassent, cum Canon Ecclesiasticus vetet Ecclesias conuocari sine sententia Romani Episcopi.* Sozomenus verò. *Dum autem,* inquit, *Iulius cognouisset Athanasio tutum non esse vt in Ægypto maneret, accersiuit eum ad se. Illis autem qui Antiochiæ conuenerant (nam tunc temporis illorum Epistolam acceperat) scripsit, reprehẽdens eos quod clanculum Nicæni Concilij dogmata alterassent, & præter Ecclesiæ leges ipsum ad Synodũ non vocasset, cùm Sacerdotali lege (nota) cõstitutum sit pro irritis haberi debere quæ præter sententiam Romani Episcopi geruntur.* Hæc ergo ab Arrianis vndique excitata dissidia, Concilij apud Sardicam congregãdi causa fuere. Iulius namque Romanus Põtifex Arrianorum pertinaciam animaduertens, qui Constantio Orientis Imperatore freti à S. Athanasij persecutione non cessabant, Episcopos ad Constantem Occidentis Imperato-

Socrat. lib. 2. hist. cap. 17.

Sozomen. lib. 3. hist. cap. 10.

rem mittit, qui ipsum interpellarent, vt de Synodo cogenda ad Constantium fratrem scriberet: nimirum vt ipsi Arriani, qui toties Romã vocati adesse renuerant, cõgregata tandem Synodo, imperatoris saltem authoritate coacti, ad dicendam causam præstò essent. Qua de re ita S. ipse Athanasius in sua ad Constantium Apologia, vbi de Constante loquens: *Post triennium*, inquit, *quarto denique anno litteris iussit vt ad se venirem. Agebat autem per id tempus Constans Mediolani. Sciscitabar quid causæ esset cur euocaret, quippe ignarus omnium, testis est mihi Deus. Cõperiebam autem quosdam Episcopos qui eo profecti erant, precibus ab eo postulasse, vt tuæ pietati de Synodo facienda scriberet. Cùm igitur venissem Mediolanum, verbis indicat se ad te de Concilio celebrando litteras misisse.* Eadem fere Sozomenus. *Posteaquam*, inquit, *scriptis istis ad Orientes Episcopos de Athanasio & Paulo missis nihil effecit Julius, causam eorum Constanti Imperatori exposuit.* Quod verò ipsius potissimùm Iulij Pontificis litteris ad Synodum fuerint conuocati Episcopi, dieique certa ad conueniendum Sardicam ab eodem præscripta, aperte satis Socrates innuit: dum quorumdã Episcoporum, qui ad Concilium non venerant excusationes prætexens: alios, ait, corporis infirmitate detentos, alios vero causatos angustiam temporis à Iulio præstituti. *Causabantur*, inquit, *alij corporis infirmitatem, alij constituti termini angustiam, cuius culpam in Iulium Romanum Episcopum reijciebant, cum tamen vnius anni ac sex mensium spatium post promulgatam Synodum fuisset elapsum, quo qui cùm Athanasio Romæ erant, commorantes Synodum expectauerant.* Vnde certò colligitur & Episcopos à

S. Athanas. in Apolog. ad Constantium.

Sozomen. lib. 3. hist. cap. 10.

Socrat. lib. 2. hist. cap. 20.

Iulio vocatos,& certum diem ad conueniendum Sardicam ab eodem definitum, alioquin nihil causæ Episcopi habuissent, vnde culpam angustiæ termini in Iulium reijcerent.

OBIECTIO.

Quod tamen inter generalia non censetur ob secessionem Episcoporum Orientalium. pag. 36.

RESPONSIO.

Numquid Iurisconsultus ignorare potest Iurisconsultorum principem Iustinianum Sardicensem Synodum aliquando Oecumenicam appellasse? de aduersarijs namque Synodi Nicænæ ille agens eos anathematizatos asserit, ἐν τῇ ἐν σαρδικῇ οἰκουμενικῇ συνόδῳ. *Et in Sardicensi Oecumenica Synodo.* Quin & Socrates eandem etiam Synodum Oecumenicã appellat, χειροτονεται αὐθις οἰκουμενικὴ συνοδος ὡς ἐπὶ τῷ σαρδικὴν. Insuper cum S. Athanasius de eodem Sardicensi Concilio agens Concilium magnum appellauerit (quo nomine non nisi Concilia Oecumenica à patribus olim appellari consueuerant) illaque omnia quæ in Cõcilijs,vt generalia sint, desiderãtur, in hoc ipso obseruata fuerint: Quid causæ est cur inter generalia numerari non debeat? Ex totius enim ferme Christiani orbis Prouincijs Episcopi ad illud à Romano Pontifice sunt euocati, interfueruntque etiam Apostolicæ sedis Legati Archidamus atque Philoxenus, vt S. Athanasius auctor est, ab eodem Iulio missi. Nec secessio,seu fuga potius paucorum quorumdam Arrianorum Episcoporũ (qui teste Theodoreto: *Adhuc in itinere versus Sar-*

Iustinian. in edict. de Fid. apud Leunclau. lib. 8.

Socrat. lib. 2. hist. cap. 20.

S. Athanas. Apolog. 2. in princip.

Theod. lib. 2. hist. cap. 8.

dicam constituti, pacti fuerant se nequaquam vel ad iuditium accessuros, nec intraturos in sanctum ac celebre Concilium; sed simul vt eò peruenissent & se accedendo ad eam vrbem, suo perfunctos officio ostendissent, quamprimùm inde fugituros) obstare potest, quin Oecumenicum ac generale Concilium, Sardicense istud censeri debeat.

OBIECTIO.

pag. 36. *Leo ad restitutionem Flauiani Episcopi Constantinopolitani cum lacrymis à Theodosio iuniore Concilium postulauit.* Paulò ante dixerat de Episcopis suis sedibus restitutis loquens, *non ita tamen vt potestate absoluta Papæ suis sedibus restituerentur, sed vt communi voto Concilij indictionem ab Imperatoribus impetrarent.*

RESPONSIO.

Pluribus ecce rationibus factum est olim, vt ad celebranda Concilia, non Pontificia tantùm, sed & Imperatoria auctoritas desiderata fuerit. Cùm enim Imperatores primis illis temporibus maximam orbis terrarum partem dominio suo subiectam haberent, nec ideo possent nisi in aliquâ Imperiali vrbe Concilia celebrari, expediebat certè vt ante Concilij celebrationem Imperatoris consensus requireretur. Adde quod Concilia illa vt plurimum ad condemnandas hæreses, quibus multi tum Patriarchæ tum Episcopi seu palam seu occultè fauebant, congregabantur: vnde equidem necessaria erat Imperatoris auctoritas, nec enim iuri parere, nec præsto esse, nec in Concilio causam dicere, quantò minus propriè condemna-

tioni subscribere nisi sæculari potestate coacti, vnquam voluissent, vt ex epistola Honorij ad Arcadium patet. Vbi de cogendo Concilio loquens *hoc*, inquit, *ante omnia de tua mansuetudine postulo vt Theophilum Alexandrinum inuitum adesse præcipias. Per hunc enim mala omnia emersisse memorantur, & vt aduenientium Episcoporum Synodus in nullo impedita congruam temporibus nostris afferat pacem.* Pro tertia denique ratione liceat dicere Imperatoris literas indictioni a summo pontifice factæ accessorias tantùm fuisse, vt ex Synodali Epistola patrum Constantinopoli congregatorum ad Damasum pontificem scripta colligere est, vbi de indicta Romæ Synodo ab eodem Damaso verba facientes apud Theodoretum. *Postquam*, inquiunt, *vos Romanam cogentes Dei voluntate Synodum pro fraterna charitate tanquam vestra membra, nos quoque litteris summa pietate Imperatoris accersistis.* Accersebãtur ergo à summo pontifice Episcopi ad Synodum, sed per litteras Imperatoris. Illud verò est quod præstitit, non tam S. Leo, quàm Synodus Romæ congregata Theodosio iuniori, cùm de vniuersali Concilio intra Italiam congregando ageretur, ad comprimẽdos impij Dioscori impetus, *ad cuius arbitrium*, vt ex litteris Gallæ Placidiæ ad eundem Theodosiũ scriptis apparet, *fides perturbata erat, & qui in Synodo Ephesinæ ciuitatis odium & cõtentiones exercuerat, militum præsentia & metu impetens Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum Flauianum eo quod libellum ad Apostolicam sedem misisset.* Quod si sanctissimus Leo Pontifex etiam illud Concilium (vt exprobras) cum lachrymis postulauit, ne mireris, cum Catho-

Apud Baron. anno 405. numer. 14. ex Palladio.

Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9.

Apud Baron. anno 449. numer. 160.

lica fides in Oriente magno discrimine laboraret ipso Theodosio fauorem impijs Dioscoro & Eutycheti impendente. Hinc enim & Valentiniano Imperatori tunc Romæ agenti, vt ad eundem Theodosium in hæc verba rescriberet, auctor fuit.

Baron. eodē anno numer. 457.

Cum aduenissem, inquit, *in vrbem Romam a Romano Episcopo & ab alijs cum eo ex diuersis prouincijs congregatis rogatus sum scribere vestræ mansuetudini de fide, quæ cum sit conseruatrix omnium animarum dicitur perturbata, quam a nostris maioribus traditam debemus cum omni competente deuotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis beato Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat & facultatem* (nota) *de fide ac sacerdotibus iudicare. Hac enim gratia secundum solemnitatem Conciliorum & Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellauit propter contentionem, quæ orta est ex fide. Huic itaque postulanti & coniuranti salutem nostram communem annuere non negaui, quatenus ad tuam mansuetudinem meam petitionem ingererem, vt prædictus sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis sacerdotibus, intra Italiam omni præiudicio summoto, à principio omnem causam quæ versatur sollicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quã fides & ratio vestræ dignitatis expostulat.* Quibus verbis patet non tam ad restituendum sedi Cõstantinopolitanæ Flauianum, quam vt fidei Catholicæ fluctuanti succurreretur, desideratum fuisse à S. Leone generale Concilium.

OBIECTIO.

Quod Concilium post obitum Theodosij à Martiano coactum est Calcedone. pag. 36.

RESPONSIO.

Quid si Martianus ipse dissentiat, Concilijque congregationem, etiam quoad loci, in quo celebrandum erat, electionem, S. Leoni ascribat, quid Simon nostet respondebit? hæc sunt ergo ipsissima Martiani verba in Epistola ad eundem S. Leonem scripta, cum de Concilio cogendo ageretur. *Supereſt*, inquit, *vt si placuerit tuæ beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, nostris vtique desideryjs vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni quæ sunt vtilia decernet. Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum proprijs litteris tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum nostræ litteræ dirigantur, vt ad quendam destinatum locum* (nota) *vbi vobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire.* Nec tantùm Martianus, sed & Pulcheria Augusta eidē etiam S. Leoni idem prorsus rescripsit. *Propterea*, inquit, *tua reuerentia quocumque modo prospexerit significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi Thraciæ atque Illyrici (sicut etiam nostro domino pijssimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire.* Hinc S. ipse Leo ad Synodum Calcedone cogendam litteras dirigens. *Amplectendum est*, inquit, *clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli & ad refor-*

Martian. Imper. in Epist. ad Leonē 33. in præamb. Cōcil. Chalced. Baron. ad ann. 450. numer. 23.

Ibidem numer. 26.

S. Leo Epist. 45.

mandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, beatissimi Petri iure atque honore seruato, adeò vt nos quoque suis litteris inuitaret, vt venerabili Synodo nostram presentiam præberemus: Quod quidem nec necessitas temporis, nec vlla consuetudo poterat permittere. Tamen in his fratribus Paschasio & Lucentio Episcopis Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica sede directi sunt, me Synodo vestra fraternitas existimet præsidere. Extat & quædam epistola Episcoporum secundæ Moesiæ ad Leonem Imperatorem scripta, vbi hæc de Synodo Calcedonensi leguntur. *In Calcedonensium ciuitate multi sancti Episcopi conueuerunt per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporum.*

Epist. Episc. Moes. pro Cõcil. Chalced. Cassiod. de diuinis lection. c. 11.

Obiectio.

pag. 36. *Anathemate ab Innocentio percussus est Arcadius, quod non coegisset Concilium ad restitutionem Chrysostomi.*

Responsio.

Non ideo Innocentius Arcadium anathemate percussit, quod Conciliũ ad restitutionẽ S. Chrysostomi non coegisset, sed quod ipsum Chrysostomum ita crudeliter persecutus fuisset, vt inde mors eidem subsecuta fuerit. Iam enim D. ipse Chrysostomus diem obierat cùm litteras Innocentius anathemate terrificas ad Arcadium misit. *Vox sanguinis fratris mei Ioannis*, inquit Innocentius, *clamat ad Deum contra te ô Imperator, sicut quondam Abel iusti contra parricidam Caïm, & is modis omnibus vindicabitur, nec id modò admisisti, sed etiam pacis tempore persecutionem magnam aduersus Deum & Ecclesiã eius cõcitasti. Eiecisti è throno suo re non iudicata*

Baron. anno 407. numer. 23. extant & Græcæ ipsæ litteræ apud Gennadium, Nicephorum & Glicam.

magnum totius orbis doctorem, & vna cum eo Christum persecutus es. Neque de illo ita queror (sortem enim seu hæreditatem cum sanctis Apostolis in Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi regno consecutus est) quamuis intolerabilis iactura ea sit, sed affligor de animarum vestrarum salute. Et post pauca. *Itaque ego minimus & peccator cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reijcio te, & Eudoxiam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem aut Clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit ab ea hora qua presentes vinculi mei legeritis litteras, dignitate sua excidisse decerno.*

OBIECTIO.

Innocentius autem Chrysostomum suæ sedi restituere sua auctoritate non posse agnouit, cum pag. 36. *ad eam rem necessariam esse Synodum rescripsit Epistolam ad Constantinopolitanum clerum apud Sozomenũ lib. 5. cap. 26.* Et paulò infrà. *Quod si absoluta monarchia Innocentij suffecisset, quid causæ habuisset ab Imperatoribus postulare vt Cõcilium generale cogeretur, & Imperatores definitum tempus & locum præscriberent.*

RESPONSIO.

Consequentia futilis, imò nulla. Poterat quidẽ Innocentius propter Romanæ Ecclesiæ prærogatiuam, vt ait Socrates & quia ad eum propter sedis dignitatem omnium cura pertinebat, vt inquit Sozomenus, S. Chrysostomo suam Ecclesiam restituere, sicut olim Iulius, Paulo eiusdem Ecclesiæ

Socrat. lib. 2. hist. cap. 15. Sozomen. lib. 3. hist. cap. 8.

Constantinopolitanę, & S. Athanasio Alexandrię Patriarchis, vt iam dictum est. Poterat etiam & vniuersalem Synodum cogere non expectata Imperatoris auctoritate sicut & Romæ coëgerat: *Quãdo enim vnquam* (inquit S. Athanasius) *iudicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatẽ habuit?* Non tamen id expedire iudicauit, nec temporis ratio id patiebatur. *Omnia mihi licent*, inquit Apostolus, *sed non omnia expediunt, omnia mihi licent, sed non omnia ædificant, & ego sub nullius redigar potestate.* Quamuis enim Occidentales omnes Episcopi, etiam transmarini, pro restitutione S. Chrysostomi plurimùm laborarent, Orientales tamen, paucis exceptis, qui cum eodem S. Chrysostomo communicabant, contratio planè studio obnitebãtur, atque ita maximo in periculo Catholica tunc versabatur Ecclesia, ne graui schismate Oriens dirimeretur ab Occidente: Id enim alicubi ipse etiam profitetur S. Chrysostomus. *Scitis*, inquit, *omnia tumultibus ac perturbatione plena esse, nec pro Constantinopolitana tantùm vrbe, sed pro vniuerso terrarum orbe preces fundendas esse, quandoquidem malum initio hinc ducto pestiferi cuiusdam profluuij instar effusum per vniuersum terrarũ orbem Ecclesias peruastat.* Et in Epistola ad Innocentium scripta. *Certamen*, inquit, *illud ferme totius orbis est, Ecclesiæ vsque ad genua humiliatæ sunt, populi dispersi, clerus diuexatus, Episcopi exules, constitutiones Patrum violatæ*, Expediebat ergo vt Innocentius maxima cum discretione & cautela huic negotio incumberet. *Et nos plurimum consideramus*, aiebat ipse Innocentius animo fluctuans in Epistola in obiectione citata, *Ad quem modum œcumenica Synodus colligatur,*

S. Athanas. in Epist. ad Solitar.

1. Cor. 6.

S. Chrysost. Epist. 121. ad Arabium.

S. Chrysost. Epist. 2. ex septem. & apud Baron. anno 406. numer. 25.

Apud Sozomen. lib. 5. cap. 26.

colligatur, qua secundùm voluntatem Dei motus isti turbulenti compescantur. Ideo cum vniuerso Concilio, quod Romæ congregauerat prudenter admodũ censuit, auctoritatem Imperatorũ tam Occidentis, quàm Orientis interponendã, vt tanto imminenti periculo vtraque & spirituali, & tẽporali interueniente ad cogẽdam Synodum potestate commodius citiusque succurreretur. *Congregati ergo Italiæ Episcopi* (ait Theodorus apud Palladium) *Imperatorẽ Honorium orant, vt scriberet Arcadio fratri suo, vt iuberet Thessalonicæ Concilium fieri, quò facilius possent vnà vtrique partes Orientis Occidentisque concurrere, addentes perfectam Synodum non numeri quãtitate, sed qualitate certam & irrefragabilem laturam fore sententiam. His inflammatus Imperator Episcopó quidem Romano scribit vt mittat Episcopos quinque, Presbyteros duos Romanæ Ecclesiæ Diaconum vnum, qui ipsius ad fratrem Arcadium epistolas ferrent.* Et hæc quidem Theodorus. Quod si nobis has liceret epistolas perscrutari, hanc ab Honorio ingestam potissimùm reperiremus causam, cur in huiusmodi cogenda Synodo Arcadij requireretur auctoritas, vt nempe Theophilus Alexãdrinus Patriarcha, qui S. Chrysostomum deponere præsumpserat, vel inuitus adesse compelleretur. Ait enim: *Hoc ante omnia de tua mansuetudine postula, vt Theophilum Alexandrinum inuitum adesse præcipias. Per hunc enim mala omnia emersisse memorantur, & vt aduenientium Episcoporum Synodus in nullo impedita congruam temporibus nostris afferat pacem.* Verùm enimuero quid tandem hæ litteræ effecerint, inspiciam°. Legatis ergo in eum finem cum litteris ab Innocentio Pontifice, &

Apud Baron. anno 405. numer. 13.

Citantur hæ litteræ à Baronio eodem anno numer. 14.

Honorio Imperatore ad Arcadium destinatis, eo certè progressa est aduersariorum S. Chrysostomi scelerata perfidia, vt eosdem in itinere interceptos varijs contumelijs affecerint, adituque insuper Constantinopolitanæ ciuitatis prohibitos, reinfecta in Italiam redire compulerint. Vnde res iam eò vsque perducta visa est, vt ipsi Honorio nihil reliquum esset, nisi cum Arcadio fratre ob violatum ius gentium armis decertare. Innocentius quoque rem tantam dissimulare, atque adeò execrandum facinus inultum relinquere non potuit, licet tamen aliquid seueritatis Ecclesiasticæ censuræ, ratio temporis remittere, (ne maior in Ecclesia scissura fieret) eidem persuaserit. Ideò Atticum Constantinopolitanum Episcopum intrusum, ac Theophilum Alexandrinum præcipuos sceleris auctores ab Ecclesiastica Romanæ Ecclesiæ communione segregauit.

OBIECTIO.

pag. 37. *Chrysostomus Concilium ipsum appellauit, non Pontificem,* Socrates lib. 6. cap. 1.

RESPONSIO.

Quid si D. ipse Chrysostomus clarissimè testetur se non Concilium, sed Pontificem appellasse, ab eoque expectasse vt diiudicata sua innocentia sedi suæ restitueretur, nónne obstructum erit os loquentium iniqua? Sic igitur ait in epistola ad Innocentium scripta. *Ne immanis ista confusio cuncta percurrat & vbique dominetur, scribite precor & auctoritate vestra decernite huiusmodi iniquè gesta nobis absentibus, & iudicium non declinantibus nullius esse robo-*

Baron. ad annum 404. numer. 35.

ris, sicut per suam naturam sunt profecto irrita & nulla. Porro qui talia gessere, eos Ecclesiæ censuræ subijcite, nos autem insontes neque coniunctos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos Ecclesijs nostris (nota) *iubete restitui, vt charitate frui & pace cum fratribus nostris consueta possimus. Quod si modo quoque voluerint auctores sceleris, aperire crimina quorũ gratia nos iniustè eiecerunt, dentur nobis commentaria, libelli proferantur in medium, veniant accusatores mei, sedeat incorruptum intemeratumq; iudicium: non recuso, non renuo, immò & constanter hoc expeto, Iudicemur.* In eumque finem appellatione interposita, legati non tantùm ab ipso S. Chrysostomo, sed & à Theophilo Alexãdrino, qui ipsum S. Chrysostomũ deposuerat, ad ipsum Innocentium sunt directi, vt testatur Theodorus illorũ tẽporum scriptor his verbis. *Primus omnium profectus est ad nos Alexandrinæ Ecclesiæ Rector cum Paschæ Theophili litteris, quibus indicabat Ioannem à se fuisse depositum. Eas litteras cum legisset beatissimus Innocentius Romanæ sedis Antistes, inhorruit temeritatem facinúsque Theophili. Post triduum aduenerunt Episcopi quatuor à Ioanne missi, Reuerendissimi profecto viri Pausophius Pisidiæ, Pappius Syriæ, Demetrius Galatiæ secundæ, Eugenius Phrygiæ tres epistolas Innocentio afferentes, vnam quidem Ioannis Episcopi, secundam vero Episcoporum quadraginta de communione Ioannis, reliquam scripserat Ioannis clerus, omnes indisciplinarum tumultum & seditionem pariter significantes.* Ad quid quæso legatio ista adeò solemnis ad Innocẽtium missa nisi vt in causa S. Chrysostomi iudicium ferret: Quod & fecit, vt auctor est idem Theodorus dum ait. *Ad hæc rescripsit beatus Innocentius Papa, communioq;*

Baron. eodẽ anno numer. 22.

Idem ibid. numer. 26.

vtriusque partis admissa Theophili iudicium cassum atque irritum esse decreuit. Quod si Socratem Simon obijciat, attendat certè, ipsum S. Chrysostomum fideliorem vtique in sua causa testem, esse quàm Socratem: vel si vniuersale Concilium objecit S. Chrysostomus, seriò non equidem, sed vt paucorum Episcoporum, qui cum Theophilo conuenerant, condemnationem eluderet, istud egit.

pag. 37. OBIECTIO.

Maximum Patriarcham fuisse negamus, nondũ enim Constantinopolis erat sedes Patriarchalis.

RESPONSIO.

Theod. Balsamon in Nomocan. tit. 8. cap. 1. Si Theodoro Balsamoni credimus, iam inde à Constantini tempore Constantinopolis sedes Patriarchalis fuit. Profert enim huiusmodi edictum ab eodem Constantino promulgatum. *Decernentes statuimus vt Romana Ecclesia habeat principalem potestatem, & sit caput quatuor sedum, sedis Alexandrinæ, Antiochenæ, Hierosolymitanæ, & Costantinopolitanæ, & vt semel dicam omnium totius orbis Ecclesiarum.* Quin

Zonaras Annal. tom. 3. & Zonaras aliquid sibi ampliùs de Constantinopolitanæ Ecclesiæ Patriarchatu arrogando istam dignitatem, non tam ei à Constantino collatam, quàm potiùs restitutam asserit, dum ait: *Constantinus Magnus cùm alijs multis vrbem adornauit, tum Byzantium, quod priùs Thraciæ Heracleæ Episcopatus erat à Seuero Patriarchijs post captiuitatem subjectum (vt in Seuero expositum est) in Pathiarchatus dignitatem restituit.*

Socrat. lib. 5. hist. cap. 8. Sozomen. li. 7. hist. cap. 9. Adde quod Socrates & Sozomenus testantur in Synodo Constantinopolitana decretum fuisse, vt Episcopus Constantinopolitanus honoris, præro-

gatiuas post Romanum Episcopum habeat, eo quòd Constantinopolis noua Roma esset. Ergone fuisset tribus alijs Patriarchis Antiocheno nempe Alexandrino & Hierosolymitano prælatus, nisi & ipse Patriarchatus honore fulsisset?

OBIECTIO.

Falsum quoque est depositum à Damaso, cum à Synodo Constantinopolitana exauctoratus fuerit. pag. 37.

RESPONSIO.

Falsum arguens timeat ne falsi crimen incurrat. Constat enim ex Epistola Nicolai 1. summi Pontificis ad Michaelem Imperatorem maximum à Damaso exauctoratum, ac è sede Constantinopolitana pulsum fuisse. *Nonne Maximus*, inquit ille, *postquam multum à Damaso Papa (sicut eius ad diuersos epistolæ indicant) laboratum est, Constantinopoli pulsus est?* Nec Synodi Constantinopolitanæ decretum contra Maximum quidquam detraxit eius exauctorationi iam à Damaso factæ, cum & Synodus eam subsecuta sit, & non nisi ipsius Damasi iussu celebrata fuerit, vt ex litteris ad eumdem Damasum scriptis à Patribus ibidem congregatis patet. *Concurreramus*, inquiunt, *Constantinopolim ad vestræ reuerentiæ litteras post Cõcilium Aquileiense missas Theodosio summa pietate Imperatori.* Ideoq; coniicerem factum, vt licèt in ijsdem litteris eorum omnium quæ in Synodo acta fuerant, mẽtionem fecerint, de Maximi tamẽ depositione nequidem vllum verbum proferant, quàmuis opportuna sese offerre videretur occasio: quandoquidẽ & de Nectario in locum S. Gregorij Nazianzeni ad sedem Constantinopolitanam euecto, loquebãtur.

Nicolaus Epist. 8. citatur à Baron. anno 865. numer. 84.

Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9.

OBIECTIO.

pag. 38. *Nestorius non à Papa, sed ab Ephesina Synodo damnatus est.*

RESPONSIO.

Quinimmo S. Prosper omnem gloriam condemnationis Nestorij necnon & Pelagij hæreticorum Celestino Papæ tribuit. *Per hunc virum*, inquit, *omnes Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti gloriosissimo fidei Catholicæ defensori ad execrãdam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio, quo etiam Pelagiani dum cognatis confœderantur erroribus iterum prosternerentur.* Atque equidem si totius rei gestæ seriem sollicitè attendamus, patebit certè omnia illi deberi. Cùm enim concertatio maxima inter eumdem Nestorium, & S. Cyrillum Alexandrinum exorta esset, ad Celestinum Papam vterque confugit, litterisque datis illius iudicium vterque expectauit. *Dignetur igitur*, aiebat Nestorius ad Celestinum scribens, *amantissima Dei anima tua infirmare nos, qui ad vtrumque momentum hucusque diuidimur, id est ad odium & miserationem eorum. Doceri autem volumus quam de his sentẽtiam tenere debeamus.* Sic aurem S. Cyrillus in epistola ad eumdem Celestinum scripta. *Quàmuis*, inquit, *res ita se habeat, nõ prius tamen illius* (Nestorij) *communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde quid hic sentias declarare, quo liquidò nobis constet, communicare ne nos cum illo oporteat, an verò liberè eidem denuntiare neminem cum eo cõmunicare, qui huiusmodi erroneam doctrinam fouet & prædicat. Porrò tuæ integritatis mens ac super hac re senten-*

S. Prosper contra Collatorem prope finem.

Baron. ad annum 430. numer. 7.

Baron. ibid. numer. 11.

tia non modo piissimis deóque deuotis Macedoniæ Episcopis, sed totius quoque Orientis Antistitibus perspicuè per litteras exponi debet. In eumque finem vterque scripta sua ad Celestinũ misit, Nestorius quidem per Antiochum virum illustrem: Sanctus autem Cyrillus per Possidonium Ecclesiæ Alexandrinæ Diaconum, vt constat ex relatione Petri Primicerij Notariorum Ephesino Concilio intexta. *Cùm comperisset*, inquit, *Possidonius tam epistolas quàm exegeses illius* (Nestorij) *Celestino fuisse exhibitas, compulsus est ipse quoque quas ferebat exhibere.* Idem quoque S. Cyrillus in epistola ad eumdem Celestinum testatur. *Tradidi*, inquit, *& epistolas quoque à me scriptas Possidonio studiosè illi iniungens vt tuæ sanctitati offerat.* Quid porro ad hæc Celestinus? Inspectis Nestorij litteris ceterisque eius, quos pro suæ hæresis defensione scripserat libris: habita Romæ Synodo omnium sententia eius fuit blasphemia condemnata, auctori verò decem dierum ad resipiscendum concessum est spatium, quippe eadem damnatione feriendus si in asserto errore persistens. *Itaque*, inquit Celestinus ad Nestorium super hoc rescribens, *quàmuis iam & frater Cyrillus secundis tuis epistolis asserat esse consentum, intelligas volo post primam & secundam illius & hanc correctionem nostram quam constat esse iam tertiam, ab vniuersitate collegij & consentu Christianorum te prorsus esse reiectum, nisi mox quæ malè dicta sunt corrigantur, nisi in eam viam redeas, quam se Christus esse testatur.* Et post pauca, audi illum loquentem tanquam qui potestatem haberet, & hoc aduersus Patriarcham vnum Constantinopolitanum, talis enim erat Nestorius.

Acta Cõcil. Ephes. tom. 2. edit. Pelt. & apud Baron. ad annum 430. numer. 10.

tom. 1. epist. Rom. Põtif. post Epist. 2. Celest.

Baron. ad annum 430. numer. 18.

Ibidem numer. 23.

Apertè igitur, inquit, *hanc nostram scias esse sententiã, vt nisi de Domino Christo nostro ea prædices quæ Romana & Alexandrina & vniuersalis Ecclesia Catholica tenet, sicut & sacrosancta Constantinopolitana vrbis Ecclesia ad te vsque optimè tenuit, & hanc perfidam nouitatem, quæ hoc quod venerabilis scriptura coniungit, nititur separare, intra decimum diem à primo innotescentis tibi huius conuentionis die numerandum aperta & scripta confessione damnaueris, ab vniuersalis te Ecclesiæ Catholicæ communione deiectum.* Audi attentius quomodo & ad huius sententiæ executionem vires suas S. Cyrillo Alexandrino Patriarchæ committit.

Ibidem.

Quam formam nostri iudicij (addit ille) *per filium meum Possidonium Diaconum cum omnibus chartis ad sanctum consacerdotem meum memoratæ Alexandrinæ vrbis Antistitem, qui ad nos super hoc ipso plenius retulit, destinamus, vt agat vice nostra, quatenus statutum nostrum vel tibi, vel vniuersis fratribus innotescat, quia omnes debent nosse quod agitur, quoties omnium causa tractatur.* Ad eundem vero S. Cyrillum vt eorum omnium, quæ ab ipso decreta fuerãt executor legitimus esset, idem Celestinus ita rescripsit.

Celestin. Epist. 3. in fi. citatur à Baron. ann. 430. numer. 25.

Quamobrem, inquit, *nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate vsus, eiusmodi non absque exquisita seueritate sententiam exequeris, nempe vt nisi decem dierum interuallo ab huius nostræ admonitionis die numerandorum nefariam doctrinam suam conceptis verbis anathematizet, eámque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana & tua sanctitatis Ecclesia, & vniuersa denique Christiana religio prædicat, illico sanctitas tua illi Ecclesiæ prospiciat.* Acceptis ergo S. Cyrillus Celestini

Papæ litteris, coactaque Alexandriæ Synodo, Legati quatuor decernuntur Theopentus nempe Cabasorum, Daniel Darnensium Episcopi, Potamon, atque Macarius Alexandrinæ Ecclesiæ ministri, qui Constantinopolim proficiscerẽtur Celestini litteras ipsi Nestorio reddituri cum decreto damnationis, nisi intra præscriptum terminum resipisceret. Insuper & Synodalis epistola legatis data ad eumdem Nestorium, vbi inter alia hæc habentur. *Quod sanè nisi iuxta tempus in litteris Celestini sacratissimi Reuerendissimique Romanorum Episcopi expressum præfinitúmque præstiteris, certò scias nullam tibi deinceps cum Episcopis & Sacerdotibus Dei consuetudinem, nullum sermonem, nullum denique inter eos locum futurum esse.* Ex his igitur perspicuum est quàm egregiam Celestinus Papa ante Ephesinam Synodum in condemnando Nestorio nauarit operam. Licèt autem aliquanto post ipsa in eadem Ephesina Synodo Nestorij causa iterùm tractata fuerit, non ea tamen intentione istud factum deprehenditur, vt ea quæ à Celestino Papa decreta fuerant, vt iam demonstrauimus, irrita redderentur, aut vt eiusdem causa nouo subiaceret examini; sed vt quæ decreta fuerant citiùs, securiúsque executioni mandarentur. Id enim expressè Celestinus ipse testatur in epistola ad eamdem Synodum scripta, vbi de tribus legatis à se missis loquens. *Direximus*, inquit, *pro nostra sollicitudine sanctos fratres, & consacerdotes nostros vnanimes nobis & probatissimos viros Arcadium & Projectum coepiscopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui his quæ agentur, interfint, & quæ anteà à nobis statuta sunt* (nota) *exequentes, quibus*

Baron. ibid. numer. 50.

Idem ibid. numer. 52.

Baron. ad annum 431. numer. 14.

præstandum per vestram Sanctitatem non dubitamus assensum, quando id quod legitur videatur pro vniuersalis Ecclesiæ securitate decretum. Et in decreto ab ipsa Synodo contra Nestorium prolato hæc leguntur.

Idem ibid. numer. 59. *Edocti itaque partim ex litteris, &c. illum* (Nestorium) *impiè docere & sapere, per sacros Canones, sanctissimique Romanæ Ecclesiæ Episcopi Celestini patris nostri litteras lachrymis, suffusi, & pene inuiti ad lugubrem hãc ferendam sententiam vrgemur. Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem suis ille blasphemijs vocibúsque impetiuit per sacram hanc Synodum eumdem Nestorium omni prorsus Episcopali dignitate priuatum, & ab vniuerso nihilominus Sacerdotum cõsortio & cœtu alienum esse decreuit.*

OBIECTIO.

pag. 38. *Anthimus Episcopatu pulsus à Constantinopolitana prouinciali, in qua aderat Agapetus Papa.*

RESPONSIO.

Quid si verò ipsissima Synodi Constantinopolitanæ acta Anthimi depositionem non Synodo, sed Agapeto Papæ tribuunt? *Canonicum iudicium*, inquiunt, *à Romano Pontifice in ipsum Anthimus & prædictos hæreticos audiri voluistis, ille persuasus qui dicit interroga patrem tuum, &* c. Et paulò post. *Misit itaque Deus huic ciuitati Agapetum, qui vere ἀγάπητος, id est, dilectus à Deo & hominibus, Pontificem antiquæ Romæ in depositionem Anthimi, & prædictorum hæreticorum Seueri, Petri, atque Zoaræ, tanquam olim Petrum Magnum Apostolum Romanis in depositione Simonis Cretiani. Iste enim venerabilis vir sciens per libellos plurimorum nostrorum ea quæ iniquè contra Ecclesias præsumpta fuêre, ea quæ visu semel accipiendo neque ad visum susci-*

tom. 2. Concil. act. 1. Synod. Cõstãt. sub Menna, & citantur à Baron. anno 536. num. 21.

pere voluit Anthimum furentem aduersus Canones, sed tunc iuste deiecit de Sacerdotali sede ciuitatis suæ. Quid clarius? Idē quoque testatur Liberatus Diaconus. *Petentibus Principibus,* inquit, *vt Anthimum Agapetus Papa in salutatione & communione susciperet, impossibile esse aiebat translatitium hominem in illa sede permanere: Augusta vero promittēte munera multa, & rursus Papæ minas intentante, in hoc Papa perstitit ne eius audiret petitionem. Anthimus vero videns se sede pulsum, pallium quod habuit, Imperatoribus reddidit, & discessit.* Necnon & Nicephorus. *Agapetus,* inquit, *cum de rebus Anthimi inquireret, missosque ab Archinaudictis eius vrbis & alijs libellos oblatos acciperet, illi ne in conspectum quidem admisso Episcopatum abrogauit.* Quid vero miraris Anthimum ab Agapito è sede deiectum? Mirare potius & Mennam ab eodem in Anthimi locum sedi Cōstantinopolitanæ præfectum. Id enim testantur eadem acta. *Coopitulante,* inquiunt, *& coadunante Catholicæ fidei & diuinis Canonibus vestro Imperio Agapitus præfecit ipsi Ecclesiæ sanctissimum Mennam.* Idem etiam Liberatus. *Tunc,* inquit, *Papa principis fauore Mennam pro eo ordinauit Antistitem, consecrans eum in Basilica sanctæ Mariæ.* Idipsum & Anastasius Bibliothecarius. *Eodem,* inquit, *tempore* (Agapetus) *eiecit Anthimum à communione, & expulit in exilium. Tunc pijssimus Augustus Iustinianus rogauit beatissimum Papam Agapetum vt in locum Anthimi Episcopum Catholicum consecraret nomine Mennam.*

Liberat. Diacon. in Breuiar. cap. 22.

Nicephor. lib. 17. c. 19.

tom. 2. Concil. act. 1. Synod. Constant. sub Menna.

Liberat. in Breuiar. cap. 22.

Anastas. in Agapeto.

OBIECTIO.

Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus à Trullensi Synodo sexta, non à Pontifice. pag. 38.

RESPONSIO.

Quoad Sergium Episcopum Constantinopolitanum spectat, etsi tandem successu temporis detectus fuerit hæreticus & condemnatus, ab omnibus tamen antea seu Occidentalibus seu Orientalibus non solum orthodoxus, sed & magnæ existimationis Episcopus habebatur. Hinc factum est, vt cum ille non ad statuendam hæresim, vt videbatur, sed tantum ad conciliandam pacem de nouis vocibus, vnius nempe vel duarum operationum in Christo se optare silentium Honorio Papæ significasset, eiusque censuræ se subijcere paratum disertis verbis in scripta ad eum epistola professus fuisset, illum minimè Honorius condemnauerit, quin potius de ijsdem etiam silendum esse consenserit. Cum enim omnis vocum nouitas in Ecclesia Dei soleat esse suspecta, quid mirum si Honorius Sergij (de quo, vt diximus, ne leuis quidem tunc suspicio erat, quod esset hæreticus, cum talia ad Honorium scriberet) commonitionem, velut pacis conciliatricem minimè duxit spernendam, cùm præsertim eò vsque tunc temporis res progressa non esset, vt non sine scandalo eædem voces prætermitti possent, vt postea contigit. Licèt autem ab Honorio non fuerit condemnatus Sergius, à Ioanne tamen 4. Honorij successore cum ecthesi sua in pseudosynodo Constantinopolitana ab eodem compilata, & Heraclij Imperatoris auctoritate promulgata, anathemati subiectus fuit, vt his verbis breuiter testatum reliquit Theophanes. *Ioannes*, inquit, *Romanus præsul collecto Episcoporum Concilio Monothelitarum hæresim*

Baron. ad annum 640. numer. 1.

anathematizauit. In actis quoque S. Maximi hæc habentur. *Conuentum Episcoporum Episcopus Romæ egit, vt communi cum ijs consilio absurdum dogma execrationi & anathemati subijceret.* Quod ad Pyrrhum autem attinet, eiusdem Sergij in Constantinopolitana sede & prauitate hæretica successorem, in suspicionem adductus conspirationis cum Martina Augusta de propinato venneno Constantino Imperatori, cum sibi timens sponte discessisset, atque extorris factus in Africa aliquandiu remansisset, *temporibus tandem Theodori Papæ*, ait Anastasius, *venit in vrbem Romam ad Limina Apostolorum, & ingressus libellum obtulit cum sua subscriptione Apostolicæ nostræ sedi in præsentia cuncti cleri & populi, condemnans in eodem libello omnia quæ à se vel à decessoribus suis scripta, vel acta sunt aduersus immaculatam fidem nostrã.* Eadem habet & Theophanes, *Pyrrhus*, inquit, *cum peruenisset in Africam diuinorum illic existentium Pontificum præsentatur obtutibus, qui hunc redargutum & persuasum Romam ad Papam Theodorum direxerunt. Qui orthodoxo libello tradito Papæ ab ea receptus est.* Cùm autem aliquanto post instigante Olympio hæretico Rauennate exarcha Pyrrhus ad vomitum rediens assertæ Catholicæ confessionis se præuaricatorem exhibuisset, Theodorus Papa illum condemnauit. *Pyrrhus*, inquit Theophanes, *cum Roma discessisset, & Rauennam peruenisset, vt canis ad vomitum reuersus est. Quo Papa Theodorus comperto plenitudine conuocata Ecclesiæ ad sepulchrum verticis Apostolorum accessit, & diuino calice expostulato ex viuifico sanguine in atramentum stillauit, & ita propria manu* (nota) *depositionem Pyrrhi excommunicati*

Ibidem numer. 7.

Anastas. in Theodoro.

Apud. Baron. anno 644. num. 2.

Theophan. anno 20. Heraclij Imperat.

Anastas. in Theodoro.

facit. Anastasius vero. *Pyrrhus*, inquit, *more canis ad proprium impietatis vomitum repedauit, quem sanctissimus Theodorus Papa conuocans vniuersos sacerdotes & Clerum in Ecclesia beati Petri Apostolorum Principis condemnauit sub vinculo anathematis iuxta mercedem & retributionem propriam transgressionis, canonicam pœnam* (nota) *siue depositionem decernens.* De Paulo veto itidem hæretico, qui post expulsum Pyrrhũ in sede Constantinopolitana à Constante hæretico Imperatore collocatus fuerat, ab eodẽ quoq; Theodoro Papa excommunicato atque depositio hæc habet Anastasius. *Sanctissimus Papa Theodorus,*

Anastas. ibidem.

inquit, *scripsit Paulo Patriarchæ regiæ ciuitatis tam rogans quam regulariter increpans, necnon per Apocrisarios per hoc maxime destinatos præsentialiter admonens & contestans, quatenus proprium emendaret commentum, atque ad orthodoxam fidem Catholicæ Ecclesiæ remearet. Et neque rogantes neque increpantes potuerunt eum à suo conamine quoquomodo reuocare, propter quod* (nota) *iustè ab Apostolica sede ipse depositionis vltione percussus est.* Ex his ergo constat quod ante sextam Synodum prædicti hæretici ab ipso Romano Pontifice excommunicati fuerãt, atque depositi. Adde quod & ante eandem Synodum in duabus Synodis Romæ tum à S. Martino, tum ab Agathone Romanis Pontificibus coactis nominatim ijdẽ hæretici fuêre condemnati. Nec mirum si Romani Pontifices prædictos Romæ condemnauerunt hæreticos, cum & Constantinopoli in eadẽ sexta Synodo, absentes licèt, illud ipsum egerint. Ex actis quippe eiusdem Synodi Sole clariùs innotescit, quàm firmiter patres ibidem congregati litte-

ris Agathonis Papæ ad eos scriptis, quæ prædictos hæreticos à se condemnatos profitebantur, inhæserint: adeo vt Georgium etiam Constantinopolitanum Patriarcham, priusquam ad sessionem in Synodo admitteretur, litteris Agathonis subscribere, eamdemque fidem quam tenebat Agatho profiteri compulerint. *Interrogatus*, inquit, Anastasius, *Georgius Patriarcha si eam fidem, quam docet sedes Apostolica, amplectitur, iuxta scripta venerandi Agathonis Papæ, seu sanctorũ ac venerabilium patrũ.* Et post pauca. *Die*, inquit, *decima septima mensis Februarij die Dominico iuxta oraculum S. Petri intra palatium conuenêre & astante Syncreto simul cum Patriarcha, legatus Apostolicæ sedis suscepit relegens suggestionem pro eorum condẽnatione à sanctissimo Papa Agathone directam. Qui Georgius sanctissimus Patriarcha professus est eo die in scriptis duas naturas, duas voluntates & operationes credere, & prædicare sicut sedes Apostolica.* Nec solum Patriarcha ipse Constantinopolitanus, sed & reliqui etiã Episcopi, cum facta collatio fuit, idipsum singuli professi sunt. Ita Domitius Episcopus Prusiados dixit, *directas suggestiones à patre nostro Agathone sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis sedis antiquæ Romæ ad à Deo coronatum & mansuetissimũ nostrum Dominũ & magnum victorẽ Imperatorẽ, tãquam ex Spiritusancto dictatas per os sanctissimi ac beatissimi Principis Apostolorũ Petri, & digito ter beatissimi Papæ Agathonis scriptas suscipio & amplector.* Denique in fidei decreto ab eodem Synodo promulgato Monothelitarũ condemnationẽ ex præscripto Agathonis Papæ, atque Synodi Romanæ ab eodem coactæ definitam videre licet. Recitatis etenim

Anastas. in Agathone.

Apud Baron. anno 681. numer. 4. ex act. 8. Cõcil. 6. in Trullo.

damnatorum hæreticorum nominibus hęc habet.

Baron. ad annum 681. numer. 45. *Præsens sancta ac vniuersalis Synodus fideliter suscipiens & expansis manibus amplectens suggestionem, quæ à sanctissimo ac beatissimo Agathone Papa antiquæ Romæ facta est ad Constantinum pijssimum, atque fidelissimum nostrum Imperatorem, qua nominatim abiecit eos qui docuerunt vel prædicauerunt vnam voluntatem & vnam operationem in incarnatione dispensationis Domini nostri Iesu Christi veri Dei nostri, adæque amplexa est & alteram Synodalem suggestionem, quæ missa est à sano Concilio, quod sub eodem sanctissimo Papa centũ viginti quinque amabilium Episcoporum*, &c. In Synodali denique Epistola ad eundem Agathonem ab ipsa Synodo missa ijdem Patres se ex litteris eiusdé Agathonis nominatos ibidem hæreticos cõdemnasse

Baron. ibid. numer. 49. palam profitentur. *Acquiescentes*, inquiunt, *veræ confessionis litteris à vestra paterna beatitudine ad pijssimum Imperatorem missis, quas vt à summo Apostolorũ vertice diuinitus scriptas agnoscimus, per quas* (nota) *exortam nuper multiplicis erroris hæreticam sectam depulimus.* Et post pauca. *Inde fundamenta execrandæ eorum hæreseos prorsus conuellentes, eosque armis spiritualibus paternisque aggredientes, & linguas eorum ne inter se accommodatè loquerentur, confundentes, extructam ab eis impijssimæ hæresis turrim subruimus, ac ipsos vt lapsos circa fidem ac peccatores extra castra atriorum Dei* (*vt dauidicè loquamur*) *anathematibus interfecimus ex sententia* (nota) *per sanas vestras litteras de eis latas, videlicet Theodorum Episcopum Pharam, Sergium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, Petrum.*

OBIECTIO.

pag. 38. *Quantum ad Aracium, certum est condemnatum*

tum à Felice, verumtamen non propterea Acacius gradu motus est.

RESPONSIO.

Ad quid ergo hæc verba in ipsa Acacij condemnatione à Felice inserta? *Habe ergo*, inquit ille, *cum his quos libenter amplecteris, portionem ex sententia præsenti, quam per tuæ tibi direximus Ecclesiæ defensorem sacerdotali honore & communione Catholica, necnon etiã à fidelium numero segregatus, sublatum tibi nomen & munus ministerij sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus iudicio & Apostolica auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus.* Ad quid etiam in Synodica Romani Concilij, tunc ab eodem Felice cõgregati Epistola subscriptio Candidi Episcopi? *Candidus*, inquit, *Tiburtinæ ciuitatis Episcopus Petro Alexandrinæ Ecclesiæ peruasori, & Acacio quondam Ecclesiæ Constantinopolitanæ; necnon etiam Petro Antiocheno ab Episcopatus & Christianorum numero olim iure & meritò congregatis, omnibusque eorum sequacibus, sequens auctoritatem sedis Apostolicæ secundum nostrum iuxta Ecclesiæ statum, Catholica deliberatione prolatum anathema dicens, subscripsi.* Ad quid inquam hæc omnia, si Acacius gradu nequaquam motus est?

tom. 1. epist. Rom. Potif. epist. 4. Felic. citatur à Baron. anno 484. numer. 17.

Ibidem numer. 31.

OBIECTIO.

Flauianus licèt sanctissimus, tamen Romanorum graui odio laborabat, non propter aliquem errorem, sed propter ambitionem quorumdam, qui malis artibus illius sedem occupare conabantur, nusquam autem vel à Synodo, vel à Pontifice Romano abdicatus est. Theodoretus lib. 5. cap. 23. amplissimè historiam Flauiani recitat.

pag. 18.

RESPONSIO.

Antequam ea, quæ de Flauiano in obiectione ventilata sunt, aggrediamur, libet equidem & quæ ante electionem eius ad sedem Antiochenã, contigerunt paulisper indagare, vt historiæ veritas cunctis pateat. Cùm ergo iam inde à Iuliani Apostatæ temporibus, Antiocheni Catholici Nicænæ fidei professores longo schismate abinucem fuissent separati, inhærentibus alijs Meletio, quem olim Arianum ab Acacianis & Eudoxianis Arianorum deterrimis, sedem Antiochenam consecutum plurimi criminabãtur (licèt posteà ab ijsdem Acacianis, fidei Catholicæ tuendæ causa, exilium passus fuisset:) Paulino alijs communicantibus, quem Lucifer Calaritanus Episcopus, sedis Apostolicæ legatus ordinauerat: eò deductum negotium videbatur, vt totus ferme Oriens, ac fortasse etiã Occidens, in pernicioſum schisma induci facilè posset, dum plurimi ex Orientalibus Meletio, alij autm cum Ægiptijs & omnibus Occidentalibus Paulino fauebant. Tandem Antiochiæ coacta Synodo, cùm neutra pars alteri cedere voluisset, opportunum illud remedium excogitatũ fuerat, vt nempe inter vtramque partem ita conueniret, vt cùm ex duobus Paulino & Meletio alterum ex hac vita decedere contingeret, qui superstes esset, in demortui locum, nullo alio successore creato, solus remaneret illius Ecclesiæ Antistes. Ad quod præstandum Patres ibidem congregati iureiurando adegerunt sex primores illius Ecclesiæ Presbyteros, qui propinquiores ad eum gradum assequendum videbantur. Inter quos adfuisse &

hunc Flauianũ, eodemque sacramẽto adstrictum, his verbis testatur Socrates. *Posteà*, inquit, *in concordiam laici in huiusmodi pactis redeunt. Collectis illis qui ad Episcopatum fuerant subiecti, inuenerunt illos in universum numero esse sex, inter quos erat & Flauianus. Hos iuramento obstringunt, ne quisquam eorum ad Episcopatum accedat, vno ex Episcopis mortuo, sed alterum adhuc superstitem demortui sedem retinere sinant. Interpositis ita iuramentis populus concordiam habuit, nec amplius inter se diuisus est.* Idem testatur & Sozomenus. *Complacuit*, inquit, *vtrique parti, vt ab illis qui ad Episcopatum obeundum, vel apti putabantur, vel futuri Episcopi videbantur quorum reliqui quinque cum Flauiano erant, iusiurandum exigeretur, quòd nec ambire Episcopatum, neque ordinationem, etiamsi eligerentur, suscipere vellent, tantisper dum Paulinus vel Meletius in vitis esset: sed permitteret, vt si alter ex ipsis moreretur, alter solus Episcopatu potiretur. Iureiurando igitur ad hũc modum præstito, plebs fere vniuersa concordiam amplexata est.* Accedit autem vt mortuo, interim dum Constantinopolitana Synodus celebraretur Meletio, cùm plures Episcopi, qui prudentiores & pacis cupidi erant, inter quos S. Grẽgorius Nazianzenus eminebat, vrgerent maximè, ne secundùm iuramenta præstita, alius in demortui locum eligeretur Episcopus, contrà tamen, vt eiusdem S. Gregorij verbis vtar,

Socrat lib. 5. hist. cap. 5.

Sozomen. lib. 7. hist. cap. 3.

Hoc molientes improbi, vt tunc vnico
Opponeretur Præsuli, Præsul nouus.

S. Gregor. Nazianz. in carm. de vita sua.

Sanctus ipse Gregorius cùm multa disertè ac sapienter peroraſſet, vt Paulinus iam ætate consumptus, paucis diebus quibus vita superstes foret, so-

lus sineretur sedere Episcopus Antiocheus, eo autem vita functo, alius subrogaretur; ita fore, vt Oriens & Occidens summa concordia iungerentur: nihil tamen profecerit, quin potiùs dissidentes contrariæ factionis Episcopos, sibi maximè infensos, ac penè implacabiles reddiderit: Vnde factum est, vt è Synodo recedente Gregorio, horum factio Episcoporum prævaluerit, Flauianusque Presbyter Antiocheus in Meletij locum, vt ait Sozomenus, contra præstita iuramẽta ordinatus fuerit. Quid autem tunc acciderit, audi narrantem Sozomenum. *Ex ea re igitur*, inquit, *maxima rursus perturbatio Antiochenam Ecclesiam corripuit, ac plurimi sè à Flauiani communione abstraxerunt, & priuatim sub Paulino conuentum egerunt. Quin & ipsi quoque Sacerdotes ob hanc rem inter se contendebant: atque Ægyptij quidem, atque Arabici, & Cyprij velut ob Paulinum iniuria affectum stomachabantur. Syri verò, Palæstini, Phœnices, tunc etiam ex Armenis, ex Cappadocibus, ex Galatis, & ex Ponticis plurimi pro Flauiano stabãt. Non minimum autem indignatus fuit Episcopus Romanus, & eum eo cuncti Sacerdotes Occidentales; ac Paulino quidem ceu Antiochiæ Episcopo consuetas scribebãt Epistolas, quas Synodales appellant; ad Flauianum autem silentium agebant. Quin & Diodorum Tarsi & Acacium Beræa Episcopos, qui illum ordinauerant, reos agebant, & pro excommunicatis habebant.* Quorsum ergo Simon in summum Pontificem, quem sub Romanorum nomine ita cauillatur, talia effutit, vt Flauianum suum malis vtique artibus, vtpotè suorum factione, & contra præstitum ab eo iuramentum, Antiochensis Ecclesiæ Præsulatum adeptum extollat?

Sozomen. lib. 7. hist. cap. 11.

Ibidem.

An tot mala quæ ex Flauiani electione prouenerunt, quæque nõn nisi ab Innocentio summo Põtifice circa annum Domini 408. succedentibus sibi inuicem in demortuorum locum vtriusque partis Episcopis, sõpiri potuerunt, Flauianum ipsum, sanctissimum, vt dicis, reddere potuerunt? At laudanda sanè in his fluctibus S. Damasi Pontificis maximi, successorũque eius incomparabilis longanimitas emicuit, dum licèt minùs probarent Flauiani ordinationem, illum tamen tolerauerũt, nec ab Ecclesia Catholica publicato anathemate segregauerunt: ea nimirum de causa, ne totus fermè Oriens vnà cum illo cui communicaret, & cuius causam foueret, à Catholica communione pariter succidendus fuisset. Quod ad citatum verò Theodoreti locum spectat, certum planè est Simonem, vt Flauiano plùs æquo faueret, historiæ narrationem confadisse, dum quæ narrat, non ab vno tãtùm Siricio, sed & à S. Damaso, qui eum præcessit, & ab Anastasio qui successit, facta commemorat, cùm nihilominus constet longè ante creationem Euagrij, qui Paulini successor fuit, Damasum esse defunctum, & tempore Anastasij nequaquam superstitem fuisse Theodosium, hac plane intentione id agens, vt Theodoretus aliquo prætextu eumdem Flauianum, qui vocatus ad Synodum Capuanam non obtemperauerat, excusare videretur. Sed audi S. Ambrosium perbellè in ipsum Flauianum, qui examen fugiebat, inuehentem, in epistola illa, quam ad Theophilum Alexandrinum Patriarcham, arbitrum ad causam inter Euagrium & Flauianum cognoscendam con-

stitutum (ea tamen conditione, vt cuncta ad summum Pontificem referret) scripsit. *Non habet*, inquit, *quod vrgeat Euagrius, sed habet quod timeat Flauianus, ideóque refugit examen. Dent fratres veniam dolori iusto, quia propter ipsos vniuersus orbis concutitur.* Et post pauca. *Scribit sanctitas tua iterum fratrem nostrum Flauianum ad precum auxilia, & Imperialium rescriptorum suffragia remeauisse. Frustrà ergo tantorum Sacerdotum ipsius labor*, &c. *Interea solus exlex Flauianus (vt illi videtur) non venit, quando omnes conuenimus, fœnerator & debitor inuicem sibi occurrunt, ipsi sibi non possunt occurrere. Solus exsores Flauianus (vt ipse vult) Sacerdotalis cõsortij, qui nec Imperialibus decretis, nec Sacerdotum conuentui præsentiam faciat sui. Nec tamen etiam hoc moti dolore fratri Euagrio donamus speciem bonæ causæ, qui eò defensabilior sibi videtur, quòd dum refugit Flauianus*, &c. Sileant ergo Theodoretus & Simon, dum de Flauiano sanctus hæc refert Ambrosius.

S. Ambros. epist. 78.

OBIECTIO.

pag. 39. *Hoc solemne erat Patriarchis, quod & eorum æqualitatem maximè arguit. Quoties in quatuor præcipuis sedibus Antistites ordinabãtur, Synodales litteras mittere sibi vicissim, quibus fatebantur se Calcedonensem Synodum cum alijs generalibus Concilijs custodire. Hæc Gregorius lib. 7. Epist. 53.*

RESPONSIO.

Si æqualitas ex Synodaliũ litterarum missione iudicatur, nõ solùm inter Patriarchas, sed & inter Episcopos, siue Primates, siue Metropolitani fuerint æqualitatẽ admittere necesse erit: cùm non ad

Patriarchas tantùm, sed & ad Seniores Episcopos olim consuetudo vigeret has Synodicas mittendi litteras, quando nouus alicui Ecclesiæ præficiebatur Episcopus, quibus eius fidei quam tenebat, professio continebatur, vt ex Epistola Eucycleca Sophronij Patriarchæ Ierosolymitani, quæ in actis sextę Synodi reperitur, patet, vbi hæc habentur. *Quia verò Apostolica & prisca in omnibus cuncti orbis Ecclesijs traditio viget, vt qui Episcopi fiunt, ad omnes Antecessores Episcopos referant quomodo sentiant, & quam fidem teneant: quam quidem traditionem sapientissimus Paulus valdè cautè eis tradidit, ne in vanum currerent.* Quod ad citatum autem spectat S. Gregorij locum, si quid ex eo Simon in Apostolicæ sedis (quæ non inter quatuor, sed supra quatuor Patriarchales sedes semper emicuit) præiudicium inferre velit, iam pedem referat, & attendat ad ea quæ ab eodem S. Gregorio paulò antè fuerant dicta, dum interrogationi à Secundino reclûso sibi factæ, an Orientales Ecclesiæ fidem atque doctrinam sanctæ memoriæ Leonis sequerentur, ita respondet. *Vnde certam dilectionem tuam esse desidero, quòd prædictæ sanctissimæ Orientales Ecclesiæ vno sensu, vna doctrina fidem eiusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent, sanctámque Calcedonensem Synodum nobiscum custodiunt atque venerantur.* Ergo fidem Leonis, & Synodi Calcedonensis, fidem, inquam, primùm Papæ, deinde Concilij Orientales Ecclesiæ tenebãt; quantò magis Occidentales?

Baron. ad annum 633. numer. 11.

S. Gregor. Magnus lib. 7. Epist. 53.

OBIECTIO.

Quod Valla obijcit Dionysium Alexandrinum pag. 39.

60. annis ante Concilium Nicænum, apud Pontificem Romanum accusatum, iudicium eiusdem subiisse, nec contra accusatorem, quasi illud Romano Pontifici non competeret excepisse, atque illius sententiæ acquieuisse, falsissimum est.

RESPONSIO.

Quòd si S. Athanasius idipsum asserat, quis de Valla, aut Simone, falsi reus iudicabitur? de accusatione quidem ita eloquitur. *Cùm Dionysius Alexandrinus Episcopus certior factus de Pentapolitanis, zelo religionis hanc epistolam scripsisset, quidam ex Ecclesia rectè quidem sentientes, sed tamen ignari eius causæ cur ita ab eo scriptum esset, Romam ascenderũt, ibique eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum Præsulem accusauerunt. Re comperta Alexandrinus contra Sabellij sectatores, & Arij dogmata volumen composuit, postulauitq; à Romano Præsule, vt obiecta sibi iudicaret: quibus acceptis opus edidit sub nomine Elenchi & Apologiæ.* Quod verò coram eodẽ Romano Pontifice, licèt absens per epistolas ad hoc directas causam dixerit, seque purgauerit, idem S. Athanasius testatur. *Dionysius,* inquit, *Episcopus Alexandrinus in suspicionem raptus, quòd Filium creaturam nominasset, ad Dionysium Episcopum Romanum eiusdem secum nominis, pro defensione criminis ita scribit.* Deinde post pauca, vnius ex epistolis eiusdem Dionysij Alexandrini ad Romanum Dionysium, verba referens. *In alia,* inquit, *epistola scripsi, qua demõstraui falsum esse crimen quod mihi obijciunt, quasi dixissem Christum non esse consubstantialem Deo.* Et paulò infrà. *Ipsam verò epistolam hoc quidem tempore propter certos casus nequeo proferre: Verum quia*

S. Anastas. in epist. de sentent. Dionys. Alexand. cõtra Arianos.

Ibidem.

tibi præsentia negotij verba mitto, facilè inde colligere poteris, multo me libentiùs ipsum autographum missurum fuisse, quod & faciam, vbi id primùm adeptus fuero. Ad quid quæso Dionysius Alexandrinus autographum illius epistolæ, quæ Pentapolitanis lapis offensionis & petra scandali fuerat, proferre atque exhibere à Romano Dionysio iussus fuit, nonne vt causam diceret, Romanusque Dionysius super fidei doctrina in ea contenta iudicium ferret?

OBIECTIO.

Patres Africani Concilij negant licere Episcopis Africanis ad Romanum Pontificem appellare, in epistola ad Cælestinum. Deprecamur, *aiunt*, vt deinceps ad aures vestras hinc venientes, nõ faciliùs admittatis, nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere. *Et infrà.* Ne in sua prouincia communione suspensi, à tua sanctitate, vel festinatò, vel præpropere, vel indebitè videantur communioni restitui. pag. 40.

RESPONSIO.

Itane est appellationes ad Romanum Pontificem prohibere, an potius summisso animo ipsum Romanum Pontificem rogare, vt cum maxima cautela ex Africa querelas ingerentes suscipiat, neuè faciliùs (vt aiunt) quàm vt par est, nec festinatò, nec præpropere, aut indebitè agat: Et sic maturum quidem exposcunt iudicium, non autem recusant. Quòd si Canonibus agendum est, audi quæ super hoc in Concilio Sardicẽsi Oecumeni-

co sancita fuere. At de iure quidem appellationũ

Concil. Sardicens. can. 3. sic. *Si aliquis Episcopus adiudicatus fuerit in aliqua causa, & putauerit se causam bonã habere, vt iudicium iterum renouetur, sancti Petri memoriam honoremus, vt scribatur ab his qui examinauerunt, vel etiam ab alijs Episcopis qui in propinquo morantur. Et si iudicaret renouandum esse iudicium, det iudices.* Et Canone sequẽti.

Can. 4. *Addẽdum est si placet huic sententiæ, quam plenam sanctitate protulistis, vt cùm aliquis Episcopus depositus fuerit, eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis commorantur regionibus, & proclamauerit agendum sibi iudicium in vrbe Roma, alter Episcopus in eadem Cathedra post appellationem eius qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Romani Episcopi terminata.* De modo autem prosequendæ appellationis

Can. 7. hæc habentur. *Placuit autem vt si Episcopus accusatus fuerit, & iudicauerint congregati Episcopi regionis ipsius, & de gradu suo deiecerint eum, & appellasse Episcopus videatur, & confugerit ad beatissimum Romanæ Ecclesiæ Episcopum, & voluerit audiri, & iustum putauerit vt renouetur examen, scribere his Episcopis dignetur qui finitima & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnia requirãt, & iuxta fidẽ veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suã audiri, deprecatione sua mouerit Romanum Episcopum, vt è latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Romani Episcopi quid velit, & quid existimet. Etsi decreuerit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent habentes auctoritatem eius à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit sufficere Episcopos, vt negotio terminum imponent, faciet quod sapientissimo consilio suo iudicauerit.* Quin & S. Augustinus & ipse Africanus, quique Africanæ Synodo

præsens fuerat, hęc de Cęciliano Carthaginēsi Episcopo testatur. *Erat*, inquit, *Carthaginensis Ecclesia etiam transmarinis vicina regionibus & fama celeberrima nobilis, vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantem multitudinē inimicorum, cum se videret Romanæ Ecclesię, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & ceteris terris vnde Euangelium in Africam uenit per cōmunicatorias litteras esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* S. August. epist. 162.

Et in Epistola ad Cælestinum super causa Antonij Fussalensis Episcopi, qui & ipse ab Episcopis Africanis condemnatus, ad Bonifacium Cælestini prædecessorem appellauerat. *Accipe nunc*, inquit, *quæ post sanctæ memoriæ Bonifacij litteras in Africa gesta sunt, & subueni hominibus opem tuam in Christi misericordia, multo auidius quàm ille poscentibus, à cuius inquietudine desiderauit liberari. Judicia quippe illis, & publicas potestates, & militares impetus tanquam executores, Apostolicæ sedis sententiam siue ipse, siue rumores crebrimi comminantur.* S. August. epist. 261. edit. Plant.

Quid alios memorem Africanos Episcopos, Priscum, Victorem, Laurētium, prouinciæ Cæsariensis Antistites, qui eiusdem S. Augustini testimonio (eodē fermè tempore, quo citatus Canon in Concilio Africano perhibetur editus) ad summum Pontificem prouocarunt. *Exiſtat exemplo* (inquit) *ipsa sede Apostolica iudicante, vel aliorum iudicia firmante quosdam pro culpis quibusdam, nec Episcopali spoliatos honore, nec relictos omnimodis impunitos, quæ vt à nostris temporibus remotissima non requiram, recentia memorabo. Clamet Priscus*, &c. Idem ibid.

Vt hinc probè appareat in eo

Concilio non de iure appellationum, sed de modo tantùm prosequendæ appellationis quæstione mota, Africanos Patres in hæc verba Cælestino Pontifici rescripsisse. Quòd si improbi refugij nomine nuncupatus iste modus prosequendæ appellationis reperitur, ne mireris: etsi enim licitũ, appellatio ipsa, insontibus refugium esset, improbum tamen in eo plerumque reddebatur, quòd improbi illo abuterentur: vt de Faustino constat iudice in causa Apiarij delegato, de quo Africani Episcopi litteris apud Cælestinum Pontificem cõquesti sunt, quasi nõ egisset vt iudex, sed patronus sceleſtissimi Apiarii: & eò proteruiæ progressus esset, vt diuersis Africanis Episcopis inferret iniurias. *Executores*, inquiebant Episcopi, *etiam clericos vestros, quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum, videre cupientibus, præfert, videamur inducere.*

Cõcil. Afric. can. 105.

Obiectio.

Cyprianus contendit causas finiri debere in Prouincijs vbi nascuntur, ob facilitatem testium & iudicum.

pag. 41.

Responsio.

Rectè equidẽ: Audi tamen Carolum Magnum, S. Cypriani dictum ex Africana Synodo descriptum in Capitularibus ita restringentem. *Si quæ causæ*, inquit, *vel contentiones inter clericos & laïcos tam maioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit vt secundùm Synodum Nicænam, congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur:*

Carol. Mag. lib. 6. Capitul. cap. 287.

nec cui liceat (nota) *sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debetur reuerentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias, vel aliarum prouinciarum Episcoporum iudicium expeti vel pati, nisi fuerit prouocatum.*

OBIECTIO.

Proinde idem Cyprianus & Synodus Africana numquam voluerunt recipere Basilidem à Synodo excommunicatum, & à Romano Pontifice restitutum. pag. 42.

RESPONSIO.

Licèt Basilides Legionensis Episcopus pluribus nefandis criminibus fuerit infamatus, nusquam tamen ab aliqua Synodo excommunicatus legitur, sed *Episcopatum* (inquit S. Cyprianus) *pro conscientiæ suæ vulnere sponte deponens, ad agendam pœnitentiam conuersus est, Deum deprecans & satis gratulans, si sibi vel laïco communicare contingeret.* De receptione item eius nec in vlla vmquam Synodo Africana quidquam agitatum fuit, cùm nec ipse istud petierit, nec in Africam etiam istud postulaturus aduenerit. Scio equidem S. Cyprianum à Sabino in eiusdem Basilidis sedem subrogato, super ordinatione sua requisitum, in publico quorumdam Episcoporum consessu, sententiam quidem suam dixisse; non verò quidpiam contra illum super hoc definisse, vt ex eius epistola in eum finem ad Legionensem, & Asturiensem Ecclesias scripta satis liquet: vbi inter alia. *Cùm in vnum,* inquit, *conueniissemus, legimus litteras vestras, fratres dilectissimi,* S. Cyprian. l. 1. epist. 4.

Idem ibid. in princip.

quas ad nos per Felicem & Sabinum Episcopos nostros pro fidei vestræ integritate, & pro Dei amore fecistis, significantes Basilidem, & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conscientia vinctos Episcopatum gerere, & Sacerdotium Dei administrare non oportere, & desideraſtis rescribi ad hæc vobis, & iustam pariter ac necessariam sollicitudinem vestram, vel solatio, vel auxilio sententiæ nostræ subleuari. Et post pauca, non tamquam aliquid decernens, sed sententiam tãtùm suam collegarumque suorum proponens, quidue super eadem re anteà S. Cornelius Papa decreuisset significans, hæc subdit: *Fruſtra tales Episcopatum sibi vsurpare, conantur cùm manifestum sit eiusmodi homines, nec Ecclesiæ Christi posse præesse, nec Deo sacrificia offerre debere: maximè cùm iampridem nobiscum, & cum omnibus omnino Episcopis in toto mundo constitutis, etiam Cornelius collega noster, Sacerdos pacificus ac iustus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreuerit eiusmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem Cleri, atque Sacerdotali honore prohiberi.* Quod autem spectat ad restitutionem eiusdem Basilidis à Romano Pontifice factam (si quidem facta fuerit, cùm nihil certi super hoc, scriptorum iactura reperiatur) non eam equidem nego minùs S. Cypriano probatam fuisse, non tam nihilominus ob defectum potestatis in Pontifice restituente (id enim non arguit) quàm propter obreptionẽ summo Pontifici à Basilide factam, quasi iniustè Episcopatu spoliatus fuisset. *Neq;* inquit S. Cyprianus, *rescindere ordinationem iure perfectam potest, quòd Basilides post crimina sua detecta, & conscientiam etiam pro-*

Idem ibid.

Ibidem.

pria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longè positum, & gesta rei ac veritatis ignarum fefellit, vt ambiret reponit se iniustè in Episcopatum, de quo fuerat iustè depositus. Hæc eò pertinent, vt Basilides non tam abolita sint, quàm cumulata delicta, vt ad superiora peccata eius etiam fallaciæ ac circumuentionis crimen accesserit: neque enim tam culpādus est ille, cui negligenter obreptum, quàm hic execrandus qui fraudulenter obrepsit. Nihil ergo per hoc S. Cyprianus detrahit summi Pontificis potestati Episcoporum causas iudicantis, & quæ ab alijs Episcopis facta essent irritantis, sed tantùm de obreptione Stephano summo Pontifici facta, contra Basilidē expostulat.

OBIECTIO.

Sic & Concilium Antiochenum can. 15. Si Episcopus ab omnibus prouincię Episcopis condemnatus, & omnes consentientem aduersus eum sententiam tulerint, is ne ampliùs ab alijs iudicetur, sed prouinciæ Episcoporum firma maneat sententia. pag. 42.

RESPONSIO.

Quòd si Concilium istud Antiochenum, canonesque in eo editos, paucis exceptis, qui posteà in Synodo Calcedonensi probati reperiuntur, ab antiquis Patribus cùm in iudicio allegarentur, absolutè reiectos probauerim; quòd ab Arianis Episcopis in eodem Concilio congregatis instituti fuissent; cuius roboris apud Catholicos erunt? Sat mihi sit ad probationē. Canon ille ex eodem Concilio contra D. Chrysostomum olim ab eius aduersarijs citatus, contra quem D. ipse Chryso-

stomus, non alia quàm suprà posita se exceptione tutauit. *Episcopi*, inquit Socrates de eadem re verba faciens, *qui tunc aderant, non de alio crimine quæri, sed hoc solùm in iudicium adduci oportere dixerunt, nimirum quòd post abdicationem absque Concilij sententia ipse sese in sede Episcopali collocauerat. Vbi Ioannes respondit quinquaginta Episcopos, qui cum ipso communicauerant, ei in illa re suffragatos fuisse. Leontius contrà: At plures, inquit, tibi in Concilio refragati sunt. Rursus cum Joannes diceret hunc canonem, non ad illorum Ecclesiam, sed ad Ecclesiam Arianorum pertinere (nam qui Antiochiæ ad fidem consubstantialis tollendam conuenerant, præ odio aduersus Athanasium concepto, hunc canonem ediderãt) reiecto illius responso contra eum sententiam pronuntiarũt.*

Socrat. lib. 6. hist. cap. 18.

Adde quod & per Sardicense Concilium, quo liberum fit depositò à quouis Concilio, Episcopo, appellare iudicium Romani Põtificis, abrogatum canonem atque irritum prorsus redditum iam vidimus. Cui nec Caroli Magni Capitularia quidquam derogãt, dum statuunt. *Si autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam vt sancta Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale, referantur. Si qui ergo canones* (vt tandem cum Innocentio primo Pontifice maximo respondeam) *à quibusdam proferuntur, qui à Canonibus Nicænis discrepent, & ab hæreticis compositi deprehenduntur, hi ab Episcopis Catholicis reiiciuntur. Hæreticorum enim commenta Catholicis Canonibus astruere non licet. Non solùm igitur his non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potius cum hæreticis, atque schismaticis dogmatibus esse contemnenda.*

Concil. Sardic. can. 7.

Lib. 6. Capitul. cap. 287.

Innocent. 1. in epist. ad Cleticos Cõstantinop. citatur à Baro. anno 341. numer. 31.

OBIE-

OBIECTIO.

Theodoretus Cyri Episcopus cùm ab Ephesina Synodo tanquam fautor Nestorij damnatus esset, licèt post abiuratum errorem à Leone magno restitutus fuisset in Episcopatum, atque eum Imperator iussisset adesse Concilio Calcedonensi, tamen eum Patres admittere nusquam voluerunt, quanquam id vrgerent maximè Legati Apostolici, nisi priùs causam cognouissent, & ille errorem in Concilio eiurasset. pag. 42.

RESPONSIO.

Siccine ab Ephesina Synodo damnatũ Theodoretum magni vtique nominis Episcopũ astruis? Anne ab illa Ephesina, quam magnus ille Gregorius se cum tribus alijs Synodis, sicut quatuor Euangelij libros suscipere & venerari fatetur, quòd in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgeret? An potius ab illa Pseudosynodo, quam prædatoriam maiores nostri iure appellauerunt? In qua nihil nisi per vim & metum tentatum & extortum fuit. *Puræ chartæ subscripsimus*, reclamauit postea Acacius cum alijs in Concilio Calcedonensi, *compulsi violenter, & multa mala perpessi nolentes, sed & per potentiam oppressi subnotauimus. Vsque enim ad vesperam tenuerunt nos recludentes in Ecclesia, & ægrotantes nos neque quiescere permiserunt, neque comedere, vt aliquantulum refocillaremur.* In qua sacrorum librorum locum tenuere gladij ac fustes; *minabatur nobis damnatio:* addunt alij; *minæ exilij intendebantur, milites cum fustibus &* S. Gregor. l. 1. epist. 24. Action. 1. Cõcil. Calcedonens. Ibidem.

gladijs instabant: Timebamus gladios & fustes. In qua suffragiorum libertas fuit catenis vincta. In qua pro Dei laudibus auditæ sunt militum minæ. In qua perfidus hæresiarcha patronus. In qua hæresis est stabilita. In qua nullus seruatus est à sanctis Patribus sancitus ordo iudicij. In qua siluerunt Episcopi, clamauerunt hæretici. In qua de oppressa fide Catholica, impietas exultauit, & de manubijs lapsorum Episcoporum diabolus trophæa erexit, atque tandem de cæde martyris (sancti scilicet Flauiani) superbus tyrannus Dioscorus triumphum egit. De qua vox in vniuersa Catholica Ecclesia audita est, ploratus & vlulatus multus, ipsis orientalis Ecclesiæ Prę sulibus semetipsos erubescentibus quòd tam ignauiter infamem hæresiarcham Euthychetem restituendo, & innocentissimũ Flauianum cum alijs sanctis Episcopis condemnando Catholicã fidem prodidissent. Hæccine ergo Ephesina illa Synodus Theodoreti condemnatrix? quæ nec nomen vtique meretur Synodi, cùm in nona Sessione Synodi Calcedonensis, *inueniatur* (inquit Liberatus Diaconus) *esse Decretum, vt quod sub Dioscoro in Epheso cõgregatum est Concilium, nomen Concilij minimè obtineret: sed & peteretur ab Imperatore, vt de hoc ipse lege sanciret.* Ampliùs audi quid & de ipsa sua condemnatione, vt minùs iuridica, testetur idem Theodoretus ad S. Leonẽ quem appellauerat, rescribens. *Iustissimo*, inquit, *Alexandrino Præsuli non suffecit iniqua, atq; adeò iniustissimą depositio sanctissimi & religiosissimi Constantinopolitani Episcopi Domini Flauiani, nec eius expleuit animum humilis cædes aliorum Epis-*

Liberat. Diacon. in Breuiar. cap. 13.

Theodor. epist. 113. ad S. Leonẽ.

coporum: quinetiam me quoque absentem calamo similiter iugulauit, cùm me nec in ius vocasset, nec præsentem iudicasset, nec quid de suscepta à Deo & Saluatore nostro humanitate sentirem, interrogasset. Atque homicidas quidem, & sepulchrorum effossores, & eos qui aliena cubilia violauerint, non prius condemnant iudices, quam ipsi accusationem confessione sua confirmauerint, vel ab alijs apertè conuicti fuerint: nos autem is qui in diuinis legibus est edoctus triginta quinque dierũ spatio, remotos condemnauit vt voluit. Et post pauca, integræ suæ fidei testimonium reddens. *Cùm,* inquit, *viginti sex* Ibidem. *annis ab vniuersorum Deo creditam Ecclesiam per vestras preces rexerim, non tempore Theodoreti Orientis Præsulis, non tempore illorum, qui ei in sede Antiochena successere, quantumuis leuem subij reprehensionem, & post tot sudores & labores, nec in ius quidem vocatus, sum condemnatus. Ego autem* (nota) *Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam & supplico & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi appellanti iustum vestrum & rectum iudicium, opem ferat & iubeat ad vos occurrere, & ostendere meam doctrinam vestigia Apostolica sequentem. A me enim plura scripta sunt, ex quibus facilè sciri potest, an seruauerim rectam atque inflexam fidei regulam, an rectitudinem eius transilierim. Sed supplicationẽ meam quæso ne respuatis, nec miseram meam caniciem despiciatis, quæ post tot labores affecta est contumelijs. Ante omnia autem rogo, vt sciam à vobis, an in iniusta hac depositione mo oporteat acquiescere, an non; vestram enim expecto sententiã, mihi autem nec honor curæ est, nec gloria, sed tantùm scandalum, quod factum est, quòd multi ex simplicioribus & maximè qui ex diuersis hæresibus à nobis capti sunt, sedem eorum qui nos condemnauerunt, attendentes,*

existimabunt nos fortasse hæreticos, vt qui quod sit rectum perfectumq́ dogma videre nequeant. Hactenus Theodoretus. Vnde plùs satis liquet, quàm malè Simon Theodoretũ post condemnationẽ, errorem suum abiuraſſe asſeruerit, cùm ille ipſe nulla ſe vnquam erroris labe inquinatũ, ingenuè & apertè profiteatur. Quod & Renato ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, ad eum ſcribẽs, clariùs adhuc intimaſſe reperitur, dũ emiſſa fidei profeſſione, qua ſe alienum prorſus à Neſtorianiſmo demonſtrat, ita ſubdit. *Hæc & his ſimilia frequenter doceo, hæc etiam in litteris ſanctiſſimi & beatiſſimi Archiepiſcopi Domini mei Leonis ſcripta inueni, & omnium Dominũ laudaui, quòd Apoſtolicus eius dogmatibus conſors ſentio.* Idem quoque & ad Abundum Apoſtolicæ ſedis legatum, & Comenſem Epiſcopum ſcribens profitetur: Poſt eamdem enim fidei profeſſionẽ. *Hæc ex litteris*, inquit, *ſanctiſſimi ac religioſiſſimi Archiepiſcopi Domini noſtri Leonis didicimus. Legimus enim quæ ad ſanctæ ac beatæ memoriæ Flauianũ ſcripſit, & gratias egimus Domino noſtro humaniſſimo Deo quòd aduocatum & propugnatorem veritatis inuenimus. His & ego litteris conſenſi, & huic epiſtolæ meæ exemplũ earum copulaui, cui etiam ſubſcripſi, & ex hoc probaui, quòd regulas Apoſtolicas, hoc eſt, vera dogmata ſequor, hodieq́ in his permaneo; & ideò bellum patior.* Hinc S. Leo ad ipſum Theodoretum ſcribens, dum non ſolùm orthodoxum agnoſcit, ſed eius bene nauatam aduerſus hæreticos operam pluribus commendans, vt pergat viriliter, his verbis exhortatur. *Exulta*, inquit, *chariſſime frater, & in vnico Dei filio victor exulta: vicit per nos ille, pro ſe, cuius carnis veritas negabatur: vicit per nos & pro no-*

Theodor. epiſt. 116. ad Renatũ.

Extat. hæc epiſt. in reb' geſtis S. Abundij Comenſis Epiſc. quæ citantur à Baronio ad annũ 450. numer. 32.

S. Leo epiſt. 61. ad Theodor.

bis ille, cui vicimus. Quinetiam curam ei delegat, vt de omnibus, quæ exorientes adhuc molirentur hæretici, maximè verò Nestoriani, Apostolicam sedem sedulò faciat certiorem. *Quod superest,* inquit, *exhortamur vt quia illic nõnullas Euthychiani, ac Nestoriani erroris reliquias cognouimus remansisse, nunc etiam* (nota) *sedi Apostolicæ collabores. Vnde in hoc quoque tuæ vigilantiæ sollicitudine voluimus adiuuari, vt tua relatione currente, quid apud illos religionis doctrina Dominica proficiat, Apostolicam sedẽ festines instruere, quatenus illius regionis Sacerdotes, in quocumque vsus & necessitas exegerit, adiuuemus.* Quod verò spectat ad Synodum Calcedonensem, cùm in prima Sessione omnium Patrum consensu intromissus fuisset Theodoretus, ea maximè de causa quòd S. Leo Pontifex maximus Episcopatum ei restituisset: Ita enim habetur actione 1. eiusdem Concilij. *Ingrediatur Reuerendissimus Episcopus Theodoretus, vt sit particeps Synodi, quia restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo:* Reclamante tamen impio Dioscoro cum Ægyptijs quibusdam Episcopis, qui eum Nestorianum esse calumniabantur, cùm maxima inde inter Episcopos concertatio exorta fuisset, interloquentibus iudicibus, sedere nihilominus iussus est Theodoretus, eiusque causa ad octauam vsque Sessionem dilata. In qua cum adhuc aduersarij Episcopi vrgerent, vt anathema diceret Nestorio, quod anteà sæpè per litteras (vt vidimus) fecerat, iterùm ingenuè præstitit, seque Catholicum esse, eiusdemque Nestorij aduersarium libenter professus est. Quo facto probauere omnes S. Leonis Papæ sententiam, à quo fuerat in

Ibidem sub finem.

Action. 1. Cõcil. Calcedonens.

communionem susceptus. Quid autem quæso inde elici potest, quod contra S. Leonis, Theodoretum restituentis, Decretū faciat? cùm nec Theodoretus vnquam à consessu prohibitus fuerit, quidquid dicat Simon; sed semper iudicis in Synodo personam egerit, etiam ante emissam ab eo fidei professionem.

OBIECTIO.

pag. 43. *Cùm Valla obseruasset dictū Canonem Antiochenum sibi maximè obstare, quòd Episcopo à Synodo prouinciali condemnato, nullus sit restitutioni locus, priùs, ait, subaudiri salua Pontificis auctoritate: Sed quid ineptius apud doctos, quàm res ad historiam Ecclesiasticam spectātes, scholæ euasionibus implicare.*

RESPONSIO.

At quid ineptius dixerim ego, quàm inde Vallam arguere, vnde potius commendari debuisset? cùm in hac, ab isto Canone, sūmæ Sedis exclusione (euasionem scholæ vocitet si libeat) piorū Franciæ Regum Caroli Magni, & Caroli Calui eius neporis exempla sit secutus: quibus cordi semper fuit sartam tectam summi Pōtificis auctoritatem, cùm de his Canonibus ageretur, cum hac eadem restringēte clausula, conseruare. Ac Carolus quidem Magnus, de Canone Synodi Nicænæ, pro contētionibus in Synodo prouinciali dirimendis, in Capitularibus agens. *Si quæ*, inquit, *causæ, vel contētiones inter clericos & laïcos, tam maioris ordinis quàm etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit vt secūdùm Synodum Nicænam congregatis, omnibus eiusdem prouinciæ*

Lib. 6. Capitul. cap. 287.

Episcopis iurgium terminetur: nec cui liceat, sine præiudicio tamen (nota) *Ecclesiæ Romanæ, cui in omnibus causis debetur reuerentia custodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias,* & c. Carolus autem Caluus in ea, quam ad Ioannem 8. Pontificem maximum scripsit epistola, duo eiusdem Nicæni Cõcilij Capitula, cum Canone Sardicensis Concilij, qui de Episcoporum ad sedem Apostolicam appellatione est, post B. Innocẽtium sagaciter sanè atque dilucidè satis explicans. *In eo*, inquit, *quod ad alias quemcúmque de Ecclesiastico ordine prohibet cõuolare prouincias aliud Capitulum Nicæni Concilij explicat, quod iubet, vt per singulas prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs, sine præiudicio tamẽ* (nota) *Romanæ Ecclesiæ: vt si maiores causæ, quarum vna est de Episcopi diiudicati appellatione, in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam sicut Synodus Sardicensis statuit, & vetus consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.* Quin & S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, ex Panormitano super Cap. Significasti ẽ. de electionibus, Cõcilia etiam generalia non posse præfigere legem Papæ asserit. *Immò*, inquit, *in omnibus statutis Concilij intelligitur tacitè excepta auctoritas Papæ.*

Carol. Caluus in epist. ad Ioann. 8. cap. 12. habetur inter epist. Hincmari.

S. Antonin. part. 3. summæ tit. 23. cap. 2. §. 6.

OBIECTIO.

Dato quòd locus sit appellationi, illam ad superiorem & immediatam sedem, nẽpe Patriarchalem, deuolui, à qua nullam esse appellationem testis est Imperator L. Sãcimus. 29. C. *de Episcop. audient.* Contra horum (*Patriarcharum*) sententiam locum non esse appellationi, à

pag. 43.

maioribus noſtris conſtitutum eſt.

RESPONSIO.

Quid ſi futilem prorſus ac ridiculam eſſe huius legis allegationem multiplici ratione mõſtrauero, numquid vanam dices Simonis conſequentiam? Primùm ergo ſi præſcriptam à Balſamone regulam attendamus, qua generaliter cuique licitum aſſerit contemnere, id quod pro ſe in Baſilicis non eſt poſitum. γενικῶς, inquit, ἐξεστιν ἑκάστῳ τῆ ἰδία ἑαυτῆ καταφρονεῖν ἔκ τινος εἰς τὰ βασιλικά. Vnde paulò pòſt non audiendam ait, quandam Iuſtiniani nouellã, eò quòd non ſit poſita in Baſilicis μηδὲ ἑτέρᾳ ἰουστινιανείῳ νεαρᾷ προχῆς ἑτερόν τι λεγούσῃ, ὅτι οὐδὲ ἐτέθη εἰς τὰ βασιλικά, hanc meritò legem reſpuemus, quæ eiuſdem Balſamonis teſtimonio in Baſilicis non reperitur. Illius textus eſt huiuſmodi, τὸ πλάτ(ον) ὃ τῆς κθ. διάτ. ὅπως ἐκ κεῖται εἰς τὰ βασιλικὰ ὅπως ἔχῃ. Et cap. 6. tit. 9. Η ἡ. διάτ. τῶν. πτ. τῶ ἁ. βιβλίῳ ἐκ κεῖ) εἰς τὰ βασιλικά, ὃ) ἡ κθ. διάτ. τῶ ἀυτῶ πτ. II. Malè, ne dicam malitioſè, Simon Patriarcharũ nomen inter duas lineas intulit, vt ad Patriarchas referri ſignificaret, quod tamen in ipſo legis contextu de Epiſcopis clariſſimè eſt dictum. En Germanus textus. κ(αὶ) ἡ(μῖ)ν τοιούτων ἐπισκόπων ἀποφάσεων, ἐκ ἔ) χωρεῖν ἐκκλήτω τοῖς πρὸ ἡμῶν νενομοθέτη). quem Latinè ita reddidit Antonius Contius. *Contra namque huiuſmodi Epiſcoporum ſententias non eſſe locum appellationi, ab his qui nos præceſſerunt, ſancitum.* Quin & Theodorus Balſamon eumdem legis textum recitans, Epiſcopales eas ſententias appellat, à quibus prouocare non licet. τὸ πλάτ(ον), inquit, τῆς κθ διατ. ὅπως ἔχῃ. κ(αὶ) γὰρ τῆ(μῖ)ν τοιούτων ἐπισκοπικῶν ἀποφάσεων, ἐκ ἔ) χωρεῖν ἐκκλήτω τοῖς πρὸ ἡμῶν νενομοθέτη).

Theodor. Balſam. in Nomocan. tit. 9. cap. 1.

Ibidem.

Ibidem.

In Nomoc. cap. 6. tit. 9.

L. Sãcimus 29. C. de Epiſcop. audient.

In Nomocan. cap. 1. tit. 9.

quem textum etiam Latinus interpres Agilæus ita vertit. *Ipsa autem 29. constitutio hunc ad modum habet, aduersus enim tales Episcopales sententias, prouocationis locum non esse, à prædecessoribus nostris lege cautum est.* Vt quid ergo suppositum Patriarcharum nomẽ, cùm de Episcopis quæstio sit? Adde quod hæc verba constitutioni apposita. *Sicut à prædecessoribus nostris sancitum est*, apertè innuũt, non de Patriarchis, sed de Episcopis dictum quod ibidem legitur. Plures namque Imperatorum cõstitutiones reperiuntur, quæ ab Episcoporum iudicijs prouocare vetant, nulla autem quæ à solis Patriarchis. Prodeat Constantinus qui ad Ablacium præfectum prætorio, ita pro Episcopis rescribit. *Sanximus*, inquit, *sicut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis discretione inuiolatas semper incorruptásque seruari, scilicet vt pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum? Siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatũ, apud vos qui iudiciorum summam tenetis, & apud cæteros omnes iudices ad executionem volumus peruenire.* Et paulò infrà, *Omnes itaque causæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuo stabilitatis iure firmentur, nec liceat vlteriùs retractare iudicium, quod Episcoporum sententia decideri.* Quem secutus Theodosius Imperator, eandem sententiæ Episcopi quam præfecti prætorio exhiberi reuerentiam, adeò vt ab ea prouocare non liceret, sanciuit. *Episcopale*, inquit, *iudicium ratum sit omnibus qui se audiri à Sacerdotibus elegerint, eámque illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quam ve-*

De Episcop. iudicio L. 1. Cod. Theodos.

Citatur in Capitular. l. 6. cap. 281.

ſtris deferri neceſſe eſt poteſtatibus, à quibus non licet prouocare. Ideò verò hæc de Epiſcopis ab Imperatore addita fuêre, quia paulò antè iure nouo ab ijſdem ad Patriarchas prouocationem licitam eſſe declarauerat, quod iure antiquo, vt monſtrauimus, non licebat. III. Etſi Imperator iudicatis Patriarchæ (ita enim loquitur) omnimodo ſtari, tamquam ſi ab initio contigiſſet ipſum iudicium eſſe, in citata lege pronuntiauerit, nihil tamen de prouocatione habet vt eam prohibeat; nec quod habetur vt omnimodo iudicato ſteturr, prouocationem neceſſariò excludit, cùm ea tantùm ratione dictum ſit, vt firmum ac ſtabile Patriarchæ iudicatũ monſtraretur, abſque præiudicio tamen appellationis ad eum qui maiori auctoritate pelleret, quem circa eiuſdem legis medium, ἀρχιεράπικον θρόνον, id eſt, *principalem ſedem*, ad differentiam quippe Patriarchalis, à qua eã ſecernere videtur, appellat. Quam quidem non niſi Romanam eſſe, ex eiuſdem Imperatoris epiſtola ad Epiphanium Conſtantinopolitanum Patriarcham ſcripta ſatis apparet, vbi ea omnia quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent ad hunc venerandum thronum, tamquam caput omnium ſanctorum Dei Sacerdotum debere referri ingenuè proteſtatur. ἔτι γάρ, inquit, ἀνεχόμεθα τι τῆς εἰς ἐκκλησιαστικὼ ὁρόντων κατάσεσιν, μὶ καὶ τῆ αὐτῆ ἀναφέρεθαι μακαριότητι, ὡς κεφαλῆ ὄση (nota) πάντων τῶ ὁσιωτάτων τῶ θεῶ ἱερέων, ἢ ἐπειδὴ ὁσαῖκεις ἐν τούτοις τοῖς μέρεσιν αἱρετικοὶ ἀνερύησαν, τῆ γνώμη καὶ ὀρθῆ κρίσι τῶ ἐκείνε σεβάμιε θρόνε καθηργήθησαν. Eſto verò vt per hæc verba prouocatio inhibeatur, certum tamen eſt non alia de cauſa ſtatutum iſtud fuiſſe, vt notat gloſſa in Authent.* *Si quis liti-*

L. Sancimus C. de Epiſc. audient.

L. 7. C. de ſumma Trinit. & fid. Cathol.

* Ad Lẽg. Sancimus C. de Epiſcop. audient.

gantium, quam ne secundò ab eodem litigatore appellaretur, & hoc in odium appellantium: non autem vt Ecclesiasticæ per hoc quidquam detraheretur iurisdictioni. Ideò namque Imperator de eo qui læsus fuit expresse præmittit, vt constaret quare iudicato stari ab eodem voluerit, vt nempe non iterùm appellaret. Denique pro peremptoria solutione notandum est, Imperatorem ibi tantùm loqui cùm de rebus ciuilibus inter litigantes agitur, huc enim spectant prima eiusdem constitutionis verba. Διοπίζομαι, inquit, μηδένα τῶν Ibidem.
κληρικῶν εἴτ' οὖν ἀπὸ πυ & συγκληρικὸς εἴτ' οὖν ἀπὸ τῆς καλυβούων λαϊκῶν τινὸς ἐν ὑποθήκης ἐν αἰτιάσωνται.
Sancimus, inquit, *neminem venerabilium clericorum, siue à quodam synclerico, siue ab eorum qui laïci vocantur, aliquo statim & prima instantia conueniri*, &c. Vbi cùm de laïcis clericos conuenientibus quæstio sit, non nisi de ciuilibus negotijs agi certissimum est: cùm præsertim circa finem cõstitutionis de rebus Ecclesiasticis agat. Adde quod quidquid sit quod idem Imperator per hanc legem statuerit, sicut per eam constitutionibus præcedentium Imperatorum derogatum vidimus; sic & illi à Carolo Magno, Imperatore vtique & Franciæ Rege derogatum fuit, dum hæc in suis Capitularibus sanciuit. *Quandocúmque*, inquit, *à quibuslibet iudicibus* Capitul. lib.
Ecclesiasticis ad alios iudices Ecclesiasticos, vbi est maior 5. cap. 250.
auctoritas, fuerit prouocatũ, non eis denegatur, qui prouocauerint. Et alibi clariùs de Romano Pontifice loquens. *Si litem*, inquit, *habuerit Episcopus cum alio* Capitular.
Episcopo, non alterius, sed suæ prouinciæ iudices quærat; lib. 6. c. 64.
& vt iudicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare iu-

dicium, & si necesse fuerit, liberè Episcopum adire Romanum. Item alibi. *Si maiores causæ in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, vt sancta Synodus statuit, & loca consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur.*

Capitular. eod. lib. cap. 287.

OBIECTIO.

pag. 43. *Omitto prætereà in 8. Synodo, quæ celebrata est in fine noui sæculi, decretum fuisse, vt appellationes ad Patriarchas deferrentur, quò litibus finis imponatur.*

RESPONSIO.

Quid inde? Canonis textum, quem retices, prosequere, tumque apparebit, quid de isto Canone sit tenendum. Ratione quippe reddens Canon ille delationis litium ad Patriarchas, quò eis finis imponeretur, addit expressè, *vt nullatenus Metropolita in Metropolitam, aut Episcopus in Episcopū vicinum ius habeat.* Ad quid istud? fiebat litibus mora, dum quisq; se à Metropolita vel Episcopo suo grauatum existimans, ad alium Metropolitam vel Episcopum vicinum confugiebat: ideò Synodus vt finis litibus citiùs imponeretur, prudenter admodùm vetuit, ne cuique grauato liberum esset quemlibet Metropolitam vel Episcopum licèt vicinum adire, sed tantùm Patriarcham: sic enim fieret vt citiùs litibus finis imponeretur, vtraque parte vi Canonis coram Patriarcha ad respondendum coacta. At verò quid præiudicat Canon iste sanctæ Apostolicæ sedis priuilegio, tot Canonibus fulcito, tot exemplis confirmato, quo liberū cuique semper fuit, à quocumque tandem grauа-

Concil. 8. can. 26.

tum se sentiret, ad eum per appellationem confugere? Vidimus nuper ex Canone Sardicēsis Concilij, & Capitularibus Regum Franciæ, & Imperatorum Caroli Magni, & Caroli Calui eius nepotis: Iam videamus & alia. *In institutis legitur Apostolicis*, inquit S. Victor Pontifex & Martyr, *si quis putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Patriarcham seu Primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem.* Quod & S. Iulij summi vtique Pontificis auctoritate roboratur, in præclara illa, quā pro S. Athanasio cōtra Orientales scripsit, epistola: *Si quis*, inquit, *putauerit se à proprio Metropolitano grauari, apud Primatū diœceseos aut penes vniuersalis Ecclesiæ Papam iudicetur.* Alia proferrem nisi octaua ipsa Synodus, quæ Canonem quo de agitur edidit, præclarum mihi exemplum suggereret. In actione enim tertia lecta est & approbata epistola Ignatij Patriarchæ Constantinopolitani ad Nicolaum 1. Pontificem maximum, in qua depositus licèt & exauctoratus non à Photio tantùm Patriarcha intruso; sed & à Pseudosynodo Constantinopolitana, ad quam fere trecenti decem & octo, ex toto Oriente, conuenerāt Episcopi, se ad eum tamen, opem & auxilium petiturus, confugere profitetur. *Tu*, inquit, *sanctissime domine, ostende in me viscera misericordiæ, & iuxta illum magnum Paulum, dic etiam, Quis infirmatur, & ego non infirmor? In mentem reuoca prædecessores tuos Patriarchas Fabianum, inquam, Iulium, Innocentium, Leonem, & vt breuiter dicam, omnes, qui pro veritate aduersus iniustitiam viriliter se gesserunt, & hos imitare, & ad vindictam nostri, qui tot iniusta passi sumus, exurge.*

S. Victor Epist. 1.

S. Iulius in epist. ad Orient. cap. 4.

Baron. ad annum 851. numer. 31.

Quin & Basilius Macedo qui tunc tẽporis Orienti imperabat, maximam illam quæstionem, quæ totum perturbauerat Orientem, super Ignatij depositione, & Photij in sedem Constantinopolitanam intrusione motam, per Romanũ Pontificem decidendam esse, in scripta ad eundem Nicolaum epistola protestatur. *Vt autem*, inquit, *manifesta etiã his qui ex sorte sunt Photij, vestra diuina & Apostolica fiat sententia, tam de sanctissimo Patre nostro & Patriarcha Ignatio, quàm de miserrimo Photio destinati sunt ab amabili Christo Imperio nostro ad paternam sanctitatem vestram, ab vtraque parte Apocrisarij.* Et post pauca. *Hos volumus vt paterna sanctitas vestra suscipiat, & in conspectu Episcoporum, qui ex vtraque parte directi sunt, quæ videbuntur sanctitati tuæ Ecclesiasticis legibus atque Canonibus de summis sacerdotibus & sacerdotibus sanciat: Cum hisque mittat nobis Reuerendos Apocrisarios, vt certificetur expressius & purius Ecclesia nostra, cuius voluntatis sanctitas tua super vtrisque consistat. Ita Pater spiritualis, & diuinitus honorande summe Pontifex, accelera pro Ecclesiæ nostræ correctione & conflictu contra iustitiam, atque veritatis satisfactionem, multam nobis congeriem bonorum donare, ideſt vnitatem mundam, Ecclesiam in Christo vnam, & ouile vni obsecundans pastori, cuius tu minister ac immolator existis verissimus.*

Baron. ad annum 867. numer. 107.

Huic Anastasius Bibliothecarius eiusdem Basilij Imperatoris ad legatos Hadriani 1. qui Nicolao successerat, verba referens. *Quapropter*, inquit, *nos cum Orientalibus Patriarchis, Metropolitis atque Episcopis, censuram sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ per biennium præstolantes propter Dominum petimus, vt Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando au-*

Anastas. in Hadria. 2. Baron. ad annum 869. numer. 21.

ctoritate vestri sacri Collegij tam pestiferæ Photianæ tergiuersationis scãdala pellantur, quatenus vnitas & tranquillitas optata diutius iuxta Decretum (nota) *sanctissimi Papæ Nicolai restaurentur.* Et alibi de expulsione Photij & restitutione Ignatij per eundem Imperatorem facta, agens. *Basilius*, inquit, *Imperator secundum* (nota) *Romanæ Ecclesiæ constitutum, peruasorem Photium depulit, & Ignatium Patriarcham populo annuente Patriarchio restituit.* Qualiter ergo Synodus octaua contra Romanum Pontificem pronuntiasset, quæ Ignatium ad Nicolaum confugientem, & ab eodem etiam ante Synodum restitutum, complexa est? Anastas. in Hadria. 2.

OBIECTIO.

Carolus Caluus Galliæ Rex & Imperator ad Ioannem 8. *apud Hincmarum cap.* 18. Iudicibus autem quos iuxta Africanos Canones, Primates dederint, siue quos ipsi vicinos ex consensu delegerint, causa finienda, regulariter prouocari non potest. pag. 43.

RESPONSIO.

Vidit equidem Simon huius epistolæ Caroli 18. Caput: at non vidit seu potius videre noluit ea quæ præcedunt capitula, in quibus idem Carolus, non solùm ea quæ de appellationibus scripturus est, Ioannis 8. summi Põtificis iudicio se subijcere profitetur: sed & secundùm Canones demonstrat Episcopi de gradu suo deiecti appellationem aliasque maiores causas, per prouocationem ad sedem Apostolicam deuolui. *Necessarium*, inquit ille, *duximus pandere sanctissimæ vestræ pater-* Carolus Caluus in epist. ad Ioann. 8. cap. 3. apud Hincmarũ.

nitati ac summæ auctoritati, qualiter regulas de honore in suo statu Episcoporum, & de appellatione, si necessitas & ratio in deiectione illorum poposcerit: sed & de apellatione Presbyterorum intelligimus, & intelligi à rectoribus transalpinarum Ecclesiarum didicimus, quatenus ab huius sanctæ sedis auctoritate, nostra sana, vt credimus intelligentia confirmetur, à qua fidei & religionis sumpsit initium & quotidie, gratias Deo, sumit augmentum. Et si quid malè in agro Dominico pullulat, Decreti vestri falce recidatur. Si etiam quorumcumque negligentia vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum. Et cap. 8. de appellatione ad sedē Apostolicam ex Canone
Ibid. cap. 8. Sardicensis Concilij loquens. *Et si isdem*, inquit, *accusatus & iudicatus Episcopus, congregatis eiusdem regionis Episcopis, de gradu suo deiectus, Apostolicam sedem appellauerit, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ, & ab eo se audiri voluerit, post iudicium scribendum est ab his qui causam examinarunt, Romano Pontifici. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium renouetur, & det iudices: Si autem probauerit talem causam esse, vt non refricentur ea quæ acta sunt, quæ decreuerit confirmata erunt. Et si iustum putauerit vt renouetur examē, scribere his dignetur Episcopis, qui in finitima & & propinqua prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quòd si is qui rogat causam suam audiri, deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt à latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi & quid velit & quid æstimet. Et si decreuerit mittendos esse qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt*

vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio iudicauerit. Deinde cùm in cap. 10. Nicæni Concilij Canonem protulisset, hæc cap. sequenti addit. *Huius sanctæ Synodi constitutionem Sardicenses Canones non conuellunt, qui cum Pontificis Romani vicario vel arbitrio, causam Episcopi in Concilio Prouinciali iudicati, etiam Episcoporum arbitrio vel iudicio qui eum iudicauerunt, cum Episcopis qui in finitima vel propinqua prouincia sunt, præcipiũt terminari.* Et cap. 12. vt aperte ostenderet Nicænos Canones à Sardicensibus non discrepare, post allatum B. Innòcentij testimonium in ea, quam ad Victricium Rothomagensem Episcopum scripsit, epistola; vbi hæc inter alia: *Nec alicui liceat, sine præiudicio Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debetur reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesiam nutu diuino gubernant, ad alias conuolare prouincias. Si autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale, referantur:* Postmodum addit. *In eo quod ad alias quemcumque de Ecclesiastico ordine prohibet cõuolare prouincias, aliud Capitulum Nicæni Concilij explicat, quod iubet, vt per singulas prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs, sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ: vt si maiores causæ quarum vna est de Episcopi diiudicati appellatione, in medio fuerint deuolutæ, ad sedem Apostolicam, sicut Synodus Sardicensis statuit, & vetus cõsuetudo exigit, post iudicium Episcopale, referantur. Scilicet vt aut iuxta præmissum septimum Sardicensis Concilij capitulum, appellantis Episcopi causa in prouincia in qua fuit exorta definiatur: aut iudicium Episcoporum prouinciæ, secũdum Decreta Bonifacij, Apo-*

Ibid. c. 12.

Ibidem.

stolicæ sedis auctoritate confirmetur; & sicut Leo scripsit, eiusdem sedis sententia roboretur. Hinc ergo plùs satis patet, saltem maiores causas per appellationem ad summum Pontificem deuolui. Quod verò addit, *à iudicibus*, & c. *prouocari non posse*, præcedentibus refragari nequit, cùm præsertim hæc duo verba (*causa finienda*) per quæ Caroli Augusti intentio demonstraretur, addita fuerint. Dum enim dixisset, *non nisi post iudicium Episcopale*, id est, causa finita appellationem iuridicè deuolui ad sedem Apostolicam, rectissimè addere potuit, ante iudicium datum, id est, *cùm causa adhuc finienda* foret, regulariter non posse prouocari, sed finiendam ibi causam vbi exorta fuisset. Cuius rei cap. 20. optimam rationem reddens: *Quia*, inquit, *pro singulis Presbyteris Episcopi Transalpini regulariter iudicatis missis dirigere, & actionis documenta scribere non valent, nec testium necessarias personas, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel pro multis alijs impedimentis huc producere, fiducialiter poterit mentiens quique innocentiam suam asserere, cùm non erit qui mendacia eius possit refellere. Vnde sicut præmisimus, legum & Canonum conditores prudentissimè iustissimeq; viderunt, quæcúmque negotia in suis locis vbiorta sunt, finienda, & per expressa regularum iudicia discretissime iudicanda, & post iudicium conseruanda.* Non ergo appellationem causa finita, sed duntaxat antequam causa finiatur, Carolus improbat.

Ibid. c. 20.

OBIECTIO.

pag. 44. *Et cap. 19. eas appellationes Episcoporum in Transalpinis regionibus locum habere refert, quo innuit non habere in ceteris prouincijs.*

RESPONSIO.

Vnde tibi quæso, tam subtilis argumentatio? Nego sequi, respondebit Philosophus. Ductum enim à particularibus ad vniuersalia argumẽtum non concludit, nisi aliquid in propositione reperiatur quod eam restringat. Si equidem Carolus eas appellationes Episcoporum, non nisi in Trãsalpinis regionibus locum habere retulisset, optima certè fuisset Simonis conclusio: at cùm ex sua ipsius confessione simpliciter, ac sine vlla restrictione Carolus asserat locum habere in Transalpinis regionibus, ingenuè iam fateatur Simon, se non benè Philosophatum fuisse; nihilque impedire quominùs quis ex dicto Caroli appellationes istas, & in ceteris prouincijs locum habere, concludere possit.

OBIECTIO.

Porrò, tantùm abest vt hoc ius appellationum sit iuris diuini, quin ex ipsis Canonibus probaui ius nouum statui. Gelasius ad Faustum, Ipsi, *inquit*, sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluere deferri. pag. 45.

RESPONSIO.

Ita sanè Gelasius: Attamen paulò antè dixerat. *Nobis opponunt Canones, dum nesciunt quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quòd primæ Sedi sana rectáque suadenti parere fugiunt.* Vndè perspicuum fit, Gelasium ipsum non tam Canones allegasse, quàm ab aduersarijs allegatos in eosdẽ retorsisse: vt ostenderet se ius quidem ex his sumere, non Gelas. in Commonitor ad Faustum, apud Baron. ad annũ 493. num. 14.

autem ex ijsdem habere. Namque paulò pòst vt ostenderet ex quo fonte summa illa potestas in Apostolicam sedem manarat, addit. *Ineptias itaque suas sibi seruent nisi resipiscant, potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam, qua confessioni B. Petri Apostoli inferni portas numquam præualituras asseruit. Quapropter non veremur ne Apostolica sententia resoluatur, quam* (nota) *& vox Christi, & maiorum traditio, & Canonum fulsit auctoritas, vt totam potius Ecclesiam semper ipsa diiudicet.*

Ibidem numer. 21.

Obiectio.

pag. 45. *Ius prouocationis ad summum Pontificem, ante Nicænam Synodum non extitisse demõstrauimus.*

Responsio.

Numquid verò falsi, vel certè mendacij, argues summos ipsos Pontifices, sanctitate conspicuos, martyrijque corona decoratos, Anacletum dico, Sixtum, Anicetum, Victorem, Melchiadem, aliosque, qui huius prouocationis ad Apostolicam sedem, etiam ante Nicænam Synodum, in suis epistolis meminerunt? *Si difficiliores,* inquit S. Anacletus, *orta fuerint quæstiones, aut Episcoporum, vel maiorum iudicia, aut maiores causæ fuerint, ad sedem Apostolicam, si appellatum fuerit, referantur; super quam Christus vniuersam cõstruxit Ecclesiam.* S. verò Sixtus. *Si quis vestrum,* inquit, *pulsatus fuerit aliqua aduersitate, libenter hanc sanctam & Apostolicam appellet sedem, vt ad eam quasi ad caput suffragium habeat, ne innocens damnetur, aut Ecclesia sua detrimẽtum patiatur.* S. Anicetus de Metropolitano incorrigibili loquens. *Si,* inquit, *propter nimiam longinquitatem, aut temporis in-*

S. Anaclet. epist. 3.

S. Sixtus epist. 2.

S. Anicet. in epist. ad Episc. Galliæ.

commoditatem, vel itineris asperitatem graue ad hanc sedem eius causam deferre fuerit, tunc ad eius Primatem causa deferatur, & penes ipsum huius sanctæ Sedis auctoritate iudicetur. S. Victor. *In institutis,* inquit, *legitur Apostolicis: Si quis putauerit se à suo Metropolitano grauari, apud Patriarcham, seu Primatem diœceseos, aut penes vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ iudicetur sedem.* S. Victor epist. 1.

S. denique Melchiades. *Si verò,* inquit, *se viderit quisque vestrum prægrauari, hanc sedem appellet, huc recurrat, vt semper instituta fuit consuetudo.* S. Melch. epist. 1. Quid ergo Victor cùm in institutis legi Apostolicis, quid Melchiades cùm semper institutam fuisse consuetudinem, vt ad sedem appellaretur Apostolicam, tam audacter affirmant? Nónne apertè non ab alijs quàm ab Apostolis traditant, receptamque huiusmodi consuetudinem innuunt? Tertullianus certè, & S. Cyprianus Synodum Nicænam præcesserunt, & tamen huiusce prouocationis exemplа protulerũt: ille quidem Praxeę ad Apostolicam sedem confugientis, hic autem Basilidis, & Martialis Hispaniæ Episcoporum S. Stephanum Pontificem appellantium, vt paulò antè vidimus. Tertull. aduersus Praxeam. S. Cypr. lib. 1. epist. 4.

OBIECTIO.

Sardicensis Concilij Canones nec in illa prouincia obseruatos ante Nicolaum vix reperies. pag. 45.

RESPONSIO.

Numquid verò de vniuersis in Sardicensi Concilio editis Canonibus, an de singulari tantùm illo Canone, qui de prouocatione ad summum Pontificem agit, hæc asseris? Si de vniuersis, mirum

certè fuit quomodo vix editi tam citò & per aliquod tempus exciderint, nisi dolo malo Arianorum ægrè se in eo damnatos ferentium (quando suppositos Canones Catholicæ fidei prorsus repugnantes, sub emendicato eiusdem Concilij nomine, vt veros eluderent, aliquantò post legitimum istud celebratum Concilium, euulgarunt) id factum quis contendat. Si de singulari, cùm iam, vt vidimus, vbiuis gentium recepta, tanquam ab Apostolis tradita, consuetudo esset prouocandi ad summum Pontificem; quid miraris si huic iuri nihil noui à Sardicensi Canone additum, sed tantùm iudicij formam per eum præscriptam respondeamus? *At*, inquis, *ante Nicolaum in nulla prouincia obseruatum vix reperies.* Quid si contrarium, inductione monstrauero, iusque illud prouocationis ad summum Pontificem non in vna tantùm, sed in omnibus prouincijs Christi fide imbutis, etiam ante Nicolaum Pontificem obseruatum, numquid veritati manus dabis? Sãctus equidem Chrysostomus Nicolaum præcessit, & tamen à Theophilo Patriarcha Alexandrino, alijsque eiusdem factionis Episcopis depositus, Innocentium summum Pontificem appellauit. *Si*, inquit idem S. Chrysostomus ad eundem Innocentium scribens, *voluerint auctores sceleris aperire crimina, quorum gratia me iniustè ejecerunt, dentur nobis commentaria, libelli proferantur in medium, veniant accusatores mei, sedeat incorruptum intemeratumq; iudicium: non recuso, non renuo, immò & constanter hoc expeto.* S. Basilius ante Nicolaum floruit, & tamen cùm Catholicam fidem in maximo versari periculo, pro-

S. Chrysost. in epist. ad Innocent. apud Bar. ad annum 404. numer. 35.

pter ea quæ in Ariminensi Concilio violēter acta fuerant, ad summum Pontificem Romanum esse cōfugiendum, vt imminenti malo succurrerer, ad S. Athanasium rescripsit. *Visum est*, inquit, *consentaneum scribere ad Episcopum Romanum, vt videat res nostras, & iudicij sui decretum interponat: vt quia difficile est aliquos inde de Concilij sententia mitti, ipse auctoritatem rei tribuat delectis viris, qui laborem quidem itineris perferre possint, lenitate verò ac facilitate morum, tum etiam commoda & prudente oratione eos qui à via recta deflexerunt monere, quique acta Concilij Ariminensis secum ferant ad ea rescindendum quæ violenter illic acta sunt.* S. Britius Turonensis Episcopus Nicolaum anteceſſit; & tamen aduersariorū calumnijs oppressus, ad summum Romanæ sedis Antistitem, à sede pulsus appellauit, à quo & in sedem suam restitutus fuit. *Britio electo*, inquit Gregorius Turonensis, *Iustinianum Episcopum constituunt. Denique Britius Romanæ vrbis Papam expetijt. Post cuius abscessum aiunt Turonici sacerdoti suo, vade post eum & exerce negotium tuum. At Britius Episcopus Romam veniens cuncta quæ pertulerat Papæ refert. Septimo igitur anno regressus à Roma cum auctoritate Papæ illius Turoneos redire disponit.* Quin & eodem tempore Gallicanos Episcopos sedem Apostolicam appellare consueuisse, testis est locuples. S. Leo qui tunc eidem præsidebat, in epistola ad Episcopos Viennensis prouinciæ. *Nobiscum*, inquit, *vestra fraternitas recognoscat Apostolicam sedem pro sui reuerentia, à vestræ etiam prouinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diuersarum (quemadmodum vetus consuetudo poscebat) appellatione causarum aut*

S. Basil. epist. 52.

Gregor. Turonens. hist. Franc. lib. 2. cap. 1. & lib. 10. cap. 31.

S. Leo epist. 89.

retractata, aut confirmata fuisse iudicia. Theodoretus Cyri Episcopus Nicolao anterior fuit, & tamen cùm in prædatoria illa Ephesina Synodo à Dioscoro, alijsque eiusdem farinæ Episcopis condemnatus fuisset, sanctum Leonem appellauit. *Ego verò*, inquit ille ad eundem rescribens, *suffragium sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro atque obsecro sanctitatem vestram, vt ea me tribunal vestrum rectum, ac iustum appellantem* (Græcus textus habet, τὸ ὀρθὸν ὑμῶν ἐπικαλούμενον κριτήριον) *defendat & protegat, iubeátque vt ad vos occurram, & doctrinam meam vestigijs Apostolicis insistentem ostendam.* Orientales illi Episcopi, qui ob persecutionem Acacij vehementioribus angustiati pressuris, ad Symmachũ summum Pontificem confugêre, ante Nicolaum extiterunt: nec tamen eius auxilium implorare dęsierunt. *Tu*, inquiunt in epistola ad eum scripta, *affectuosus in filijs pater, non in visione, sed in veritate spiritualibus cernens oculis, pereuntes in prauaricatione patris nostri Acacij noli remorari, magis aiũt* (vt ita dicam *sine Propheta*) *non dormites, sed festina ad liberandum nos: quia non in ligando tantùm potestas est tibi data, sed in soluendo quoque diu vinctos ad imitationem magistri.* Et paulò pòst. *Non ignoras sathanæ ingenium, qui quotidie à sacro doctore tuo Petro doceris, oues Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi, pascere non vi, sed sponte coactas.* Et infrà. *Quare festina iuuare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum & Paulum, ad illuminationem totius mundi Saluator direxit.* Salonius Ebredunensis, & Sagittarius Vapingensis, Galli Episcopi, ante Nicolaum in viuis fuerunt; & tamẽ cùm in primo Lugdunensi Con-

Theodoret. epist. 113. ad S. Leonem.

Extat. tom. 2. epist. Roman. Pōtif. & apud Baron. ad annum 512. numer. 50.

cilio, *Episcopatus honore priuati fuissent*, ait Gregorius Turonensis, *ad regem* (Gunthrannum) *accedunt, deplorantes se iniuste remotos, sibique tradi licentiam, vt ad Papam vrbis Romæ accedere debeant. Rex verò annuens petitionibus ipsorum datis epistolis eos abire permisit. Qui accedentes coram Papa Ioanne, exponunt se nullius rationis existentibus causis deiectos. Ille verò epistolas ad Regem dirigit, in quibus locis suis eosdem restitui iubet. Quod Rex sine mora, castigatis prius illis verbis multis, impleuit.* Hadrianus Thebanæ ciuitatis in Boëtia Episcopus ante Nicolaum vixit, & tamen cùm à Coepiscopis suæ prouinciæ condemnatus fuisset, sanctum appellauit Gregorium, qui hanc, vt ipsemet testatur, sententiam aduersus primæ Iustinianæ Archiepiscopum condemnationis auctorem, tulit. *Quod ad præsens attinet*, inquit, *cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri principis Apostolorum auctoritate decernimus, triginta dierum spatio te sacra Communione priuatũ, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa patientia ac lacrymis exorare. Præfatum verò Hadrianum fratrem & Coëpiscopum nostrum, ex tua sententia (vt diximus) nequaquam Canonibus, neque legibus existente damnatum, in suum locum atque ordinem reuerti, Christo comitante, disponimus.* Omitto Isidorũ virum illustrem, à Ianuario Episcopo Calaritano in Sardinia iniustè excommunicatum: omitto Florentium Epidauritanæ Ecclesiæ Episcopum, non secundùm Canones damnatum: omitto Ianuarium Malacitanum, & Stephanum alterius Ecclesiæ in Hispania Episcopos, qui Comitioli viri potentis opera abstracti à suis Ecclesijs, à quibusdam alijs

S. Gregor. Turonens. lib. 5. hist. Fran. c. 20.

S. Gregor. lib. 2. epist. 6. indict. 11.

S. Gregor. lib. 2. epist. 34. indict. 10.

Idem lib. 2. epist. 19. indict. 11.

Episcopis condemnati in exilium detrusi fuerant: omitto complures alios, quos constat ad eundem S. Gregorium per appellationem confugisse. Machārius Antiochenus Episcopus ante Nicolaum fuit; & tamen cùm in sexta Synodo Constantinopoli celebrata, cum sequacibus Monothelitis cōdemnatus fuisset, Romanum Pontificem Agathonem appellauit. Vnde Constantinus Pogonatus Imperator in epistola ad finem actionis 17. eiusdē Concilij appositā, de ijs agens. *Vniuersalis*, inquit, *conuentionis communi sententia, de Sacerdotali dignitate repulsi sunt, & probationi sanctissimi Papæ traditi sunt.* Quod & clariùs testatur in alia ad Leonem secundum Pontificem Agathonis successorem, scripta epistola. *Ipsi autem*, inquit, *scriptis precibus serenitatem nostram communiter omnes deprecati sunt, vt se ad vestram beatitudinem mitteremus. Sic igitur fecimus, eósque ad vos misimus, vestro paterno iudicio omnem ipsorum causam permittentes.* Denique Carolus ille Magnus, & Carolus Caluus eius nepos, Imperatores, & Franciæ reges Nicolaum antecesserunt; & tamen ille in Capitularibus, hic verò in epistola ad Ioannem 8. summum Pontificem scripta, Sardicensis Cōcilij Canonem, qui de prouocatione est ad sedem Apostolicam, non tātùm esse obseruandum edicunt, sed & iam obseruatum non obscurè testantur, vt suprà vidimus. Vnde per quā optimè concludas, falsam prorsus esse Simonis sententiam, qua Sardicēsem hunc Canonem ante Nicolaum in nulla prouincia obseruatum tam audacter asseruit: cùm è contrariò ab ipsa eius promulgatione, semper & vbique, & ab omnibus piè reli-

Idem lib. 13. epist. 52. indict. 6. edit. Roma.

Citatur à Baron. ann. 681. numer. 47.

Ibidem numer 48.

gioſeque ſeruatum, per teſtes idoneos, auctores, inquam, cuiuſque ſæculi præcipuos, apertè demonſtrauerim.

OBIECTIO.

Sic autem habent can. 3. Similiter prouidendum eſt, *& quæ ſequuntur ex eodem Canone.* pag. 45.

RESPONSIO.

Ad quid verò Gaudentij additionem, in ſequẽti Canone propoſitã omiſiſti? Timebat certè ne ius appellationis ad ſummũ Pontificem, litibus finem imponens omnibus innoteſceret. *Addendum*, inquit ibi Gaudentius, *ſi placet huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, vt cùm aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit eorum Epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, & proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma, alter Epiſcopus in eius Cathedra, poſt appellationem eius qui videtur eſſe depoſitus, non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio Epiſcopi Romani determinata.* Græcus textus habet, ἐὰν μὴ ὁ τῆς ῥωμαίων ἐπίσκοπος ἀπηγοὶς περὶ τούτου ὅρον ἐξενέγκῃ. Concil. Sardic. can. 4.

OBIECTIO.

Facile mihi eſſet probare, & hunc Canonem nouam iuriſdictionem concedere Pontifici, & huius rei teſtem Hincmarum proferre, in epiſtola memorata ad Ioannem 8. *cap.* 11. *&* 12. pag. 46.

RESPONSIO.

Prodeat ergo non quidem Hincmarus, ſed Carolus Caluus Imperator, & Franciæ rex, huius epiſtolæ auctor in dictis Capitulis, legitimus teſtis, vt temeraria productionis illius præſũptio omnib⁹ pateat. Hæc ergo habet in allegato cap. 11. *Huius* Carol. Caluus in epiſt. ad Ioann. 8. cap. 11.

ſanctæ Synodi (Nicænæ) *conſtitutionem Sardicenſes Canones non conuellunt, qui cum Pontificis Romani vicario, vel arbitrio, cauſam Epiſcopi in Prouinciali Synodo iudicati, etiam Epiſcoporum arbitrio vel iudicio, qui cum iudicauerunt, cum Epiſcopis qui in finitima & propinqua prouincia ſunt, præcipiunt terminari, quatenus ſiue in manenda, ſiue in immutanda ſententia iuxta Nicænos Canones commune ſit placitum.* Vbi de noua iuriſdictione ne verbum quidem, ſed tantùm Canonem Nicænũ cum Sardicenſi conferens, nullo modo inter ſe pugnare aſſerit. In Capitulo verò ſequenti tantùm abeſt vt iuriſdictionem illam ſummi Pontificis nouam eſſet dicat, quin potius è vetere conſuetudine deprõptam, diſertis verbis teſtatur. *In eo*, inquit, *quod ad alias quemcúmque de Eccleſiaſtico ordine prohibet conuolare prouincias, aliud Capitulum Nicæni Concilij explicat, quod iubet vt per ſingulas prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſijs, ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ; vt ſi maiores cauſæ, quarum vna eſt de Epiſcopi diiudicati appellatione, in medio fuerint deuolutæ, ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus Sardicenſis ſtatuit, & (nota) vetus conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referãtur.*

Ibid. cap. 12.

OBIECTIO.

Cùm Africani Epiſcopi reclamarint monitorio Zozimi, apertè oſtenderunt hoc ius nouum, & antè incognitum fuiſſe, neque Pontifici Decretis Synodi Nicænæ, multoque minùs iure diuino, competere: quia ſi ita fuiſſet, numquam de ea re cõtrouerſiam mouiſſent Zozimo.

pag. 40.

RESPONSIO.

Si qua Africanorũ reclamatio, nequaquam ſu-

per appellationum iure, sed super allegato duntaxat Nicænæ Synodi Canone, qui in Africanis exēplaribus minimè reperiebatur, facta fuit: ideò enim duo legati Innocentius Presbyter, & Marcellus Subdiaconus Ecclesiæ Carthaginensis, in Orientem ad perquirendos Nicænos Canones ab ijsdem missi sunt. Interim verò dum perquirūtur, vt innotesceret super appellationibus nullam per eos quæstionē fuisse motam, hæc ad Bonifacium Zozimi successorem, eosdem scripsisse reperimus. *Vt Romam*, inquiunt, *liceat Episcopis prouocare, & clericorum causæ apud suarum prouinciarū Episcopos finiantur, iam priore anno etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriæ Zozimum datis, insinuari curauimus: vt ea seruare sine vlla iniuria sineremus, vsque ad inquisitionem statutorum Concilij Nicæni.* Nec enim ignotare poterant Africani, Faustinum Zozimi Pontificis legatum, non Canonibus solùm, sed & ipsa cōsuetudine appellandi, ius cōfirmasse. *Innumera nobis sunt*, dixerat ille, *à sede Apostolica aliqua per scripturam, aliqua etiam in mādatis, hoc est, de Nicænis Canonibus, vt conseruentur, & constituta eorum, & consuetudo, quia aliqua, ordine & Canone tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt.* Adeò vt etsi Canon defecisset, consuetudo tamen ipsa Canonis vicem suppleret: cuius allegationi nihil opposuerunt, sed potius silentio suo, se quod propositum fuerat comprobare satis ostenderant. Hincque etiam factum existimamus, vt perquisitis, inuentis, atque allatis ex Oriente Canonibus, nullatenus eidem appellationum iuri refragati sint, sed summisso tantùm animo rogauerint, vt cum maiori cautela summi

Baron. ad annum 419. num. 71.

Pontifices ex Africa querelas ingerentes susciperent, atque maturiori iudicio causas pertractarent; ne sic iudicia ritè & probè facta petirent. Ita enim ad Cælestinum Bonifacio defuncto subrogatũ. *Præfatæ*, inquiunt, *debitæ salutationis officio impendio deprecamur, vt deinceps ad vestras aures huc venientes non faciliùs admittatis; ne in sua prouincia à communione suspensi, à tua sanctitate vti festinatò, vel præpropere, vel indebitè videantur communioni restitui.* Vnde eodem tempore plures Episcopi reperiuntur, qui ad sedem Apostolicam per appellationem confugêre, vt suprà ex S. Augustino retulimus.

Baron. ad annum 419. numer. 73.

OBIECTIO.

pag. 47. *Docui primatũ quoad institutionem esse à Christo, quoad vsum autẽ multa habere à iure positiuo, quam in rem laudaui Iulium Papam, can.* Dudum. 3. *quæst.* 6. ab Apostolis, & eorum successoribus non oportere præter sentẽtiam summi Pontificis Concilia celebrari.

RESPONSIO.

Quid hæsitas? Cur non vltra progrederis? Quare non ad calcem vsque allegatum Canonem perducis? Vidisses vtique quia quidquid priuilegij Petrus & Ecclesia Romana habet, ab ipso Domino, seu ipso Domino instituente, vt loquitur Canon, obtinuit. En tibi textus Canonis non decurtatus, sed integer. *Sicut beatus Petrus Apostolus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia, suo nomine consecrata (Domino instituente) prima & caput sit ceterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem omnes maiores Ecclesiæ causæ, & iudicia Episcoporum recurrant,*

Can. Dudum 3. quæst. 6.

& iuxta eius sententiam terminum sumant, nec extra Romanum quidquam ex his debere decerni Pontificem.

OBIECTIO.

Porrò hæc eadem priuilegia sedis Romanæ esse iuris Ecclesiastici, confirmabam ex Can. In nouo, *21. distinct.* pag. 47.

RESPONSIO.

Ego verò ex eodem Canone, Romanæ sedis priuilegia iuris esse diuini contendo: candidus iudicet lector. *In nouo*, inquit Canon, *Testamento post Christum Dominũ à Petro cœpit Sacerdotalis Ordo: quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebũt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum. Hic ergo* (nota) *ligandi atque soluendi potestatem primus accepit à Domino, primúsque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit.* Quòd si dilucidiorem huius Canonis requiras explicationem, accipe quam tibi sequens Canon suggerit, Primatum nempe Romanæ Ecclesiæ, non ab aliqua Synodo, sed ab ipso tantùm Christo institutum. *Quàmuis*, inquit, *uniuersa per orbem Christi Ecclesiæ unus thalamus Christi sint, sancta tamen Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis* (nota) *ceteris Ecclesijs prælata est; sed Euangelica voce Domini & Saluatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquiens, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque*, &c. Nec obstat quod in allegato Canone sequitur. *Ceteri verò Apostoli cum* Can. in nouo 21. distinct.

eodem, pari consortio honorem & potestatem acceperunt. Quis nãque dubitauerit Apostolos pari cum Petro cõsortio, id est, eodem societatis vinculo cum eo coniunctos (quippe qui eiusdẽ magistri discipuli, eiusdẽque collegij Apostolici fratres erant) honorem & potestatem, quam præ se fert culmen Apostolatus, à Christo non accepisse? vel certè si glossæ auctori credimus, dicemus equidem, quòd

Gloss. can. in nouo 21. dist. verb. pari. *omnis Episcopus est par Apostolis, quantum ad Ordinem & rationem consecrationis: Petrus tamen alijs maior fuit in administratione.*

OBIECTIO.

pag. 47. *Et can.* Sacrosancta. 22. *distinct.*

RESPONSIO.

Ab eodem item Canone ius expecto, vt & Primatum sedis Romanæ iuris esse diuini cõfirmem.

Can. Sacrosancta. 22. distinct. *Sacrosancta*, inquit Canon, *Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis,* (nota) *sed ab ipso Domino Saluatore nostre primatum obtinuit, & eminentiam potestatis super omnes Ecclesias, & totum Christiani populi gregem assecuta est, sicut ipse beato Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã: & portæ inferi non præualebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque,* &c. Et paulò pòst. *Inter beatos Apostolos quædam fuit discretio potestatis; & licèt omnes essent Apostoli, Petro tamen à Domino* (nota) *concessum est* (*& ipsi inter se idipsum voluerunt*) *vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & Cephas, id est, caput & principium teneret Apostolatus, qui & eandem formam suis successoribus, & reliquis Episcopis tenendam tradiderunt.* Et post pauca. *Hæc verò Apostolica sedes cardo & caput* (*vt prætactum est*) *omnium*

Ibidem.

nium Ecclesiarum à domino (nota) *& non ab alio est constituta: & sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ, domino disponente, reguntur.* Quid clarius? Quid ergo? Anne stomachum fortè tibi mouet, quod de voluntatis Apostolorum accessione Canon proloquitur? Bona verba quæso. Quid mirum si dominus primatum, aliaque super cæteros Apostolos priuilegia Petro concedens, ipsi Apostoli de magistri voluntate certiores effecti, eidem assentiendo obsecuti sint? An propterea concludere liceat, quod Petrus ab ijsdem Apostolis & non potius ab ipso domino, proprio ore ea sibi concedente priuilegia, obtinuerit? Quod autem additur Apostolos eandem formam suis successoribus tenendam tradidisse, nihil aliud innuit, nisi Apostolos suos successores edocuisse, vt Romanam Ecclesiam. *In qua*, vt ait S. Augustinus, *Apostolicæ Cathedræ vigebat principatus*, & *vnde* secundum S. Cyprianum, *vnitas sacerdotalis exoriebatur*, tanquam aliarum caput & matricem semper agnoscerent, *ad quam*, vt sentit S. Irenæus, *necesse esset omnem conuenire Ecclesiam propter potentiorem principalitatem.*

S. Augustin. epist. 162. S. Cypr. l. 1. epist. 3. S. Irenæ. l. 3. cap. 3.

OBIECTIO.

Item ex epistola Synodali Concilij Romani sub Felice 2. Et aliquanto post. *An magistri ignorantiam detegere debeam, qui me falsò Concilium Romanum sub Felice* 2. *citasse, atque nullum tale extare memorat? Verùm si non est æquè oculis atq; auribus captus legat initium epistolæ Felicis* 2. *ad Alexandrinã Synodum* Reuerendissimis atq;

pag. 47. & 48.

dilectissimis fratribus Athanasio, &c. Episcopis in sancta Alexandrina Synodo congregatis Felix almę vrbis Romanæ & vniuersalis Episcopus Ecclesiæ, & sancta Synodus quæ in vrbem Romam conuenit.

RESPONSIO.

Etsi huius Epistolæ apud Genebrardum, non autem Baronium (qui alioquin res illius temporis, quo Felix 2. Romæ sedit, accuratissimè per annos singulos digessit) mentio fiat, pluribus tamen non leuibus coniecturis adducor, vt asseram nequaquã, propter grauissimas in S. Athanasium alioſque sanctos Episcopos modico illo vnius nempe anni & trium mensium tempore, quo Felix Romæ sedit, à Constantio Imperatore excitatas persecutiones, fieri potuisse, vt idem S. Athanasius Alexandriæ Synodum cogere potuerit: sicque Epistolam illam, quæ sub nomine Felicis ad Alexandrinam Synodum circumfertur, esse supposititiciam, eodem planè modo, quo & eiusdem argumenti alteram, quam S. Athanasij nomine ad eundem Felicem ex Synodo Alexandrina scriptam, idem Baronius memorat. Quod si quis curiosiùs scire cupiat, qualis tunc persecutio Alexandriæ in causa S. Athanasij commota fuerit, tunc, inquam, cùm Romanæ Cathedræ soliũ Felix teneret, qui fuit annus Christi 356. Liberio legitimo Pontifice exulante, audiat quid super hoc Alexandrini vniuersis per orbem Catholicis rescripserint. *Iampridem*, inquiunt, *protestati sumus de nocturna, quam passi sumus tam nos, quam templum*

Genebrard. lib. 3. Chronolog. in Felice 2.

Baron. ad annum 357. numer. 66.

Apud S. Athanas. post epist. ad So-

dominicum, inuasione, tametsi ibi testimonio opus non fuit, quæ vniuersa ciuitas cognita habet. Occisorum enim corpora reperta, & in publico exposita fuêre. Et infrà de S. Athanasio loquentes. *Episcopus autem cum huc illuc raperetur, minimo minus discerptus fuit & cum in graui deliquio animi pro mortuo iacuerit, & eorum opera iam nusquam compareat, nescimus quid de illo factum sit, certe illi necem modis omnibus moliti sunt.* Quibus astipulatur idem S. Athanasius. *Cum*, inquit, *dux istarum cohortium vi in templum irrupisset, militesque sacrarium ad me intercipiendum obsiderent, quotquot ex Clero populóque residui erant clamitare, obsecrare vt me subduserem. Ego contra, nisi omnibus ad vnum digressis, me recessurum pernegabam. Digressis igitur plerisque, ceteris eos subsequentibus monachi mei & nonnulli ex Clericis inter abeundum me secum abstraxerunt.* Nec persecutio illa aduersus eundem S. Athanasium Alexandriæ tantùm excitata fuit, sed & Constantius vbique terrarum eum perquirendum curauit, vt occideret. Ita enim ad Alexandrinos de eo idem Constantius scribens ait. *Siquidem absurdum esset perditissimum Athanasium & de turpissimis sceleribus conuictum, quibus nunquam par supplicium luerit, etiamsi decies occidatur, solum ex solo vertentem in alias perpetuò sedes depelli, & eius assentatores & ministros sinere hîc turbas facere quibus iampridem iudicibus præceptum est vt eos occidant.* Quò verò tunc temporis S. Athanasius demigrarit, accipe ex S. Gregorio Nazianzeno. *Ille*, inquit, *solum vertit, ac de exilio quam præclarissimè statuit. Nam ad sacra illa & diuina Ægypti monasteria se confert, in quibus homines à mundi consortio distracti, ac solitudinem amplectentes Deo*

litar. Baronius ad annum 356. numer. 3.

S. Athanas. in Apolog. de fuga sua.

Apud S. Athanas. Apolog. 1.

S. Gregor. Nazianz. Orat. in laud S. Athanas.

viuunt magis, quàm ceteri omnes qui in corpore versantur. Nec his refragatur idem S. Athanasius ad eundem Constantium rescribens, dum ait. *His ego auditis & per eorum lacrymas qui ista recensebant victis, fateor quod res est, in Eremum me retuli, &c.* In qua quidem Eremo se etiam occultiores latebras quęsisse ad euitandos Arrianos, quos certò sciebat se perquam curiosissimè inquirere, haud obscurè ad Luciferum scribens testatur. *Arriana*, inquit, *insania cum extranea potentia ita se mouebat, vt non liceret nec fratres, nec (quantum illi sæuiebant) liberè aërem videre, tamen iuxta orationes tuas Deo fauente, etsi cum labore & periculo, videre potui fratrem qui solet tam necessaria, quàm epistolas tam sanctitatis tuæ, quàm aliorũ destinare.* Adde quod non solum sanctus ipse Athanasius, sed & plures alij sancti Episcopi, Ægypti præsertim & Lybiæ tunc in exilium pulsi fuêre. *Hæc cum ego admirarer*, inquit S. Athanasius, *ecce denuo alia atrox fama de Ægypto & Lybia nobis ad aures allabitur, Episcopis prope nonaginta pulsis, Ecclesiisq; professoribus Arij traditis, sexdecim in exilium actis, ceteris deinde aut fugatis, aut ad simulationẽ hæreseos coactis.* Et alibi post descriptam sæuissimam supra quàm credi possit, in illa persecutione Constantij, Arianorumque, crudelitatem, quosdam ex præcipuis illis Ægypti Episcopis, qui in exilium pulsi fuerãt nominans. *Illi autem*, inquit, *ex Ægypto & Africa hos Episcopos ad fugam, exiliumque compulerunt Ammonium, Muium, Caium Philonem, Hermen, &c. quos tanta acerbitate raptauerunt, vt quidam in via, quidam in exilio mortem oppetierint, actis in fugam pluribus quã triginta Episcopis;* Vt hinc appareat nullo pacto

S. Athanas. Apolog. 1.

Baron. ad annũ 356. numer. 77.

S. Athanas. in Apolog. ad Constant.

S. Athanas. in Apolog. de fuga sua.

Episcopos illos Ægypti, Thebaidos & Lybiæ, quos prædicta memorat epistola, Alexandriam tunc potuisse conuenire. Vel quomodo conuenissent, cùm & Constantius tunc temporis *Georgium quendam Cappadocem* (inquit S. Athanasius) *ærarij Constantinopolitani quæstorem & depeculatorem omnium, atque eo crimine profugum Alexandriam, specie militari & auctoritate ducis in Episcopatum immiserit?* Quin & *Alexandriæ* (addit ille) *& in Ægypto & per vniuersam Lybiam Ecclesias turbauerit, & propalam edixerit vt Catholicæ Ecclesiæ, eiectis piæ religionis Episcopis in vniuersum hominibus Arrianæ opinionis traderentur.* Quod si Felicem in ipso sui Pontificatus exordio, cùm adhuc S. Athanasius liber esset, Romæ Concilium coegisse, sicut & S. Athanasius, Alexandriæ, vnde Synodicæ illæ epistolæ emanarint, Simon obijciat, facilè respõdeo; nec Felicem id tunc facere potuisse, cum quo (vt pote ab Arianis in locum Liberij propter Catholicã fidem exulantis, suffecto, & cum eis communicante, etsi Catholicus esset) nec populi Catholici communicare volebant. Ita enim Theodoretus. *Successum est*, inquit, *Liberio à fideli quodam illius Diacono nomine Felice, qui tametsi fidem in Nicæno Concilio expositam ipse seruauit integram, tamen cum illis, qui illam labefactare studebant libere communicauit, ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam cum ille intus erat, ingredi voluit.* Quanto minùs ergo orthodoxi Episcopi (qui tunc omnes eidem Liberio adhærebant, Felicemque pro legitimo Pontifice non agnoscebant) Romam ad eius nutum pro Concilio celebrando venire vo-

S. Athana. ad Solitar.

Ibidem.

Theodoret. lib. 2. hist. cap. 17.

luissent? Audi certè quid Sanctus ipse Athanasius de Felicis huius in Liberij locum subrogatione sentiat, vt hinc colligas, quàm absurdè quis ipsum cum eo per Synodicam communicasse asserere possit. *Hoc*, inquit, *ministro* (Epicteto) *vtens incredibile facinus Constantius designauit, & quod vere referat imaginem Antichristi, vt qui in locum Ecclesiæ palatium suum succedere voluerit, & pro consensu populi & iure comitiorum tres eunuchos presentes esse iusserit, tres item κατασκόπους hoc est exploratores (nō enim Episcopos dixeris) vt ipsi Felicem quēdam Episcopum in palatio crearēt, dignum profectò talibus suffragatoribus. Ceterum populi omnes cognita hæreticorum prauitate non permisere eos in Ecclesiam intrare, proculque ab eis recesserunt.*

S. Athanas. in epist. ad Solitar.

OBIECTIO.

pag. 47. *Item ex Chrysostomo homil. 51. in Mathæum.*

RESPONSIO.

Nunquid arancarum telam allegatum S. Chrysostomi textum dixeris, quæ tam facilè dissoluetur? Si vt Latinam vel Gallicam, ita & Græcam linguam calluisses, nequaquam (mihi crede) hunc S. Chrysostomi locum pro deprimendo S. Petri primatu, tanquam si iuris Ecclesiastici esset, opposuisses. S. equidem Chrysostomus (vt nosti) græcè scripsit, cùm ergo de verborum illius germano sensu in re tanti momenti quæstio verteretur, par erat vt non ad riuulos, Latinam dico versionem, sed ad ipsius fontis caput, originemque, Græcum, inquam, textum (nisi forte vulgati adagio præpeditus *Græcum est non legitur*) recurreres. Hæc igitur tibi sola impingendi causa fuit dum Latinæ versioni Aniani plus æquo inhæsisti,

quem certè Græcorum proprietatem verborum nullatenus reddidisse, iam demonstrabimus. Videamus ergo quid Græcus ipse textus quidue Latina Aniani versio suggerat. ἔπω δὲ ἦσαν πάντα ἐξιωμένοι, ait S. Chrysostomus de Apostolis loquens, μὴ γοῦν ταῦτα ἐποίουν. παραχὴ δὲ τὴν προτείαν παραχωροῦσι τῷ πέτρῳ, καὶ ἐν ταῖς δημηγορίαις αὐτὸν προβάλλονται καὶ τοῖς ἀκροατηρίοις τῶν ἄλλων διακρίνον. Quem ita Latinè vertit Anianus, *Nondum enim gratia spiritus corroborati facilè mouebantur, gratia vero accepta non tales nempe fuerunt, sed vbique primatum Petro præbent, & in concionibus eum anteponunt, quamuis ceteris rudior videretur.* Candidus iam lector de discrimine inter vtrumque textum iudicet. Quam malè, mea quidem sententia, Anianus παραχωρεῖν *præbere* & προβάλλεσθαι *anteponere* vertit, vt ad suum sensum, non ad mẽtem S. Chrysostomi eius verba detorqueret. Non enim proprie παραχωρεῖν *præbere* seu *dare*, sed *cedere* significat, nec simpliciter cedere, sed ita cedere, vt cessio ipsa præsupponat non rẽ ab eo dari, qui cedit, sed ei cedi, cui iure debebatur, ab eo, cui non competebat. In eoque Henricus Stephanus verbum istud differre asserit à verbo ἐκχωρεῖν quod licet semper, vel vt plurimum soli datiuo personæ videatur iungi, vt locum dare alicui significet, cuius rei exemplum ex Sophocle profert χειμῶνες ἐκχωροῦσι καρπίμῳ θέρει, *hyemes cedunt*, id est, *locum dant, frugiferæ æstati*, verbum tamen παραχωρεῖν cum datiuo personæ semper habet & genitiuum rei, quò cessionem istius rei, tanquam iure debitam illi, cui ceditur, ab eo qui cedit, indicet. Vnde apud Lucianum τῷ μὲν τιμῆς παρεχωρεῖ ἐκείνῳ, *cedebat*

S. Chrysost. Homil. 51. in Matth.

Henric. Steph. in Thesauro verbo παραχωρέω.

ei honore & apud eundem S. Chrysostomum alibi *δέδωκά σοι τὴν ἀρχήν, cedo tibi principatu.* Ad quid ergo Latinus interpres præbendi verbo vsus est, quasi Apostoli primatum Petro dederint, cùm potius iuxta germanam verbi δίδωμι proprietatem cedendi verbo vti debuisset, textumque Græcum Latinè ita reddere, *vbique* (Apostoli) *Primatu Petro cedunt*, quem certe iure ei debitum propter Christi institutionem non ignorabant. Nec est quod cauillari Simon possit quasi præbere & cedere eadem sint: Licet enim ipsa loquendi phrasis aliquod inter ea discrimen non obscurè demonstret, dum prius per accusatiuum, posterius verò per ablatiuum resoluitur, dicitur enim quis præbere alicui locum, quando locus ab eo datur, qui ius habet in re, sicut & cedere loco is qui ius non habet in re, ei, quem scit ius in ea habere: Vt ea tamen quæ de S. Petri primatu ex ipso S. Chrysostomi textu elicienda sunt euidentiori demonstratione pateant, hoc aptissimo, etsi vulgari vtar exemplo. Quando Rex Franciæ primarium in supremo aliquo Senatu, seu Parlamento instituit Præsidem, primatū certè, seu primas partes illi præbet, cum verò alij eiusdem Senatus Præsides aduenanti illi loco & Primatu cedunt, quis nisi stolidus asseret primatum ei ab illis dari? Sicut ego rex primatum dat ei quem primarium instituit præsidem, alij vero præsides cedere tantum dicuntur primatu ei qui à rege primarius institutus est præses. Ita Christus dominus propria auctoritate Primatum Petro dedit, Apostoli vero de Christi voluntate certiores facti Petro, vt ait

S. Chryſoſtomus, Primatu ceſſerunt. Et hæc quidem de verbo προχωρεῖν. Quod ad aliud autem ſpectat verbum περιβάλλεσθαι quod *anteponere* vertit Anianus, quidni cum ſcriptura dicam, Non eſt vox ei neque ſenſus? De verborum ſenſu candidus iudicet lector quidue ſit Apoſtolos in concionibus Petrum antepoſuiſſe. Sat mihi erit de verbi iſtius ſignificatione aliquid dicere. Probatos certè authores Euſtathium, Varinum, Phauorinũ, Budæum, Hericum Stephanum, qui varias huius verbi ſignificationes enuntiant, curioſiùs quis relegat, nec ei (mihi crede) quemquam ex illis reperire, qui hanc ei ſignificationem tribuat, poſſibile erit. Quantò equidem melior Aniani verſio fuiſſet, ſi eundem S. Chryſoſtomi textum ita expoſuiſſet ἐν ταῖς δημηγορίαις αὐτὸν περιβάλλουσι *in concionibus eum circundant*, ſeu ſepiunt, ſeu ſtipant, ſicut ex Luciano profert Budæus, δώσαμεν ἐ μικρον περιβάλλεται καὶ πεζικὸν καὶ ναυτικὸν quem & ſequitur Hericus Stephanus Budæi ſententiæ hæc de ſuo addens. *Vtrobique*, inquit, περιβάλλομαι δώσαμεν *eſſe ait* (Budæus) *cingo me & circundo, ſepioque potentia & copijs*, & ex Liuio affert, *ſuccinctus armis legionibuſque.* Ita namque & ſcripturæ ſacræ ſenſum & eiuſdem S. Chryſoſtomi mentem aſſecutus fuiſſet. Scripturæ quidem quæ concionantem Petrum in medio Apoſtolorum nobis repreſentat, *exurgens*, inquit, *Petrus in medio fratrum*, & alibi *Stans Petrus cum vndecim.* Chryſoſtomi verò, qui de Petro & Apoſtolis concionantibus loquens. *Communem*, inquit, *vocem edebant, ac Petrus omnium erat os, ſed aſtabant illi vndecim teſtimonio ſuo comprobantes ea*

Hentic. Stephan. verbo περιβάλλομαι.

Act. 1. 2.

S. Chryſoſt. in Act. cap 2.

quæ ab illo dicebantur.

OBIECTIO.

pag. 48. *Quid si ego Petrum Episcopum ordinatum ab Apostolis scripsissem, vt Gregorius Turonensis lib. de Miraculis cap. 28?*

RESPONSIO.

Malè vtique cum eodem Gregorio scripsisses, tibique obiecissem à teipso supra citatum Canonem, *in nouo*, vbi hæc verba habentur. *In nouo Testamento post Christum dominum à Petro sacerdotalis cepit ordo, quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente ad eum: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Obiecissem Eusebium, qui eum primum Christianorum Pontificem appellat. Obiecissem S. Cyrillum Alexandrinum. *Sicut*, inquit ille, *Christus accepit à patre sceptrum Ecclesiæ gentium Dux ex Israël egrediens super omnem principatum, & potestatem super omne quodcumque est vt ei cuncta curuentur. Sic & Petro eiusque successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* Obiecissem S. Chrysostomum. *Christus*, inquit, *Petrum Ecclesiæ futuræ pastorem constituit.* Obiecissem S. Augustinum, seu veterem illum scriptorem, qui quæstionũ veteris & noui Testamenti auctor est. *Sicut*, inquit, *in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem omnes in Petro continentur. Ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Obiecissem S. Maximum. *Quanti*, inquit, *meriti apud Dominũ suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium totius Ecclesiæ gubernacula traderentur.* Obiecissem

Can. In nouo 21. distinct.

Euseb. in Chronic. anno 44.

S. Cyrill. Alex. in Thesauro, apud D. Thomam.

S. Chrysost. Homil. 11. in Matthæ.

S. August. quæst. vet. & noui Test. quæst. 75.

S. Maxim. serm. 1. de Apost.

denique S. Bernardum. *Locus*, inquit ille ad Eugenium summum Pontificem scribens, *in quo stas terra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum vbi steterunt pedes eius: Locus illius est quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.* Ecce ergo quomodo non ab Apostolis, sed ab ipso Domino S. Petrus pastor & Episcopus Ecclesiæ est constitutus. S. Bernard. epist. 237. ad Eugen.

OBIECTIO.

Asserui in epistolis, quæ Pontificibus tribuuntur ante Nicænam Synodum multa supposititia reperiri, quæ nec in Codice antiquorum Canonum inserta sunt can. Si Romanorum. dist. 19. Pag. 49.

RESPONSIO.

Irane ex isto Canone probare vis ea in epistolis Pontificum suppositiria esse, quæ in Codice Canonum non reperiuntur? Quin potius ipse Canon omnia Pontificum Decreta, non ea tantùm quæ in Codice Canonum reperiuntur, sed & quæ minimè reperiuntur pari veneratione digna, & ab omnibus suscipienda non dubitanter affirmat. *Si enim*, inquit Canon, *ideò non esse decretales epistolas priscorum Pontificum Romanorum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habentur ascriptæ: Ergo nec sancti Gregorij, nec vllius alterius qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum, vel scriptum recipiendum, eò quod in Codice Canonum non habeatur ascriptum. Ergo doctrinam eorum & sanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in Codice Canonum non habentur ascriptæ de Codicibus suis eradant. Vt quid vel membranas occupant postquam non habentur acceptæ? Sed quare multum* Can. Si Romanorum. dist. 19.

immoramur, cùm nec ipſas diuinas ſcripturas veteris & noui Teſtamenti iam recipiemus ſi iſtos duxerimus audiendos? Etenim neutrum horum in Codice Canonum Eccleſiaſticorum habetur inſertum. Et poſt pauca. *Reſtat nimirum quod Decretales epiſtolæ Romanorum Pōtificum ſunt recipiendæ, etiam ſi non ſint Codici Canonum compaginatæ, quoniam inter ipſos Canones vnum B. Leonis capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia Decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, vt ſi quis in illis commiſerit, nouerit ſibi veniam denegari.* In fine denique hæc adduntur. *His ita diuina fauente gratia prælibatis oſtendimus nullam differentiam eſſe inter illa Decreta, quæ in Codice Canonum habentur ſedis Apoſtolicæ Præſulum, & ea quæ præ multitudine vix per ſingula voluminũ corpora reperiuntur, cum omnia & omnium deceſſorum ſuorum Decretalia conſtituta, atque Decretales epiſtolas quas beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus ab vrbe Roma dederunt, venerabiliter fore ſuſcipiendas & cuſtodiendas, eximios Præſules Leonem ſcilicet, & Gelaſium mandaſſe probauimus.* Miror equidem quomodo Simon qui ſe Iuriſconſultum paſſim gloriatur, ironicè dicta pro affirmatiuis acceperit, vel certè obiectionem pro reſponſione ſuppoſuerit.

Ibidem.

Obiectio.

Irenæo, Euſebio, Hieronymo teſtibus, Anacletus, Lino non Clementi ſucceſſit.

pag. 49.

Responsio.

At S. Optato Mileuitano, & S. Auguſtino teſtibus Anacletus Clementi, non Lino ſucceſſit. *Cathedra vnica,* inquit S. Optatus, *quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Cle-*

S. Optat. Mileuit. lib. 2. aduerſ. Parmenia.

mens, Clementi Anacletus. S. verò Augustinus. *Si,* inquit, *ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est quantò certiùs & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus,* &c. Quibus ergo, dicet aliquis, fides adhibenda erit? Qui Catholicus est, fateatur tandem Ecclesiam vniuersalem, quæ cum S. Irenæo, Eusebio, & S. Hieronymo Cletum (quem alij etiam Anacletum dixêre) post Linum, & cum sanctis Optato, & Augustino Anacletum post Clementem agnoscit, minimè errare. Quod si Doctores illi nominum vicinitate decepti, alterutrum eorum prætermiserunt, nihil per hoc veritati præiudicatur, pro qua antiquissima protestantur Martyrologia, quæ separatum cuique exhibuêre semper annuæ solemnitatis diem, Cleto quidem sexto Calendas Maij sub hoc titulo. *Romæ natalis beati Cleti Papæ, qui secundus post Apostolum Petrum rexit Ecclesiam, & in persecutione Domitiani martyrio coronatus est.* Anacleto autem tertio Idus Iulij sub hac formula. *Romæ sancti Anacleti Papæ & martyris, qui post sanctum Clementem Ecclesiam Dei regens, eam glorioso martyrio decorauit.*

S. Augst. epist. 165. tom. 2.

Martyrolog. Rom. 26. April.

Idē Martyrolog. Rom. 13. Iulij.

RESPONSIO.

At contra eumdem esse Anacletum & Cletum docebam, quod nullus inter scriptores antiquos Vtriusque meminerit. pag. 49.

RESPONSIO.

Itane? Quid si Tertullianum produxerim, num

tibi ex antiquis illis scriptoribus vnus esse censebitur? Audi ergo quomodo vtrumque Cletum nempe & Anacletum inter Romanos Pontifices, ordine licet aliquantulum inuerso, reposuerit.

Terrull. lib. 3. carm. in Marcion. citatur à Baronio ad annū 69. num. 39.

Ex quibus, inquit, *electum magnum, plebique probatum*
Hac Cathedra Petrus, qua sederat ipse, locatum
Maxima Roma Linum, primum considere iussit:
Post quem Cletus & ipse gregem suscepit ouilis:
Huius Anacletus successor sorte locatus
Quem sequitur Clemens, &c.

OBIECTIO.

pag. 50. *Impugnabam veritatē epistolæ Anacleti, quòd Episcopum nusquam iudicandum asserat, sed illius iudicium soli Deo reseruandum.*

RESPONSIO.

Quid ergo noster es an aduersariorum? Mirum hercle Simonem, qui se alioquin Catholicum vbique venditat, ita nihilominus cum hæreticis Centuriatoribus cōuenire, vt non erubescat in odium summi Pontificis eadem obiecta sibi vendicare, quæ iampridem illi effutierunt. Vbinam quæso hæc ita indistinctè S. Anacletus asserit? Prodeat epistolæ textus qui bilem Simoni mouet. *Accusatio*, inquit S. Anacletus, *eorum super qua nos consulere voluistis, non nisi ab idoneis & probatissimis viris, qui & suspicionibus & sceleribus careant, fieri debet, quia Dominus sui corporis tractatores, à vilibus, & reprobis, ac non idoneis personis infamari noluit, neque calumniari permisit, sed ipse proprio flagello peccantes Sacerdotes ex templo eiecit.* Deinde subiungit. *Vnde liquet quod sum-*

Refert. Turria. pro epist. Pontif. lib. 3. cap. 12.

S. Anaclet. epist. 2.

mi Sacerdotes, id est, Episcopi à Deo sunt iudicandi non ab humanis, aut praua vitæ hominibus lacerandi, sed potius ab omnibus fidelibus portandi, ipso Domino exemplum dante quando per seipsum, & non per alium ementes, & vendentes eiecit de templo. Vt quid stomacharis? Ergone propter istum minùs à te, nec à Centuriatoribus probatum S. Anacleti epistolæ locum, expũgetur hæc epistola, nec Anacleti esse censebitur? Quare hoc? Nec enim absolutè, vt ais, S. ipse Anacletus Episcopum nusquam iudicandum asserit, sed illum à quibusuis temerè nõ esse, vel accusandum, vel arguendum Christi exemplo affirmat. Quo quid sanctius? Et ideò alibi inquirere præcipit an sit inoffensus accusatorum, vel testium affectus. *Nam sunt nonnulli*, vt inquit eius successor S. Euaristus, *qui præpositos suos peruerse reprehendunt, si vel parum ipsis molesti extiterint, idcirco recto oculo Primates Ecclesiarum vtiliter peruideant, ne quisquam eorum innocens vexetur, aut scandalizetur.* Vnde colligas S. Anacletum loqui duntaxat de innocentibus, & maleuolè accusatis Episcopis, qui cum Samuele dicere possent. *Testis est Dominus aduersum vos, & testis Christus eius, quod non inueneritis in manu mea quippiam.* Vel cum Apostolo. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer aut ab humano die: qui autem me iudicat Dominus est.* Hi namque sunt quos solus Deus iudicare & remouere iustè potest, cui soli patet cor hominis, & qui solus nouit conscientiam cuiuscumque siue bonam, siue malam, non autem de ijs qui meritò accusantur. Sicut & de ijs etiam accusatoribus agit, qui ad accusandum *ex propria temeritate, & absque maioris potestatis auctoritate*, vt ait

S. Euarist. epist. 2.

1. Reg. 12.

1. Cor. 4.

Hincmar. Rhem.

alicubi Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, vel vt S. Thomas. *Causa vexandi non affectione charitatis, sed sua prauitate,* accedunt.

S. Thomas 2. 2. quæst. 78.

OBIECTIO.

pag. 52. *Absolutam Monarchiam Apostolis, atque alijs Patribus Ecclesiæ primitiuæ ideò ignotam fuisse demonstrabam quòd Petrus insimulatus fuisset coram Apostolis migrasse ad gentes. Act.* 11.

RESPONSIO.

Ergone Petrus post Domini Resurrectionem, aut gentilis, aut paganus aliquando fuit? Anne gentilis erroris, seu paganismi insimulatus fuit? Quid sibi vult quod ais insimulatum illum fuisse quòd migrasset ad gentes? nisi certè fuisse accusatum illum, vel saltem in suspicionem adductum, quod gentilis, seu paganus effectus fuisset? Vbi tandem hæc scripta legisti? Actuum Apostolorum vndecimũ caput profers. Videamus igitur vtrum hæc erga Petrum ita se habuerint. En germanus ipse textus. *Audierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Judæa quoniam & gentes receperunt verbum Dei. Cùm autem ascendisset Petrus Ierosolymam disceptabãt aduersus eum* (Grecus habet, διεκρίνοντο πρὸς αὐτ) *qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Num ergo quæ Petro dicta facer textus refert, aliquid insimulationis præ se ferre tibi videntur, quod Petrus migrasset ad gentes, an non potius curiosiorem eorum, quę facta fuerant in gentium conuersione, inuestigationem, tibi innuunt? Cùm præsertim ante disceptationem illam scriptura memoret

Act. 11.

quod

quod fratres audierant gentes recepisse verbum Dei; Et ita conuersionem quidem gentium intellexerant, quomodo autem illud euenerat, ignorabãt. Ideò Petrus pio fratrum, maximè verò eorum qui de circumcisione erant, quibus maximi momenti res videbatur, desiderio satisfacturus. *Incipiens*, inquit scriptura, *exponebat illis ordinem dicens: Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum*, &c. Post enarratam autem visionem, addit. *His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & Gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Nec vacat expositio ista ratione, nec auctoritate. Ratione quidem, quòd apud probatos auctores verbum διακρίνειν non tantùm pro *disceptare*, sed & pro *discutere*: & præpositionem πρὸς accusatiuo iunctam, etiam pro Latina præpositione (*cum*) sumi videamus: adeò vt pro (*disceptabant aduersus eum*) vt habet communis versio, legendum (*discutiebant cum eo*) quis existimare possit. Auctoritate verò Aratoris Poëtæ clarissimi, qui ante mille annos floruit, quem versibus sic eumdem Actuum Apostolorum locum exponentem legimus.

Ibidem.

Arator lib. 1. in Act. Apost. c. 11.

Peruenit hinc abiens sublimem Petrus in vrbem,
Quæ retinet vexilla crucis: plebs cuncta requirit (nota)
Gentibus vnde salus, aperit quibus omnia Doctor.

Ex his ergo quid habes quod Monarchiæ S. Petri præiudicet? Esto quod insimulatus fuerit. Num quia Christus Dominus seditionis, & blasphemiæ à Iudęis insimulatus, eius dignitati ac supremæ auctoritati quidquam derogatum fuit? Quin potius ex eodẽ textu, vnde accusare Petrum præsumpsi-

sti, Primatus eiusdem Petri non obscura indicia elicio, quòd sicut omnium primus Iudæis, ita & omnium primus Gentilibus verbũ Dei annuntiauit, vt omnium curam ad eum pertinere cognoscerem, qui omnium saluti incumberet. *Primus,* inquit S. Hieronymus, *à Petro Apostolo baptizatus Cornelius salutem gentium dedicauit.* Addit prætereà Simon, absolutam istam Monarchiam Ecclesiæ primitiuæ patribus ignotam fuisse: quia verò sunt verba, & voces, quæ ad id probandum nihil cõferunt, nec aliud dicit, ego quoque nil aliud dicam.

S. Hieron. in epist. ad Saluinam.

OBIECTIO.

pag. 52. *Multi Pontifices rei facti sunt, & à Conciliis condemnati.*

RESPONSIO.

Qui porrò fuerunt Pontifices illi? quæ fuêre ista Concilia? vt quid ea proferre metuis? Maxima equidem machina ad labefactandam Petri Monarchiam. Si ad manum habes, ad quid eam in armamentario recõditam seruas? Si non habes, consule Illyricum cum vniuerso hæreticorum grege, opportunam, certè, fortemque eam tibi suppeditabit, quam tamen, mihi crede, fortior veritas superabit.

OBIECTIO.

pag. 53. *Caietanus, Gersonius. Item S. Bernardus Monarchiam absolutam plane improbant.*

RESPONSIO.

Quis non miretur Simonem, qui cùm sæpiùs ad antiquos patres prouocarit, nunc tamen ad recentiores istos recurrit. In promptu causa est, res

vtique ad triarios iam est deducta. Quidni? Cùm antiquorum Patrum nullus eius suffragetur assertioni? Veteres ergo iam fileant Patres, recentiores consulantur: Numquid & pro eo loquentes comperiemus? Absit. Quid ergo? *absolutam*, inquit, *Monarchiam improbant*, Imò probant. Caietanus quidem, cùm teste Simone Papam Concilio superiorem faciat. Gersonus verò cùm in Tractatu de Ecclesiastica potestate, hæc testetur. *Potestas*, inquit, *Ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter & subiectiuè in solo Romano Pontifice.* Et infrà. *Supponitur ex iam dictis quod ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare, vel suscipere gradus Hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere, si non interueniat verè, vel interpretatiuè auctoritas supremi Hierarchæ, vel Monarchæ* (nota) *in Ecclesia, quatenus in ea vitetur confusio & optimo regimine gubernetur ad exemplar Ecclesiæ triumphantis.* Et infrà. *Tandem ex his possumus describendo dicere quod plenitudo potestatis Ecclesiasticæ est potestas ordinis & iurisdictionis, quæ à Christo collata est supernaturaliter Petro sicut vicario suo, & Monarchæ primo* (nota) *pro se, & suis successoribus legitimè, vsque ad finem sæculi, ad ædificationem Ecclesiæ militantis.* Denique S. Bernardus absolutæ Petri Monarchiæ, non in pluribus tantùm operum suorum locis, sed & præsertim in eo ipso à Simone citato libro, assertor est egregius. *Sic facitando*, inquit ille, ad Eugenium scribens, eumque alloquens, *probatis vos habere plenitudinem potestatis.* Et paulò pòst. *Erras si vt summam ita & solam à Deo institutam vestram Apostolicam potestatem existimas, non sola tua potestas à Domino, sunt & mediocres, sunt & inferiores.* Et post plura. *Ego*

Simon pag. 52.

Ioan. Gerson. de potest. Ecclesiast. Considerat. 10.

S. Bernard. lib. 3. de Cõsiderat.

enim propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Cherubim, & Seraphim, & ceteri quique vsque ad Angelos, & Archangelos ordinantur sub vno capite Deo: ita hic quoque sub vno Pontifice Primates, vel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri, & Abbates, & reliqui in hunc modum. Non est parui pendendum quod & Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem. Notate verba, signate mysteria. Numquid Deus absolutam in Angelos habet Monarchiam? Si ergo de Pontifice dictum quod de Deo asseritur, quis S. Bernardum absolutã Petri Monarchiam improbasse asseret? Quod si aliquando idem author inuehi videtur in eos qui absoluto impetio vtuntur, non absolutam Monarchiam, sed eam tantùm quæ in tyrannidem degenerat, ipsum improbare dici poterit.

OBIECTIO.

pag. 59. *Certum est Papam nihil posse in beneficiã Consistorialia absque consilio Cardinalium.*

RESPONSIO.

Itane certum vt tu asseris? vnde ergo Gabriel Palæotus & ipse Cardinalis, Iurisque Cardinalitij in Consistorio propugnator acerrimus. *Probatione*, inquit, *non indiget, Cardinalium aut aliorum consensum in rebus Consistorialibus definiẽdis nullatenus necessarium esse. Quandoquidem cùm Primatus in Ecclesia Dei fuerit institutus, non solum vt Ecclesia militans in eius administratione cum triumphante, quæ vnum habet Deum omnia decernentem, congrueret, sed etiam quia status Monarchicus omnium perfectissimus habetur, & quò magis res ad vnitatem rediguntur, eò præstantiores*

Gabr. Palæot. Cardinal. de sacri Consistor. Cõsultat. part. 1. quæst. 3. art. 3.

& solidiores iudicantur. Propterea quando Papa summã suam auctoritatem in ijs rebus, quas publicæ vtilitati necessarias esse iudicat, sibi vtendam esse proponit, dubium nihil esse videtur, eum ad vllius consensum sibi adiungendum nullo modo astringi. Nam cùm consensus necessitatem includat illius amplectendi, si concederemus eum requiri, sequeretur quod auctoritas Papæ hoc casu non esset libera, & absoluta, sed duo, vt dicunt, auctorizantes, nec vnus esset Primatus verè, neque vnum caput, sed duo capita, quando aliorum quoque voluntates ad res decernendas essent necessariæ, quod quidem absurdißimum esset. Quod si te de consilio, non autem de consensu loqui arguas, eundem audi Cardinalem asserentem, etsi propter ipsam officij Apostolici acceptationem aliquo modo summus Pontifex ad petenda in arduis consilia obligari videatur. *Non tamen,* inquit, *vt illis stare cogatur, sed ex illis eligat quod sibi aptius visum fuerit, cùm (vt dici solet) causa formalis cur Princeps ita decernat, non ea sit, quia sic alij consuluerunt, sed quia sic sibi visum fuit, adeo quod ad consilia petenda is non accedit, vt illis adhæreat, atque alligetur, sed vt sumat materiam iudicij sui dirigendi, & quod sibi æquius visum fuerit, decernendi. Quapropter finis petendi consilij, non est ea sequi cæco quodam impetu, sed est vt ex consilijs traditis Princeps ipse discernat, & diiudicet id quod Reipublicæ vtilius esse arbitrabitur. Et hæc quoad Consistorialia negotia.* Idem ibid. art. 8. sub finem.

Obiectio.

Vnde Ioannes monachi refert in cap. super eo pag. 60. *ẽ. de hæret. in 6. quod cum Celestinus 5. contulisset multas Abbatias & Episcopatus & superiores*

dignitates sine consilio fratrum, tales collationes irritas & antiquatas fuisse, præsertim quia collegium Cardinalium in hac quasi possessione est, quod Papa ardua negotia sine eius consilio tractare aut terminare non debeat. hæc ille.

RESPONSIO.

Hæc ferme iisdem verbis Philippus Francus ex eodem Ioanne Monachi refert. Addit tamen postea, quod tu omisisti. *Sed dicit hic Dominicus quòd cõmunis conclusio est quòd Papa possit sine eis, quia ipse est supra omnia Concilia, vt sup. de elect. cap. significasti, & hanc partem tenet Hugo 4. dist. 5. legis, vbi idem dicit de Imperatore vt possit quæcumque ad eum spectant, sine consilio suorum Baronum. Nec obstat quod dicit Ioannes Monachi hîc, quia in hoc non est ei credendum, cum ipse esset Cardinalis, & hîc loquitur in propria causa prout dicit idem Ioann. Monachi in extrauag. Bonifacij 8. quæ incipit, Excommunicamus in verb. Clericos secundum Dominicũ.* Vnde verò Ioannes Monachi, quæ de Celestino 5. narrat, sumpserit, nec Philippus ipse Francus, nec quiuis alius, qui eiusdem Celestini res gestas prosecutus est, hucusque aperuit. Abrahamus equidẽ Bzouius nostri sæculi Baronij Annalium continuator, de eodem Celestino agens. *Mira*, inquit, *benignitate in egentes excellebat, nemini quicquam petenti negabat, magnisque Proceribus patrimonia Ecclesiæ deposcentibus sine vllo discrimine, non tam liberali, quàm prodiga manu offerebat, scilicet ex priuatæ olim vitæ pauperrimo statu, maiestatem, dignitatemque tum Pontificis Romani, tum Ecclesiæ Romanæ & Apostolicæ sedis dimetiens. Certè si diuina prouidentia*

Philipp. Franc. Cõmentar. in 6. decretal. tit. de hæret. cap. super eo.

Abraham. Bzouius Annal. to. 13. ad annum 1294. numer. 5.

Ibidem numer. 6.

prudentiam aliquorum ex sacro coetu non excitasset, Celestinus largissimis profusionibus, ad quas importunitate in rem Ecclesiasticam intentorũ Principum prouocabatur, vniuersam Ecclesiam & in primis Romanam iure merito acquisitis bonis expoliasset, quodque grauius imminebat malum minus sciens & volens dissensionibus & cadibus maximo damno orbis Christiani omnia complesset. Aliquando enim rem vnam alteri concessam, alteri, oblitus donationis prioris, attribuebat. Idem fere Platina. *Cum Celestinus,* inquit, *à priore vita ob Pontificatum ilequaquam declinaret, adeo benignus & facilis omnibus petentibus erat, vt eadem diuersis concederet, vnde & contemptus dignitatis & immunitio Pontificatus oriebatur.* Celestinus ergo insimulatus quidem fuit quòd bona Ecclesiastica profudisset, non autem quod Abbatias seu Episcopatus sine consilio Cardinalium contulisset. Vnde conijcias suppositititium prorsus esse, quod post Ioannem Monachi & Philippum Francum eidem Celestino Simon exprobrat.

Platina in vita Celestin. 5.

OBIECTIO.

Subiungebam in meo Commentario nihil vs. pag. 60. *quam in lege veteri & in noua Pontifices potuisse nisi in Concilio 2. Paralip. cap. 19. & 17. Deuter.*

RESPONSIO.

Imò ex ijs ipsis locis patet penes summum Sacerdotem, seu Pontificem, primatum super omnes Sacerdotes & Leuitas, summamque rerum Ecclesiasticarum, in ijs nempe quæ ad legem & religionem spectarent, fuisse, adeo vt qui ei non obediret, mortis supplicio puniretur. Ita Deuteron. 17.

Deuter. 17. *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eodem tempore ministrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël.*

2. Paralip. 19. Libro autem 2. Paralip. cap. 19. *Amarias sacerdos & Pontifex in ijs quæ ad Deum pertinent præsidebit.* Quod & Iosephus non obscurè testatur. *Quæ potestas*, inquit, *lex esse melior atque iustior, quàm ea quæ Deum quidem principem omnium esse confirmat: Sacerdotibus autem in communi quidem res præcipuas dispensare permittit, summo verò Pontifici aliorum sacerdotum principatum competenter iniungit.* Et hæc quidem de summi Pontificis apud Iudæos auctoritate. Vt quid ergo Simon difitetur, quod ipsi etiam hæretici Cêturiatores, veritate compulsi, ingenuè profitentur? *In Ecclesia populi Judaici*, inquiunt, *vnus tantum erat lege diuina Sacerdos summus, quem omnes cogebantur agnoscere, eique parere.* Quod autem absq; Cõcilio summus ille Pontifex nihil posset, ne verbum quidem. Plura certè illum in Concilio agere consueuisse, non nego. Quid inde? cùm nec Monarchiæ nec Monarchæ repugnet; quod aliquid in publico conuentu, communi principum consilio & consensu, volẽte ipso Monarcha, statuatur.

Ioseph. lib. 2. contra Appion. Alex. circa med.

Magdeburg. Cẽtur. 1. l. 1. c. 7. col. 257.

OBIECTIO.

pag. 60. *Mathæi* 18. Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ.

RESPONSIO.

Rectè equidem. Dicere autem Ecclesię S. Chrysostomus interpretatur dicere Præsuli, seu illi qui Ecclesiæ præest, quod non de summo Pontifice tantùm, sed & de cunctis Ecclesiæ Præsulibus intelligi potest, adeo vt cuique Præsuli in suo Epis-

S. Chrysost. in Matth. 18.

copatu peccatores, fraternæ charitati non obtemperantes, deferri iubeantur. Sit ita. Quid inde? vbinam, quæso, prohibitio illa, vt Pontifices nihil nisi in Concilio agere possint? Quod si Episcopus quisque in sua diœcesi in sibi delatos peccatores, experientia teste, decernere sine Concilio potest, quantò magis summus ipse Pōtifex vniuersalis Ecclesiæ primatum gerens, istud poterit?

OBIECTIO.

Gregorius ad Constantinopolitanū Episcopum pag. 60. 5. *in Registro*, Si in mea correptione despicior, restat vt Ecclesiā debeam adhibere.

RESPONSIO.

Qui hæc scripsit S. Gregorius, ista prius in eiusdem Epistolæ initio scripserat. *Et quidem*, inquit, *hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagij grauia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus Synodi, quæ apud vos congregata est, propter nefandum elationis vocabulum acta dissoluit & Archidiaconum, quem iuxta morem ad vestigia dominorum transmiserat Missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit. Post eius vero obitum, cùm indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, & ante per alios responsales meos, & nunc per communem filium Sabinianum Diaconum alloqui fraternitatem vestram, vt à tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curaui, & si emendari nollet, eum Missarum solemnia cum vestra fraternitate celebrare prohibui, vt sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reuerentia pulsarem, quatenus si emendari nefandus ac profanus tumor verecundè non posset, tunc ad ea debuisset quæ sunt districta atque Ca-*

S. Gregor. epist. 38. lib. 4. indict. 13.

nonica peruenirí. Vbi videre eſt, quæ iam Pelagius idemq; Gregorius in Ioannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ad comprimendam eius arrogantiam, decreuerant. Deinde cùm plura in eadẽ Epiſtola cum maxima charitate addidiſſet quò eundem Patriarcham Conſtantinopolitanum à ſibi vſurpando vniuerſalis nomine reuocaret, hæc circa eiuſdem Epiſtolæ finem ſubiungit. *Et nos quidem in quos talis tantaque per auſum nefarium culpa committitur, ſeruamus quod veritas præcepit dicens. Si peccauerit in te frater tuus, &c, Ego itaque per reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus, hoc quod in tota Eccleſia peccatur corripere ſtudui, nunc per me ſcribo. Quidquid facere humiliter debui, non omiſi, ſed quia in mea correptione, deſpicior reſtat vt Eccleſiam debeam adhibere.* Non dixit equidem, reſtat vt Eccleſiam adhibeam, quaſi coactus, ſed adhibere debeam, ſi volo nempe dominico ſatiſfacere præcepto, quod paulo ante retuli. Quid verò inde elici poteſt quod ſummi Pontificis monarchiæ præiudicium ferat? Cùm idem ipſe S. Gregorius ad eundem Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribens ſe iudicum ab eo delegatorum in Ioannis preſbyteri cauſa ſententiam irritaſſe pronunciet. *Ea propter,* inquit, *eorumdem iudicum reprobantes ſententiam, noſtra eum definitione Catholicum & ab omni crimine hæretico liberum eſſe Chriſti Dei redemptoris noſtri miſericordia & gratia reuelante denuntiamus.* Quin & in alia Epiſtola de increpatione eidem Ioanni Conſtantinopolitano Patriarchæ à Pelagio propter vniuerſalis nomen ab eo vſurpatum, facta, mentionem faciens, ſe eiuſdem ſeruare decreta profi-

Ibidem ſub finem.

Idẽ S. Greg. lib. 5. epiſt. 35. indict. 14.

tetur & quosdam Orientales Episcopos hortatur ne vsurpato huiusmodi nomini aliquo modo consentiant, si secus fecerint, à beati Petri pace se nouerint segregatos. *Hoc*, inquit, *Pelagius decessor noster agnoscens districtissima Ioannem illum increpatione corripuit, vt se à nouo & temerario superstitionis nomine cohiberet, adeo vt suum Diaconem (nisi tantum nefas emendaret) procedere prohiberet. Cuius nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione Deo protegente seruamus.* Et post pauca. *Hortor atque suadeo vt nullus vestrûm hoc nomen aliquando recipiat, nullus id consentiat, nullus scribat, nullus vbi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adiyciat.* Et infrà. *Si quis (quod non credimus) scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, à beati Petri Apostolorum principis pace se nouerit segregatum.* Vides ergo quid contra Patriarcham Constantinopolitanum Pelagius primùm, deinde S. Gregorius summi vtique Pontifices, sine Concilio, ausi fuerint. Idem lib. 7. epist. 69. indict. 2.

OBIECTIO.

Attexebam & Concilium Telense cum Siricij epistola ad Concilium, Integrum iudicium est quod plurimorum sententia confirmatur. pag. 60.

RESPONSIO.

Quin Teleptense potius quam Telense vocitandum istud Concilium, non parua coniectura arguit: Et quod Telepte prima sedes Prouinciæ Byzacenæ, in qua celebratum est Concilium, esset, & quod Donatianus, qui eidem Concilio præsidebat, primæ sedis Teleptensis ciuitatis Episcopus in eodem Concilio asseratur. Quod autem

ſpectat ad citatum Epiſtolę Siticij locum, integrã libet eius ſententiam proferre, vt integrum de eo iudicium candidus lector ferre queat, dum tamen priùs aduertat verbum (*confirmatur*) pro verbo (*conſequitur*) eſſe ſuppoſitum. Vbi enim Siticius dixit, vt teſtatur Iſidorus, *hæc ſunt quæ deinceps intuitu diuini iudicij omnes Catholicos Epiſcopos expedit cuſtodire*, hæc addit. *Primùm vt extra conſcientiam ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt, Primatis nemo audeat ordinare, integrum enim iudicium eſt, quod plurimorum ſententia conſequitur, ne vnus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat propter arrogantiam, ne furtiuum beneficium præſtitum videatur, hoc enim in Synodo Nicæna conſtat eſſe definitum.* Nunquid gladius iſte Gedeonis Monarchiam Pontificis ad internecionem vſque eſt deleturus? An non potius gladius in eum conuerſus, qui protulit, quo iugulatus, fateri tandem cogatur maximum illud ibidem notatum ſedis Apoſtolicæ omnium Primatis priuilegiũ, quo nullus Epiſcopus abſque eiuſdem conſenſu rite & legitimè poſſit ordinari? Quod vero ſequitur ea tantùm de cauſa ponitur, vt integrè iudicatũ, multorumque ſententia approbatum iſtud ſignificet; quod nempe Epiſcopus iuxta Nicænum Canonem non ab vno tantum, ſed à pluribus ordinari debeat, ſicque intet duas virgulas hæc verba (*quod plurimorum ſententia conſequitur*) reponenda ſunt: adeo vt quod de integro iudicio dicitur, non ad ea quę ſunt proximè inter duas virgulas poſita verba, ſed ad ea tantum quæ poſt duas illas virgulas leguntur, referri debeat; *Integrum*, inquit, *iudicium eſt, ne vnus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat.*

Iſidor. part. 2. Concil. in Concil. Teſ.

DE INFAILLIBILITATE.

LIBER II.

NVMQVID abyssus abyssum inuocat? quandoquidem absolutam qui Petro Monarchiam auferre nisus fuerat, nunciam & ei infaillibilitatem tollere molitur. Quibus vero armis? inspiciamus.

OBIECTIO.

Spiritum sanctum non defuturum ijs qui in nomine Christi congregantur & qui in vnum consentiunt, in scripturis Matth. 18. legimus. pag. 64.

RESPONSIO.

Quid porrò? Quid sequitur? Audiamus quęso Simonem, eumque diligentiùs attendamus philosophantem. *Christus*, inquit, *promisit Spiritum sanctum ijs affuturum, qui in nomine suo congregati fuerint.* Ergo Spiritus sanctus non adest summo Pontifici, nec summus Pontifex infaillibilitatis priuilegio gaudet. Quis non miretur argumenti subtilitatem ab vniuersali affirmatiua propositione, singularem conclusionem negatiuam elicientis? quasi quod dictum de vno alterum necessario excludat; Subiungit verò.

OBIECTIO.

pag. 64. *Vni autem cuilibet, quisquis sit, non defuturum nusquam legimus.*

RESPONSIO.

Luc. 22. Ad quid ergo Christus hæc intimauit? *Simon, Simon ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Dic sodes quem Christus alloquebatur? Ad quid nomen Simonis in textu Græco bis repetitum? Cur tot secũdæ personæ & in singulari numero posita pronomina? ἐγὼ δὲ δεήθην περὶ σοῦ, *ego rogaui pro te*, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου *ne deficiat fides tua*, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας *& tu aliquando conuersus*, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου *confirma fratres tuos.* Cùm de Sathanæ tentatione locutus est numerum pluralem apposuit, vt omnes Apostolos à Sathana expetitos, non dubium, quin vt subuerteret, restaretur, quando autem de speciali suæ orationis applicatione & de fratrum confirmatione verba fecit, singularem numerum adhibuit, vt singulariter vni, illi nempe quem alloquebatur, illa ipsa conuenire indubitanter assueueraret. Mihi forsan non credis? testibusque rem probandam suggeris, qui idem mecũ sentiant, singulariterque de Petro, duobus per hęc Christi verba, maximis priuilegijs, (fidei scilicet nunquam deficiendæ, & fratrum cõfirmationis,) gaudente, non pro tempore passionis tantùm, sed & in futurum dicta esse affirment? Ac de primo quidem priuilegio si agatur, tres ecce profero idoneos planè ac fideles testes, vt in ore trium ster

istud verbum. *Christus*, inquit S. Chrysostomus, *non dixit, non negabis sed vt non deficiat fides tua. Cura enim ipsius & fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret.* S. Chrysost. Homil. 83. in Matth.

Theophylactus item in persona Christi ad Petrum sermonem dirigentis. *Quàmuis*, inquit, *breui tẽpore concutiendus sis, sed habes recondita semina fidei, etiamsi deiecerit folia spiritus tentationis, viuet tamen radix & non deficiet fides tua.* Theophyl. in cap. 22. Luc.

Denique S. Augustinus. *Quando*, inquit, *rogauit Christus vt non deficeret fides eius, rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimamque voluntatem.* S. August. lib. de corrept. & grat. cap. 8.

Quoad autem fratrum confirmationem, alterum vtiquè concessum Petro priuilegiũ, post Theophylactum in persona Christi sic loquentem. *Postquam*, inquit, *me negato ploraueris, ac pœnitueris, corrobora cæteros, cùm te principem Apostolorũ deputauerim, hoc enim decet te, qui mecum robures & petra Ecclesiæ.* Theophyl. ibidem.

Post, inquam, Theophylactum, ducentos tibi patres in Ephesina Synodo congregatos tibi testes exhibebo, dum in Synodali epistola Celestino summo Pontifici scripta, ad prædictam Christi sententiam alludentes. *Est*, inquiunt, *vobis tam eximijs, hoc in consuetudine positum, vt fulcra Ecclesiarum constituatis*, vbi apprimè notandum nomen Græcum στήγμα, ibidem positum quod *fulcri* nomine Latinus interpres exposuit, quodquidem à verbo στηρίζειν ab Euangelista vsurpato in eodem de quo agitur loco deriuatur, significatque confirmare, fulcire, stabilire: vnde S. Petrus ἐστηγμένους 2. Pet. 1. ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ, *confirmatos in presenti veritate*, dicit, quasi ijdem Patres dicere voluerint, hoc in consuetudine positum, vt Ecclesias confirmetis. Apud S. Cyrill. tom. 2. epist. Synodali 12. in princip.

Nec immeritò de consuetudine loquuntur, cùm pluribus veterum & exemplis & testimonijs constet, morem olim ex Apostolica traditione fuisse, vt Romanus Pontifex statim atque fuerat creatus, ad confirmandos in fide fratres, fidem suam tanquam regulam, normamque certissimam eis mitteret. *Quia nos admones dilectione fraterna*, inquit Gelasius, *vt velut medicinam quandam fidei, Episcopis per Illyrium vel alijs ministrare debeamus, quanquam hoc copiosissimè factum sit à beatæ recordationis prædecessore nostro, & quia mos est Romanæ Ecclesiæ sacerdoti nouiter constituto, formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prorogare, hæc eadem cõpendiosa nimis breuitate studui renouare, vt sub qua fide viuendum sit secundùm statuta patrum in hac nostra epistola per breuitatẽ sine fastidio lector agnoscat.* Vicissimque etiam qui erant creati nouiter Patriarchæ vel Episcopi Synodicam epistolam statim ad Romanum Pontificem mittebant, tum vt rationem eius fidei quam profitebantur redderent, tum vt ab eo, quid super hoc tenere deberent, edocerentur: In hoc beati Pauli imitatores facti, qui vt ipsemet testatur, ascendit Ierosolymam vt videret Petrum, *Dignum quippe erat*, inquit S. Ambrosius, *vt cuperet Paulus videre Petrum, quia primus erat inter Apostolos, cui delegauerat Saluator curam Ecclesiarum.* Vel vt Theodoretus. *Paulus*, inquit, *præco veritatis, & tuba sancti Spiritus ad magnum Petrum accurrit, vt ijs qui Antiochiæ de legalibus institutis contendebant, ab ipso* (nota) *afferret solutionem.* Ita Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus ad Honorium, vt testatur Photius, Synodicam mittens, postquam de consuetudine prædicta his verbis locutus

Gelas. in epist ad Laurẽt. de Liga.

Galat. 1.

S. Ambros. in c. 1. epist. ad Galat.

Theodoret. in epist. ad Leonem.

locutus fuisset. *Apostolica*, inquit, *& vetus traditio inualuit, vt quinad Hierarchiam eliguntur, ad eos qui in Hierarchijs capessendis & administrandis maiores sunt, omnino syncerè referant quid sentiant, & qua fide sint, quam quidem traditionem sapientissimus Paulus illis tradidit ἄγαν ἀσφαλῶς, id est, valde cautè, ne in vacuum currerẽt, vanus enim esset eorum cursus omnis, si quid derimenti acciperet fides.* Hæc addit. *Huic nos consuetudini seruientes, ad vos θεοσόφους qualis sit fides nostra scribimus, πρὸς δοκιμὴν*, id est, *vt probetur, ne terminos æternos quos posuerunt patres nostri transire videamur, scribimus*, inquam, *ad vos, qui non solum nostis discernere ἀπὸ τῶν νόθων τὰ δόκιμα δόγματα, legitima dogmata ab adulterinis, sed etiam προσαναπληροῦν τὰ ἐλλείποντα supplere quæ desunt, potestis.* Quod & clariùs posteà eiusdẽ Sophronij legatus, nomine Stephanus, in Concilio Romano sub Martino 1. summo Pontifice, his verbis in secunda collatione, testatus est. *Hoc potestatiuè*, inquit, *olim, & ab antiquitus facere per Apostolicam, siue Canonicam consueuit auctoritatem, dum aperta lucubratione, non solum claues regni cælorum creditæ sunt ei, sed etiam & pascere primus iussus est oues totius Ecclesiæ Catholicæ, cum Dominus dicit: Petre, amas me, pasce oues meas. Sic etiam ipse præcipuè, ac specialiter firmam præ omnibus habẽs in Dominum Deum nostrum, & immutabilem fidem conuertere aliquando & confirmare* (nota) *exagitatos consortes suos, & spiritales meruit fratres, vt pote dispensatiuè super omnes ab ipso qui propter nos incarnatus est Deus, potestatem accipiens, & Sacerdotalem auctoritatẽ.* Et infrà Sophronium secũ loquentem introducens. *Quantocyus ergo*, inquit, *de finibus terræ ad terminos eius deambula, donec ad Apo-*

Sophron. in Synod. ad Honor. missa, apud Phot. in sua Biblioth. Baron. ad annũ 633. numer. 10.

Apud Baron. ad annum 633. numer. 37.

Ibidem numer. 39.

stolicam sedem, vbi orthodoxorum dogmatũ fundamenta existunt, peruenias, &c. Ita Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Synodica ad Leonem 3. summum Pontificem missa, post expositam plenè & copiosè fidei suæ confessionem, optans, vt Pontifex fide sua tamquam regula fixa, & certa norma fidē ipsius firmaret, petit ab eo vt mittat λόγους στηρίζοντας καὶ σωστίζοντας, id est, *sermones firmantes & dantes intellectum*, vt inquit, *vestris doctrinis, & exhortationibus firmati, stemus in hac fide solidi & integri, omnia quæ in ea sunt mysteria ab initio tradita inuiolata conseruantes.* Ita & Proterius Patriarcha Alexandrinus ad Leonem primum de fide sua per Synodicã retulit, petijtque, vt in ea firmaretur, vt constat ex eiusdem S. Leonis epistola ad Iulianum scripta, vbi hæc inter alia. *Fratrem Proterium*, inquit, *Alexandrinæ vrbis Episcopum gratulor satisfactionis plenas de fide sua ad me litteras direxisse, & manifestè quidnam credat indicasse, cui me dignam gratiam pro fidei ipsius synceritate necesse est præstare, vt honorem in nullo suæ perdat excellentiæ, sed sedis suæ priuilegia paternæ antiquitatis exemplo illibata possideat.* Hinc S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, cùm Nestorianam hæresim per Orientem latè serpentem conspiceret, de ea ad Cælestinum Pontificem in hæc verba referendum iudicauit. *Quandoquidem*, inquit, *Deus à nobis in huiusmodi causa vigilantiam nostram postulat.* καὶ τὰ μακρὰ ἔθη τῆς ἐκκλησιῶν παιδεύειν ἀναγκαίως τὴν σὴν ὁσιότητα, id est, *& longa Ecclesiarum consuetudo suadet cum sanctitate tua communicare, necesse est mihi scribere*, &c. Plura denique in eandem rem Patriarcharum & Episcoporum exempla suppeterent,

Nicephor. Patriarch. Cõstant. in Synodica ad Leonẽ 3. missa.

S. Leo epist. 68. ad Iulian.

S. Cyrill. Alexand. in epist. ad Cælest.

qui ab ipso Romano Pontifice varijs, perpetuisque temporibus, vbique terrarum, in ijs quæ ad fidem pertinebant, confirmati fuerunt, quæ breuitatis causa omittimus: Vt nõ alia de causa factum astruamus, quòd Romanus Pontifex in Oriente olim vicarium haberet Archiepiscopum Thessalonicensem, qui eius nomine prouincias visitaret lõginquas, aliaque expediret negotia, prout ratio, aut necessitas postulasset, id enim constat ex eiusdem S. Leonis Epistola ad Anastasium. Quod si aduersarius adhuc, Christum nequaquam per hæc verba promisisse Petro se ei non defuturum, vrgeat, Quid ergo? An non Christus asseuerando se rogasse, vt eius fides non deficeret, certiorem eum reddidit, se ei gratiæ efficacis auxilium à Patre supplicando impetrasse, quo munitus haberet, vt mox ex S. Augustino vidimus, in fide inuictissimam, perseuerantissimamque voluntatem, ad confirmandos præsertim fratres. *In Petro*, namque, inquit S. Leo, *omnium fortitudo munitur & diuinæ gratiæ* (nota) *ita ordinatur auxilium, vt firmitas quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis ceteris conferatur.* Et infrà. *Pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorũ status certior tunc futurus, si mens Principis victa non fuerit.* Et reuera, quærã ex te Simon, quando Christus orauit ne Petri fides deficeret, exauditusne est pro sua reuerentia, an non? Si non est exauditus, ergo frustra orauit, vel certè non benè petiuit, & ideò non impetrauit, & sic defecit fides Petri: At quis ista concedat, nisi qui negauerit Christum Dei filium? Exauditus ergo est, nec vnquam defecit, nec deficiet fides Petri ad firman-

S. Leo epist. 82. ad Anastas. in princip.

S. August. lib. de corrept. & gratia cap. 8.

S. Leo sermo 3. de anniuers. assumpt. suæ.

Theophylact. in cap. 22. Lucæ.

dos fratres. *Hoc vero intelligendum est,* ait Theophylactus, *non solùm de Apostolis, qui tunc erant, vt roborarentur à Petro, sed & de omnibus, qui vsque ad finem mundi futuri sunt, fidelibus.*

OBIECTIO.

pag. 66.

En verba genuina Canonis 5. Sardicensis Concilij in fine. Si autem sufficere putauerit ad rei cognitionem, faciet quod prudentissimo eius consilio rectè habere videbitur.

RESPONSIO.

Vt quid verò Canonis tantùm pedes, quasi monstrum quoddam sine capite esset, nobis obtrudis? expediebat certè integrũ exhibere illum, vt ex integra eius forma, æquius iudicium ferri posset. Noluisti tamen ne tibi damno foret, ita enim tanquam sorex indicio tuo perijsses. Mihi autem, cui lucrũ ex integritate eius non modicum obuenit, maximè cordi est integrum illum proponere. Audi ergo genuina ipsa, sed integra illius Canonis verba, sicut quondam ab vno ex nostris Christianissimis regibus citata fuêre. *Si quis* (inquit) *accusatus & iudicatus Episcopus congregatis eiusdem regionis Episcopis, de gradu suo dejectus Apostolicam sedem appellauerit, & confugerit ad Episcopum Romanæ Ecclesiæ & ab eo se audiri voluerit, scribendum est ab his qui causam examinauerunt Romano Pontifici. Et si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur, & det iudices. Si autem probauerit talem causam esse, vt non reficentur ea quæ acta sunt, quæ decreuerit confirmata erunt. Et si iustum putauerit vt renouetur examen, scribere his dignetur Episcopis, qui in finitima & propinqua*

Carolus Calvus in epist. ad Ioann. 8. summum Pontif. c. 8. inter epist. Hincmar.

prouincia sunt, vt ipsi diligenter omnino requirant, & iuxta fidem veritatis definiant. Quod si is qui rogat causam suam audiri, iterum deprecatione sua mouerit Episcopum Romanum, vt é latere suo Presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi & quid velit & quid æstimet (Græcus textus habet, ἐν τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ τοῦ ἐπισκόπου ὅπερ αὐ καλῶς ἔχῃ δοκιμάσῃ) *Et si decreuerit mittendos esse, qui præsentes cum Episcopis iudicent, habentes eius auctoritatem à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio iudicauerit.* Hucusque Canon Sardicensis, quem dum attentiùs cõsideraui, cum tanta verborum emphasi de veteri appellationum iure ad Pontificem Romanum, decernentem, mihi equidem mirum fuit quid Simon in eo comperisset, quod pro sua causa facere iudicaret: Tandem verò in mutilata illa Canonis parte nomen Concilij per c. pro nomine Consilij per s. ab eo vsurpatum deprehendi, quasi Canon ipse Romanũ Pontificem voluerit (si Episcopos sufficere putasset vt negotio terminum imponerent) id tunc agere, non quod ipsi soli, sed quod eius Concilio, seu cœtui ipsum ambienti, vel ab ipso euocato, rectum videbitur. At quàm iniqua & remota prorsus à Canonis mente interpretatio ea sit, inde mihi liceat colligere, quod cetera planè omnia, quæ in eodem Canone constituenda habentur, summi Pontificis arbitrio & voluntati prorsus relinquuntur, vt cùm ait, *Si iudicauerit renouandum esse iudicium, renouetur.* Et paulò post, *quæ decreuerit confirmata erunt.* Item, *erit in potestate Episcopi* (Romani) *& quid velit & quid æstimet*, Et

infra, *erit in suo arbitrio.* Quorsum ergo decurtata in fine potiùs, quàm in ceteris alijs eiusdem Canonis partibus, tibi videbitur summi Pontificis potestas, vt quod solus alibi potest, in fine nō possit? Fatearis ergo non genuina per te, sed omnino spuria reddita Canonis verba, quæ lēgi debeant, sicut ex Carolo Caluo Franc. Rege nuper vidimus & ex Isidoro nunc videbimus. *Si verò* (inquit Isidorus) *crediderit sufficere Episcopos comprouinciales, vt negotio terminum imponant, faciet quod sapientißimo consilio suo iudicauerit,* adeo vt sapientissimum consilium, non ad aliorum, sed ad ipsius mētem Pontificis referri debeat, quasi ordine verborum aliquantulùm inuerso dixerit Canon *faciet sapientißimo cōsilio suo,* (vel si malueris, *sapientißimo decreto suo*, vtrumque enim significat Græcum nomen βουλὴ in Canone positum) *quod rectum iudicauerit.*

Isidor. 1. part. Cōcil. in Concil. Sardic.

OBIECTIO.

pag. 66. *Instabam similiter Hieronymum idem sensisse ad Damasum.* Beatitudini tuæ id est Petri Cathedræ consocior communione: *quod sic interpretabar id est Pontifici è Cathedra Synodicè, non priuato motu decernenti.*

RESPONSIO.

At futilis planè atque inepta interpretatio tua est. Idem enim S. Hieronymus, vt quem propriè alloqueretur, Damasum nempe, non autem Concilium Damaso sociatum, non obscurè significaret, paulò ante dixerat. *Quamquam igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore* (nota) *præsidium ouis*

S. Hieron. epist. 57. ad Damas.

efflagito, cum successore piscatoris & discipulo crucis loquor. Quid clarius? deinde subiungit. *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri communione consocior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio, quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio:* Et infra: *Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est qui Christi non est, Antichristi est.* In quibus verbis S. Hieronymus, qui Damasum super Antiocheno schismate consulebat, hoc tantùm agit, vt protestetur se nihil aliud super hoc sentire velle, quàm quod sibi idē Damasus suggessisset. Per Cathedram verò Petri cuius communioni se consociatum asserit, vel ipsam Ecclesiam particularem Romanā, cui præsedit Petrus, cuius Damasus successor erat, intelligit, sancti Cypriani instar, qui de eadem loquens, *nauigare*, inquit, *audent ad Petri Cathedram & Ecclesiam principalem*, non alia quidē de causa, quàm quia, *ad eam*, inquit idem S. Cyprianus, *perfidia non potest habere accessum*, vel vt idem etiam S. Hieronimus, *Apostolica voce laudata huiusmodi præstigias non recipit*, vel vt S. Gregorius Nazianzenus, *ab antiquis temporibus rectam habet fidem & semper eam retinet, sicut decet vrbem, quæ toti orbi præsidet semper de Deo integram fidem habere:* Vel potestatem docendi secundùm traditionem Apostolorum, quorum princeps fuit S. Petrus, sicut olim de Cathedra Moysi locutus fuerat Christus, vel denique doctrinam ipsam à Petro traditam. Quidquid sit tamen inanis planè est Simonis interpretatio, quæ Synodum sibi affingit, vbi nullatenus reperitur.

S. Cypr. lib. 1. Epist. 3.

Ibidem.

Hieronym. lib. 3. Apolog. contra Ruffin.

Gregor. Nazianz. in carm. de vita sua.

OBIECTIO.

pag. 66. *Idem quoque asserebam in lege Mosaica obtinuisse ex 17. Deuteronom. & 2. Paralipom. cap. 19. summum sacerdotem nihil vnquam definisse nisi in consilio Iudaico ordinario.*

RESPONSIO.

Videamus ergo quid in citatis locis sacer ipse textus dicat. Ac Deuteronomij quidem 17. cap. *Si*
Deuter. 17. *difficille*, inquit, *& ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem, & c. surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus: veniesque ad sacerdotes Leuitici generis & ad iudicem, qui fuerit illo tempore quaresque ab eis, qui iudicabũt tibi iudicij veritatem: Et facies quodcumque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & c. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* 2. autem Paralipom. 19. *In*
2. Paral. 19. *Ierusalem quoque constituit Iosaphat Leuitas & sacerdotes & principes familiarum ex Israel, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius. Præcepitq́, eis, dicens: omnem causam quæ venerit ad vos fratrum vestrorum qui habitant in vrbibus suis inter cognationem & cognationem, vbicumque quæstio est de lege, de mandato de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarias autem sacerdos & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent, præsidebit: porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda super ea opera erit quæ ad Regis officium pertinent.* Et hæc quidem sacer ipse textus. Quid inde? Vbinam quæso præscriptum, nihil definiri nisi in Concilio de-

buisse? Fuerint certè sacerdotes à Moyse, vel à Iosaphat delegati, qui ortas de lege quæstiones explicarent, nũquid præiudicat quin & quod difficilius esset ad summum sacerdotem, cui obedire sub pœna mortis omnes tenerẽtur, posset referri? Audi quid super hoc doctissimus Lyranus hunc eundem Deuteronomij locum exponens, sentiat.

In his casibus, inquit, & cõsimilibus recurrendum est ad superiores iudices, scilicet ad summũ sacerdotem & iudicem populi. Et aliquando cõtingebat quod vtrumque officium in vnam concurrebat personã, sicut patet de Heli qui fuit iudex & summus sacerdos populi 1. *Reg.* 4. *sed vt communius, erant personæ distinctæ sicut & officia. Potest ergo intelligi iste recursus ad vtrumque coniunctim, & hoc erat in causis quæ non poterant terminari ab vno sine alio, vt pote in ædificatione templi, quæ non poterat fieri sine potestate regia, nec disponi absque sacerdotali ordinatione, vel diuisim: vt in causis spiritualibus esset recursus ad summũ sacerdotem & in temporalibus ad iudicem. Et ex hoc* (addit postea) *inoleuit consuetudo quod ab inferioribus iudicibus Ecclesiasticis appellatur ad summum Pontificem, & ab inferioribus principibus & iudicibus secularibus ad Regem seu Imperatorem.* Lyran. in Deuter. c. 17.

Obiectio.

Consilium Iudaicum ordinarium Cathedram Moysis vocat Christus. pag. 66.

Responsio.

Nunquid fortè Christus hanc tibi nouam de Moysis Cathedra interpretationẽ reuelauit? Nullum enim ex tot sanctis doctoribus, qui de Moysis Cathedra locuti sunt, hucusque repetire licebit

qui id dixerit. Omnes enim vel de doctrina legis per Moysem datæ, intelligũt, vt Origenes. *Qui*, inquit, *legem Moysi profitentur & interpretari se gloriantur, hi sedent super Cathedram Moysi.* Theophylactus. *Dominus dicit de his, qui in Cathedra Moysi sedent, hoc est, his qui ea quæ in lege habentur docent.* S. Hieronymus. *Per Cathedram*, inquit, *doctrinam legis ostendit*, S. Augustinus. *Sedendo Cathedram Moysi legem Dei docent.* Vel de ipsa successione. Hinc S. Chrysostomus. *Videndum*, inquit, *est quomodo quis super Cathedram sedeat, quia non Cathedra facit Sacerdotem, sed Sacerdos Cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum.* Oecumenius de Scribis & Pharisæis loquens. *Mosaïcæ*, inquit, *sedis, quæ Doctorũ est, facti sunt successores.* Quin & ipse etiam S. Augustinus idem planè sentire videtur, cùm de Cathedra Apostolica loquens. *Cathedra*, inquit, *tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua hodie Anastasius sedet, quare appellas Cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam? Nónne illam Cathedram Moysi commendauit, & illos seruato Cathedræ honore redarguit.* Alibi quoque vtramque interpretationem amplecti illum, quis dicere potest, dum ait: *In his Dominicis verbis vtrúmque debetis aduertere, & quantus honor delatus sit doctrinæ Moysi, in cuius Cathedra etiam mali sedentes bona docere cogebantur.*

Origen. apud S. Thomam in Catena in Matth. 23.

Theophyl. in Matth. 23.

S. Hieron. in Matth. 23.

S. Augustin. Tractat. 46. in Ioann.

S. Chrysost. apud S. Thomam in Catena Euãgel.

Oecumen. in 23. c. Matth.

S. Augustin. l. 2. contra Petilian. c. 51.

Idem contra Faustum lib. 16. cap. 29.

OBIECTIO.

pag. 66. *E sede siue è Cathedra respondere, est cùm Synodus cogitur, & super controuersiis nascentibus consensus Ecclesiarum & communio Sanctorum perquiritur iuxta articulum fidei,* Credo vnam

sanctam Ecclesiam, Sanctorũ Communionem.

RESPONSIO.

Quis tibi, Deus bone! talem huius articuli expositionem suggessit? Ab illo igitur Symboli articulo celebrandorum ratio Conciliorum emersit? Quid? Num Ecclesia ideò creditur vna, quia vnita per Episcoporum coadunationem in Synodo? Num & ideò creditur sancta, quia sanctiora eiusdem membra in Synodo adinuicem cõmunicant? Quid si nec Synodus vnquã celebrata fuisset, nec vnquam celebraretur, num Ecclesiæ vnitas, sanctitasque, aut iam defuisset, aut aliquando deficeret? Dic quæso, quando Apostoli in vnum congregati hunc in Symbolo articulum reposuêre, anne tunc Synodos cogitabant, quæ nec adhuc in rerum natura erant, nec nisi per accidens ob suborta nempe in religione & fide dissidia, originem habuêre? Quod si per Ecclesiam Catholicam & Sanctorum communionem Episcopos tantùm in Synodo congregatos intelligas, ergo ex solis Episcopis, quorum proprium munus est Synodis ad definiendum adesse, constabit illa Catholica Ecclesia, quam quilibet Christianus credere obligatur, nec alij Christiani ab Episcopis, in Ecclesia esse censebuntur. Quantò meliùs ergo ipsa Ecclesia (quæ propriè definitur *cœtus hominum eiusdẽ Christianæ fidei professione, eorumdémque Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipuè vnius in terris Christi Vicarij Romani Pontificis*) creditur vna & sancta, quia vt inquit S.

S. Petr. Chrysolog. serm. in Symb. Apost.

Chrysologus. *Neque à capite membra, neque sponsa separatur à sponso, sed dū tali coniunctione spiritus sit vnus, sit omnia & in omnibus Deus.* Vel *quia*, vt inquit S. Augustinus, *sola est per quam sacrificium Dominus libenter accept at, sola quæ pro errantibus fiducialiter intercedit, sola in qua opus bonum fructuosè peragitur, sola quæ intra se positos valida charitatis compage custodit, sola denique in qua mysteria superna veraciter contemplantur.* Ideoque etiam Sanctorum communio in ea creditur, quia in ea, vt iam in eius definitione diximus, ijsdem sacramentis, quæ sancta sunt, sanctosque nos efficiunt, bonisque operibus, quæ ab eius membris fiunt, à cunctis fidelibus, qui in ea sunt, participatur: vel quia denique, vt ait S. Augustinus, *Cum illis Sanctis, qui in hac, quam suscepimus fide, defuncti sunt, societate & spei communione tenemur.*

S. August. serm. 181. de Tempore.

S. August. serm. 131. & 181. de Tempore.

OBIECTIO.

pag. 67. *Quòd Petro Christus dixit:* Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, *hoc potius Cathedræ quàm Papæ conuenit.* Et paulò pòst de eodem

pag. 68. Lucæ textu agens. *Textus hic*, inquit, *intelligitur necessariò de solo tempore Passionis.*

RESPONSIO.

Cùm plus satis suprà in hoc eodem elucidando Lucæ textu elaborerauim⁹, *& apud bonos iudices*, vt inquit Lactantius, *satis habere debeant firmitatis, vel testimonia sine argumentis, vel argumēta sine testimonijs.* Cur, vtrisq; iam & argumentis nēpe & testimonijs adhibitis, diutius in eo immoremur, nō video, nisi fortè ad arguenda Simonis contradictoria verba. Quid ergo? *Christi sermo*, inquit, *potius Cathedræ quā*

Papæ conuenit. Itane? Numquid Cathedra fidem habet, quæ deficere possit? Numquid Cathedra conuerti aliquando potest, quæ subuerti nequit? Numquid Cathedra fratres habet, quos confirmare possit? Atqui, respondebit forsan, de Synodo per Cathedram representata ego loquor. Optimè. Sit ita. Quid vltra? *Textus hic*, addit ille, *intelligitur necessariò de solo tempore Passionis.* Ergo Synodus aliqua tempore Passionis, vel cogebatur, vel iam coacta erat, cuius fides deficienda erat: Quæ tamen illa fuerit, non cõstat, nisi fortè de illa Simon intelligat, quæ contra Christum congregata fuit. Ergo & Synodus illa post huiusmodi defectum tãdem aliquando conuertenda erat. At tempus ipsum nescitur. Ergo & fratres aliquos Synodus illa habebat, qui confirmari indigerent? Ad quid autem, ignoratur. Quid absurdius? Si Apostolos respondeat. Ergo vel in vnum congregatos, vel separatos. Primum vix dici potest, cùm scriptum esset: *Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Alterum verò nequit, alioqui Synodus nõ fuisset, quæ non nisi ex pluribus in vnum coëuntibus, componitur. Dato tamẽ quod de Apostolis separatis: Ergo non de solo tempore Passionis textus intelligendus, cùm tunc ipsi Apostoli potius confirmari, quàm alios confirmare opus habuerint. Adde, si adhuc Apostolos intelligat, vnde ergo paulò antè dixerat cùm de illis loqueretur, qui Pontifici è Cathedra definienti assidere debebant: *Nulli alij sunt quam consiliarij & iudices ordinarij à Christo instituti Episcopi & Clerus.* Numquid tunc Episcopi erant? Numquid & Clerus?

OBIECTIO.

pag. 68. *Si hoc Petro tantùm dictum est quatenus futurus Pontifex erat, hoc ius confirmationis solius est Petri & successorum eius. At confirmare fratres commune est non solum Apostolis, sed omnibus pastoribus.*

RESPONSIO.

Ius equidem illud confirmationis quoad fidelium omnium, cuiuscumque tandem gradus sint, siue, inquam, Patriarchæ sint, siue Episcopi, vniuersitatē, solius est Petri & successorum eius, ideoque dictum est illi *confirma fratres tuos*, non hos inquam, vel illos, sed in genere fratres tuos. *De toto enim mundo*, inquit S. Leo, *vnus Petrus eligitur, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, vt quàmuis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Quod si regit, vtique & nutantes confirmat. Hinc idem S. Leo. *Specialis*, inquit, *cura Petri à Domino suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.* Quoad fideles autem in particulari, nihil obstat, quin id etiam ijs incumbat, qui à Deo dati sunt siue Apostoli, vt loquitur Paulus, siue Prophetæ, siue Euangelistæ, siue Pastores, siue Doctores ad consummationē, vel cōfirmationem (id enim Græcum nomen καταρτισμὸν quod ἀπὸ τοῦ καταρτίζειν quod resarcire, seu reconcinnare significat, deriuatur, ferre potest, quidquid dicat Simon doctissimū Vallā arguens) Sanctorū, in opus mini-

Luc. 22.

S. Leo serm. 3. de assumpt. sua ad Pōtif.

Ibidem.

Ephes. 4.

sterii, in ædificationē corporis Christi, adeò vt sibi subditos, vel cathechizare, vel sacramētis munire, vel nutātes etiam cōfirmare queant. Et ita licet Parochus quisque suos Parochianos, Episcopus suos diœcesanos, Metropolitanus Epōs sibi subditos regere ac cōfirmare, si opus habeāt, possint. *Omnes* tamen vt ex S. Leone audiuimus, *propriè regit Petrus quos principaliter regit & Christus.* Ideoque quoties (vt ait S, Innocentius in Epistola ad Concilium Mileuitanum scripta) *Fidei ratio ventilatur, omnes fratres & Coëpiscopi nostri non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem, referre debent.* Hinc & factum quis dubitet, vt in litteris formatis, quibus olim Ecclesiæ vnitas monstrabatur, antiqui post nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nomen etiam Petri Apostolorum principis adiungerent, sicut ex Attico Episcopo constat. *Ne*, inquit, *in faciendis Epistolis Canonicis, quas mos Latinus formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo congregatis saluberrimè inuentum est & constitutum, vt assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus sancti, hoc est, π, υ, α, Petri quoque Apostoli prima littera π*, &c. Numquid mehercle vt declararetur, quod *sicut Christus*, vt ait S. Cyrillus Alexandrinus, *accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, super omnem principatum & potestatem, super omne quodcúmque est, vt ei cuncta curuentur, sic & Petro & eius successoribus plenissimè commisit, & nulli alij quàm Petro Christus quod suum est plenum. sed ipsi soli dedit.*

S. Leo vbi suprà.

Innocent. in epist. ad Cōcil. Mileuit. quæ est 93. inter epist. S. August.

Isidor. in fi. Cōcil. Chalcedon.

S. Cyrill. in lib. Thesauri apud S. Thomā in opusc. contra Græcos.

OBIECTIO.

Ego Iurisconsultus hoc à Iurisconsultis didici. Pag. 70.

gloss. in can. si enim, *de pœnit. dist. 2. illa verba interpretanda docet aut de Petro personaliter, aut quatenus Ecclesiam representabat, aut de tempore passionis. Antonius etiam de Rozellis tractatu de Concilijs.*

Responsio.

Cùm de iure agitur optimum equidem est Iurisconsultos consulere: Cùm autem de sacræ scripturæ expositione quæstio est, cur ad Theologos, non recentiores, sed antiquiores haud recurremus? Istud reuera sanctis illis doctoribus Basilio & Gregorio Nazianzeno maximæ laudi à Ruffino vertitur, quod *scripturarum intelligentiam non ex propria*, inquit, *præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat, hauriret.* Ad quid ergo Simon cùm de exponendo Lucæ textu mentio est, recentiorem nescio quem iuris glossatorem nobis intrudit? Si aqua viua desideratur, numquid non puteos habemus, quos foderunt patres nostri? Vnde ergo Palæstini isti humo impletos obstruere nituntur, ne ad bibendum limpidam nobis aquam exhibeant? Obstruant licèt, fodiemus tamen iterùm, nominibusque etiam à patre impositis eos appellabimus. Ac siquidem de illo quæritur, ad quem Christi sermo directus est, quis nisi Petrus vniuersalis Ecclesiæ designatus Pastor & Pontifex, vt iam diximus, per Sathanæ quidem tentationem agitandus, sed mox restituendus pro fratrum, hoc est, omnium fidelium confirmatione, censendus erit? Possem

Ruffin lib. 2. Hist. Eccles. cap. 9.

Genes. 26.

equidem

equidem ipsum Gratianum in medium proferre, ac suo glossatori opponere, dum alicubi hæc de Petro, nō vt priuata tātùm persona, sed vt summo & vniuersali Pontifice ait, *Petrum verò Christus in summum sacerdotem elegit, dum ei præ omnibus & pro omnibus claues regni cœlorum tribuit, & à se petra Petri sibi nomen imposuit, atque pro eius fide* (nota) *se specialiter rogasse testatus est, & vt cæteros confirmaret sibi iniunxit, dicens, ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Gratia. dist. 21. in princip.

Sed lubētiùs antiquorum Patrum testimonijs pro ipsa Petri persona reclamantibus, vtar. *Si Petrus*, inquit S. Ambrosius, *aliquando conuertitur, quia primam Dei secutus est vocem, quis potest dicere citò se esse conuersum? Ille namque iubetur confirmare fratres suos qui dixit, omnia reliquimus & secuti sumus te.* Et sanè eidem dicitur, Et tu conuersus confirma fratres tuos cui dictum fuerat, Rogaui vt non deficiat fides tua. S. Ambros. lib. 10. in Luc. c. 92.

Rogaui, inquit Oecumenius, *patrem meum tanquam homo, ne in tempore negationis perdas fidem tuā quam in me habes. Et tu aliquando conuersus, post negationem, videlicet per fletum amarum, hoc est in pristinum locum denuo restitutus, confirma fratres tuos: fratres autem eius, dicit reliquos Apostolos, aut illos qui per eos erāt credituri.* Oecumen. cap. 78. in Euāg. Luc.

Clarius verò Theophylactus interprete Oecolampadio, vt & inimici nostri sint iudices, quem & sequitur doctor Angelicus S. inquam Thomas. *Rogaui*, inquit, *vt non deficiat fides tua: Quàm uis enim breui tempore concutiendus sis, sed habes recondita semina fidei: etiamsi folia abiecerit spiritus inuadentis, radix tamen viuet & non deficiet fides tua. Tu verò conuersus confirma fratres tuos. Planè huius intellectus is est, quia te habeo vt principem discipulorum, post-* Theophyl. in cap. 22. Luc.

quàm negato me fleueris & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros: hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ petra es & fundamentum. Hoc autem intelligendũ est (addit ille) *non solùm de Apostolis, qui tunc erãt, vt roborarentur à Petro, sed & de omnibus qui vsque ad finem mundi futuri sunt fidelibus.* Idipsum & Lyranus doctissimus vtique sacrarum scripturarum interpres testatur. *Rogaui*, inquit, *vt non deficiat fides tua, scilicet finaliter, non enim rogauit quod Petrus nõ caderet, sed vt in casu non remaneret; Et tu aliquando conuersus, scilicet de peccato ad gratiam, confirma fratres tuos, quod dicitur & quia Ecclesia erat sibi committenda, vt habetur Ioannis vltimo, vbi ter dicitur ei à Christo, Pasce agnos meos. Ex hoc etiam patet fidem non deficere vsque ad finem mundi potissimùm in Ecclesia Romana, quia à Petro post Christum fundata est.* Ex his ergo cum S. Augustino concludere liceat, quòd *fidelior*, inquit ille, *hinc factus est Petrus posteaquam fidem se perdidisse defleuit, & maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum.* Sicque Christus in Petri post casum erectione, quia vtique alios confirmaturus erat, *totius corporis morbum*, vt inquit alibi idem S. Augustinus, *in ipso capite curauit Ecclesiæ, & in ipso vertice composuit membrorum omnium sanitatem:* Ac per hoc, ait S. Epiphanius, *iuxta omnem modum in ipso* (Petro) *firmata est fides, quia in eo omnes quæstiones ac subtilitates fidei inuenuntur.* Proinde, vt testatur Stephanus Archiepiscopus cum triplici Episcoporum Africanorum Concilio, in Epistola ad Damasum, *antiquis regulis sancitum est, vt nihil quàmuis in remotis, vel*

Lyran. in Luc. 22.

S. August. ferm 16. de Sanctis.

Idē serm. 124. de Tempore.

S. Epiph. in Ancorato.

Stephan in Synodica epist. Con-

in longinquo positis prouincijs tractandum, vel accipiendum esset, nisi ad notitiam Romani Pontificis fuisset deductum, vt eius auctoritate, iuxta quod fuisset pronuntiatum, firmaretur. cil. Mauritan. ad Damasum.

OBIECTIO.

Infallibilitas Pontifici non competit, nisi in Concilio Oecumenico, can. quoties 24. quæst. 1. & in decretalibus de Baptismo cap. maiores. Pag. 71.

RESPONSIO.

Vt quid glossam ex tuo cerebro citatis canonibus ingeris? Cur non aut Canones ipsos integros, vt sunt cõcepti, aut saltem cum glossa in iuris corpore recepta, nobis exhibes? *Quoties*, inquit Canon, *fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris auctorem referri debere, quod per totum mundum possit Ecclesijs omnibus in commune prodesse.* Vbi glossa, *aliud est*, inquit, *quæstionem de fide motam terminare, quod nulli* (nota) *præterquam Romanæ sedi permittitur, sicut hic dicitur: Aliud est ipsam sine diffinitione ventilare, quod Patriarchæ & Primates facere possunt.* Vbinam verò quæ de Concilio Oecumenico suggessisti, reperies? hinc Canon sequẽs ex S. Hieronymo desumptus hæc habet. *Hæc est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia Catholica didicimus, quãque semper tenuimus & tenemus, in qua si minus perite, aut parũ cautè, fortè aliquid positũ est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes.* Nunquid ergo S. Hieronymus talia Damaso Romano Pontifici intimasset, si faillibilem aliquando eum censuisset? Quod ad alium autem Canonem spectat, tex- Can. Quoties 24. quæst. 1. Gloss. in Can. Quoties. Can. 14. Hæc est fides 24. quæst. 1.

Cap. Maiores ẽ. de Baptismo.

tus est huiusmodi. *Maiores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelliget, qui eum quærenti Domino quem discipuli dicerent, ipsum esse respondisse notabit. Tu es Christus filius Dei vivi, & pro eo Dominum exoraſſe ne deficiat fides eius*: Vbi & glossa, *nota*, inquit, *quod cùm de articulis fidei dubitatur, ad Romanam sedem est recurrendum.* Ad quid verò recursus iste, nisi vt *ibi resarciantur damna fidei* (inquit S. Bernardus) *vbi non possit fides sentire defectum*, vel, *quia*, vt ait S. Petrus Chrysologus, *beatus Petrus qui in propria sede vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Ideo ex his Canonibus Romanum Pontificem, cùm de Cathedra, id est, tanquam Pontifex vniuersalem Ecclesiam, ea quæ ad fidem pertinent, docet, infaillibilem omnino esse meritò asserimus.

Gloss. in casu posita eod. cap.

S. Bernard. epist. 190. ad Innocent.

S. Petrus Chrysolog. 1. epist. ad Eutychet.

Obiectio.

pag. 71. *Sed nec Paulus, dum fidem Romanorum extollit de fide singulari Petri cogitauit.*

Responsio.

Et quomodo cogitasset? Quando fides propriè non est neque Petri, neque Pauli, neque alterius cuiusquam Apostoli, sed, vt notat in hunc locum Primasius, *sine dubio Dei, qui eam nobis infundit*, neque enim in Petrũ, neque in Paulum, sed in Deũ tantùm credimus. Quod si de fide prædicata Romanis, quamque maximo cum affectu amplexati fuerant Romani, quæstio est: quis non videt Paulum, cùm Romanorum fidem scribit annuntiari in vniuerso mundo, non tam extollere Romanos fidem suscipientes, quàm Apostolorũ principem

Primas. in 1. cap. epist. ad Roman.

Petrum, ipsam fidem Romanis prædicantem? *Dicit Deo gratiam Paulus*, inquit in hunc locum Theophylactus, *quia Petro discipulo Romani credidissent, qui id temporis Euangelium prædicaret, quo cum omnia sibi cõmunia duceret*. Et S. Hieronymus, vel saltem auctor commentariorum in Epist. ad Romanos, illa verba eiusdem Epistola exponens. *Vt vobis aliquid impertiar gratiæ spiritualis. Romanos*, inquit, *Petri prædicatione fidem tenentes, confirmare se velle Paulus dicit, non quod minùs accepissent à Petro, sed vt duobus Apostolis testibus, atque doctoribus eorũ roboraretur fides.* Hinc S. Ioannes Chrisostomus, satis aptè notat, Paulum non dicere Romanorum fidem manifestari, sed annuntiari in vniuerso mũdo, vt scilicet non tam excipientiũ fidem per bona opera manifestatam, quàm illam annuntiantium fidelitatem, cõmendaret. *Bene*, inquit, *dicit annuntiatur, ostendens quòd nihil debeat adiici, nihilque demi: Nuntij siquidem peculiare est opus tantùm quæ commissa sunt perferre, vnde & sacerdos nũtius vocatur, eò quòd non sua, sed quæ mittentis sunt, annũtiat.* Deinde vt ea quæ dixit, de Petro intelligenda monstraret, hæc addit. *Atqui Petrus prædicauerat Romæ: Cæterum quæ ille gesserat, Paulus pro suis reputat.*

Theophyl. in 1. cap. epist. ad Roman.

Auctor Cõmentar. in epist. ad Roman. cap. 1.

S. Chrysost. serm. 2. in cap. 1. epist. ad Roman.

OBIECTIO.

Sæpissimè Romani Pontifices à fide defecerunt. pag. 71.

RESPONSIO.

Sunt verba & voces, frustra illud asseritur, quod probatione indiget. Si plura dixisset, non tacuissem. At quia silet, silentium quoque teneo. Sufficiat si dixerim, nec vnquã istud euenisse, nec euenire potuisse, ea maximè de causa, quia Christus,

vt pluribus supra demonstrauimus, pro fide Petri, successorumque eius, vt non deficeret, orauit. Si orauit aut ex auditus est pro sua reuerentia, aut non. Si non est exauditus ergo frustra orauit, non bene petiuit, & ideo non impetrauit. At quis ista concedat nisi qui negat Christum Dei filium? Exauditus ergo est, sicq; nunquam defecit fides Petri ad confirmandos fratres. S. Augustin. in Psal. contra part. Donati. *Ipsa est Petra*, inquit S. Augustinus, *quam non vincunt superbæ inferorum portæ. Portæ autem inferorum*, secundùm S. Epiphanium, *sunt hæreses & hæresiarchæ*, & ita, *iuxta omnem modum*, addit ille, *in Petro firmata est fides, qui accepit claues cæloru, & soluit in terra & ligat in cælo.* S. Epiphan. in Ancorato. Ipla est *Ecclesia Apostolica Petri*, inquit S. Cyrillus Alexandrinus, quæ *ob omni seductione & hæretica circumuentione manet immaculata.* S. Cyrill. Alexand. apud S. Thomam in Catena super Matth. cap. 16. Vel, vt Theodoretus. *Tenet sancta ista sedes gubernacula regendarum cuncti orbis Ecclesiarum, tum propter alia, tum quia semper hæretici fœtoris expers permansit.* Theodoret. in epist. ad Renatum.

Obiectio.

p. 72. & 73. *Exempla proposuimus Conciliorum à Pontificibus Romanis coactorum ad restitutionem Formosi.* Et infra. *Inficiari non potest quin illi Pontifices è Cathedra prouinciauerint.* Paulò post. *Ambigebatur an Pontifex quempiam condemnatum ab alio Pontifice legitimè restituere posset, & postquam hic restitutus fuisset, vtrum legitimè sedè Apostolicam occupasset.* Item. *An quos Formosus ordinauerat essent bene ordinati, quæ omnia versantur in quæstione iuris. Itaque hos qui pro-*

Formoso, aut illos qui contra Formosum pronuntiabant, in iure errasse oportet.

RESPONSIO.

Si de restitutione Formosi agitur, vnicum reperitur super ea à Ioanne 9. Rauennæ coactum 74. Episcoporũ Concilium anno Domini 904. Cùm enim Stephanus 7. Apostolicæ sedis non tam legitimus Pontifex, quàm tyrannicus inuasor, doctrinarumque sanctarum insçius (vt ait Luithprandus, de Sergio asserẽs, quod de hoc Stephano erat dicendum) vi summa collecto non Concilio, sed Cõuenticulo duntaxat quorumdam Episcoporum, simulq; presbyterorum sibi similium, Formosi sanctissimi Pontificis venerandum corpus effosum, & è sepulchro extractum (horrendum dictu) tanquam viuentem hominem, ad iudicium adductum, iudicari, atque damnari & in pœnam, tribus digitis amputatis, in Tyberim demergi, fecisset, cunctosque etiam quos Formosus ordinauerat, gradu proprio depositos eiecisset: Quid mirum si pro abolendo huiusmodi contra ius, fasque attentato facinore, idem Ioannes 9. legitimus Pontifex prædictum Rauennatense Concilium congregarit? Scio equidem Sigebertum de Theodoro Stephani successore etiam asserere, quòd ordinatos à Formoso, quos Stephanus per vim exordinauerat, reconciliauerit: Quia tamen solus huius rei testis reperitur, non est quod ei fides in hoc adhibeatur, cùm præsertim ipse Theodorus non nisi viginti diebus sederit. Nec est quod aduersarius è Cathedra Synodicè pronunciatum à

Baron. ad annũ 904. numer. 3.

Luithprãd. lib. 1. cap. 8.

Sigebert. in Chroni. ad annũ 905.

Stephano contra Formosum, priùs agitaris, quas proponit, quæstionibus, objiciat: Cùm nec vlla falsæ illius Synodi acta extent, vnde ista ibi agitata conuinci possint: nec etiam Luithprandus, nec Sigebertus eorum meminerint. Quin potius, quoad irritatas Formosi ordinationes, in quo summũ suum ius Simon constituit, ex cap. 4. eiusdem Concilij Rauennatensis apparet, ordinatos à Formoso non tam Stephani decreto, quàm quorumdam libitu temerè fuisse eiectos. Sic enim habet.

Baron. ad annũ 904. numer. 7. *Episcopi igitur, seu Presbyteri, atque Diaconi necnon & Subdiaconi ceteriique alterius ordinis sanctæ sedis Apostolicæ, qui ab eodem venerando Papa Formoso canonicè fuerant consecrati & pro quorumdam libitu temerè eiecti sunt.* Sigebertus quoque exordinationis à Stephano factæ mentionem faciens. *Nec tamen*, inquit,

Sigebert. in Chron. ad annũ 903. *præsumpserat eos iterum consecrare:* Vnde liquet ordinatos à Formoso fuisse quidem deiectos atque depositos, ordinationem verò eorum irritam minimè declaratam: nam alioqui si ordinatio fuisset nulla, ordinari iterum debuissent. Licet autem

Luitpr. lib. 1. cap. 8. Luithprandus de iterata illa ordinatione nonnihil dicere videatur, errare tamen non minùs potuit, quàm cùm ea quæ Stephano ascribẽda erant, Sergio ascripsit. Adde quod ex eodem Rauennatensi Concilio, maximam vim factam fuisse Episcopis & præsbyteris in illa Pseudosynodo à Stephano congregata, vt cõdemnationi Formosi assensum præberent, liquidò constat. *Episcopi* (inquiunt Acta) *& presbyteri & reliqui Clerus qui eidem Synodo interfuerunt, quia ipsi veniã petentes, coactos se terrore ac formidine interfuisse cõfessi sunt, prece sanctæ*

Baron. ad annũ 904. numer. 5.

Synodi eis indulsimus: Adeò vt nec eorum cuiquam, in ea, quid sentiret profiteri, liberum fuerit, vnde prædicta Synodus super hoc definire, ne in posterum fieret coacta fuit, in hunc modum. *Statuentes & decernẽtes vt nullus futuris temporibus, Episcopis vim inferre, vel eos temerè lacerare præsumat, quatenus cùm ad Synodum conuenerint, liberè eis tractare & statuere liceat, quæ sanctorum Patrum canonica censura decreuit, nullusq; eos lacerare, vel sacris canonibus conceptis absque audientia & iusta examinatione inquietare, facultatibus nudare, aut quoquomodo in custodiam detrudere, absque status sui periculo pertentet.* Ex his ergo satis apparet tumultuariè, non Synodicè, nulloque seruato iuris ordine factam Formosi cõdemnationem: Nec mirandum certè si inualescentibus huiusmodi sedis Apostolicæ inuasoribus, plura sacris legibus inconcessa, ab illis tentata fuerint & vsurpata. Quid enim minus habet alienorum inuasor, à grassatore? Ab istis verò quis iusta, legitimaque requirat? Istud autem plerumque Deus optimus maximus tolerauit, vt palam omnibus fieret, eamdem Ecclesiam nequaquam humanũ esse figmentum, sed diuinum planè inuentum, quod nullo possit hominum vitio labefactari, nec mutari: Cui tamen, in hoc mille lacrymis deplorando statu, nec ipse defuit, qui nec inter eos, moribus licet deprauatos, vllum prorsus hæreticum, aut qui fidei contraria decerneret, esse permisit. Baron. ibid.

OBIECTIO.

Baronius fidem Gratiani & Canonum sugillat dum ait Gratianum hunc Canonem à Sigeberto pag. 73.

sumpsisse, & in eo lapsum quod hoc decretum Adriani quasi verum inter Canones inseruerit Can. Adrianus 63. distinct.

RESPONSIO.

Quidni fugillet? Vnde igitur sumpsit Canonem Gratianus? *Ex historia Ecclesiastica*, inquit ille in titulo Canoni præfixo. Quid amplius? Tacente Sigeberto, iam Simon loquatur, & quænã illa fuerit historia Ecclesiastica, vnde Gratianus Canonem sumpsit, nobis edisserat, alioquin è Sigeberto, si depromptam dixerimus, cùm nullibi reperiatur, non doleat. *A quo verò*, replicat Simon, *didicit Baronius hunc Canonem à Sigeberto exceptum.* Ex eo, inquam, colligit, quod nullus historicorum, qui res Caroli Magni per annos singulos digessêre, prêter vnum Sigebertum, huius Synodi ab Adriano coram Carolo celebratæ meminit. Omnes quidem ad vnum hoc eodem anno qui fuit 773. Carolum Romam orationis ergò adijsse, ibique festiuum Paschæ diem peregisse memorant: de Synodo autem nihil habent. *Anno* 773. inquit auctor incertus Annalium à Pithœo editus. *Carolus orandi gratia Romam venit & ab Adriano honorificè susceptus sanctum diem Paschæ cum lætitia celebrat.* Item auctor Annalium rerum gestarum ab eodem Carolo. *Anno* 773. *Rex dimisso ad obsidionem, atque expugnationem Ticini exercitu, orandi gratia Romam proficiscitur, & cum peractis votis ad exercitum fuisset reuersus*, &c. Regino. *Anno dominicæ incarnationis* 773. *Rex cùm ad Papiam peruenisset, Desiderium intrinsecus latitantem obsedit, ibique in suis castris celebrauit Nata-*

pag. 73.

Annal. incert. auctor anno 773.

Auctor Annal. rer. gest. Caroli anno 773.

Regino Chron. lib. 1. anno 773.

lem domini & Paſcha in Roma. Hermannus Contractus. *Anno 773, Carolus Longobardos cum Italia ſubiecit, ipſeque cum triumpho Romam venit.* Marianus Scotus. *Anno 773. Carolus omnia à Longobardorum Regibus erepta tam Romanis, quàm Adriano Papæ reſtituit & nunc primùm Romam peruenit Sabbato ſancto Paſchæ.* Quid quod nec Eginhardus, qui eidem Carolo familiariſſimè adhærebat, in libello quem de eius vita conſcripſit, nihil de illa Synodo, nec de iure eligendi Pontificis Carolo exhibito habet. Imo nec vetus ille etiam eiuſdem Caroli vitæ author, à Pithœo editus, licèt hoc eodem anno eiuſdem profectionis, Romã à Carolo in ſancto Paſchate factæ, mentionem faciat. *Dominus verò Carolus Rex*, inquit, *obſeſſa Papia Deſiderium Regem ibi incluſit & ibi natale Domini celebrans, & Paſcha Romæ. Reuerſus verò Dominus Carolus Rex à Roma iterum Papiam obſedit*, &c. Ad quid, quæſo, tam eximij auctores eodem tempore ſcribentes, rem tanti momenti ſubticuiſſent, ſi tunc Romæ peracta fuiſſet? Valde ergo opportunè in Sigiberti facta ſugillatio eſt: Cum præſertim & ex Compilatione Chronologica, quæ poſt Siffridi Epitomen reperitur, appareat, Carolum Magnum hoc Eccleſiæ Romanæ priuilegium cõceſſiſſe, quod nec ipſe, nec Imperatorum vllus, de electione Romani Pontificis ſe intromitteret: Hæc enim ſunt ipſiſſima illius auctoris verba, cùm de Saxonibus loquitur ann. 940. *Attamen*, inquit, *ipſe Otho magnus Imperator iuratus dedit priuilegium Ioanni Papæ, ſicut & Carolus magnus & Ludouicus Imperatores dederant Eccleſiæ Romanæ, vt de electione Romani Pontificis & alijs pertinentibus bea-*

Hermann. Contract. in Chron. anno 773.

Marian. Scotus Chron. lib. 3. in Carolo Magno.

Auctor vitæ Caroli Mag. à Pithœo editis pag. 19.

Compilat. Chronolog. anSo 940. in Benedicto Papa.

to Petro se non intromitterent, nisi de consilio Papæ. Quin & ex ipso Carolo, Episcoporum electiones liberas esse ex sacrorum Canonum præscripto, in suis Capitularibus statuente, satis constat, eum minimè sibi illas arrogare voluisse, sicut præfatus Canon à Gratiano ex Sigeberto desumptus suggerit.

Capitul. lib. 1. cap. 84. *Sacrorum Canonum non ignari*, inquit, *vt in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, assensum ordini Ecclesiastico præbuimus, vt scilicet Episcopi per electionem clericorum & populi secundum Statuta Canonũ, de propria diœcesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur.*

OBIECTIO.

pag. 73. *Nec verba Sigeberti secutus est Gratianus.*

RESPONSIO.

Imò ipsissima verba Sigeberti, paucis admodum exceptis, secutus est Gratianus: Nũquid Canonem legisti? Vnde ergo huic detrahis veritati? Candidus iudicet lector: Ego vtrumque textum Sigeberti, Canonisque exhibebo. Ac Sigebertus quidem hæc habet. *Anno 773. Adrianus Papa ad tuendas res Ecclesiæ Carolum Romam accersit. Quo pergens, Papiam obsidet, ibique relicto exercitu, Romam pervenit, sanctam Resurrectionem ibi peregit, postea rediens Papiam cepit. Iterumque Romam rediit, Synodum constituit cum Adriano Papa, aliisque 153. religiosis Episcopis & Abbatibus, in qua Adrianus Papa cum vniuersali Synodo cedit ei ius eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem, dignitatem quoque Patriciatus: Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas prouincias ab eo inuestituram accipere definiuit, & vt nisi à Rege laudetur & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur,*

Sigebert. in Chron. anno 773.

omnesque huic decreto rebelles anathematizauit, & nisi resipiscerent bona eorum publicari. Et hæc quidem Sigebertus, in gratiam Henrici 4. Imperatoris malè sibi huiusmodi inuestituras vindicantis, ex suo cerebro, absq; vllo veterum testimonio, adinuenit. Quem & Gratianus postmodum est secutus, ex mera ipsius Sigeberti relatione, Canonem huiusmodi faciens. *Adrianus Papa*, inquit, *Romam venire Carolum Regem ad defendendas Rex Ecclesiæ postulauit. Carolus verò Romam veniens Papiam obsedit, ibiq; relicto exercitu in sancta Resurrectione ab Adriano Papa Romæ honorificè susceptus est. Post sanctam vero Resurrectionem reuersus Papiam cepit Desiderium Regem: Deinde Romam reuersus constituit ibi Synodum cum Adriano Papa in Patriarchio Lateranensi in Ecclesia S. Saluatoris, quæ Synodus celebrata est à 153. Episcopis religiosis & Abbatibus. Adrianus autem Papa cum vniuersa Synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Dignitatem quoque Patriciatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas prouincias ab eo inuesti turam accipere definiuit, & vt nisi à rege laudetur & inuestiatur Episcopus à nemine consecretur, & quicumque contra hoc decretum ageret anathematis vinculo eum innodauit, & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit.* Can. Adrianus 63. dist.

OBIECTIO.

Iuo Carnotensis auctor Panormiæ. pag. 74.

RESPONSIO.

Qui rectiùs de Panormiæ, seu potiùs Pannomiæ authore locuti sunt, non Iuoni Carnotensi, sed Hugoni Cathalano illam ascripserunt. Audi quid super hoc Ioãnes Molinæus vir vtique eruditissi-

mus, cuius diligentia amplissimum eiusdem Iuonis Decretum nobis innotuit, scribat. Cùm enim de amplitudine eiusdem Decreti multa dixisset, hoc tandem modo cõcludit. *Cæterum*, inquit, *cum librorum prolixitate ac magnitudine, non omnes perinde (vt fit) afficerentur, non defuit qui in arctiorem formulam protinus vniuersum authorem contraheret, quo compendiolo cùm studiosi plurimum vterẽtur, facilè accidit vt Iuonis labores in oblivionem venerint, & tantum non interciderint, adeo vt in hanc horam omnibus creditum sit, exiguum illum libellum, qui titulo Pannomiæ Iuonis incerto authore (nisi quod quidam Hugonem Cathalanum fuisse suspicantur) passim circumfertur, esse ipsum autographũ, quod hactenus omnes latuit & etiamnum lateret, nisi tu reuerende Pater id è tenebris in lucem, omniũ mortalium primus vindicasses.* Idem quoque sentit Petrus Gregorius nostri etiam sæculi doctissimus Iurisconsultus.

Ioann. Molinæ. in præfat. ad Iuonis Decret.

Obiectio.

pag. 74. *Quem Iuonem verisimile est ante Sigibertum scripsisse, cùm idem Sigebertus Iuonis Præpositi Ecclesiæ S. Quintini meminerit anno 1077. quadraginta ferè annis, antequam Sigebertus diem clauderet extremum.*

Responsio.

Quid, quod & idem Sigebertus meminit consecrationis eiusdem Iuonis in Episcopum Carnotensem ab Vrbano 2. factæ? *Anno*, inquit, 1092. *dominus Iuo sancti Quintini Beluacensis præpositus à Papa Vrbano consecratus fuit Carnotensis Episcopus.* Quid tum? *Verisimile est*, inquit, *Iuonem ante Sigebertum*

Sigebert. in Chronic. anno 1092.

scripsisse. At nec ante, nec posteà, sed eodem planè tempore Iuo & Sigebertus scribebant, Quid plura? *Sigebertus*, addit Simon, *Iuonis meminit quadraginta annis antequam diem clauderet extremum.* Quorsum hæc? cùm eodem fermè tempore vterque Iuo & Sigebertus diem vltimum obierint. Sigebertus nempe anno 1112. Iuo autem anno 1114.

OBIECTIO:

Iuo Carnotensis eadem scripsit. pag. 74.

RESPONSIO.

Vbinam quæso? Duo equidem exant volumina Iuonis nomine inscripta, vt optimè notat Gratiani decreti Præfatio, quæ & eandem habēt præfationem, quorum vnum, quod Pannomia dicitur, alterius, quod absolutè Decretum inscribitur, quasi Epitome quædam est. Si ergo in Pannomia respondes, iam probaui hanc Epitomen non Iuonis esse sed Hugonis Cathalani. Si in Decreto quod verissimè Iuonis opus est, audacter dico, falleris. Cutiosiùs siquidem totū Iuonis Decretum, ac præcipuè quintam eius partem, vbi quod asseris, potius repetiri debuerat, peruolui, nec tamen vnquam supracitatum Canonem *Adrianus* inuenire fas mihi fuit. Citantem teuera, inuenio Canonem, *Cum Adrianus*, dist. 63. cum hoc titulo, *quod in electione Romani Pontifices legati Imperatoris non sunt expectandi.* Item can. *Ego Ludouicus*, eadem dist. de quo proximè nobis agendum erit, cum hoc titulo. *Pactum constitutionis Imperatoris Ludouici primi cum Romanis Pontificibus.* Item can. *Constitutum*, eadem dist. cum hoc titulo, *Constitutum primi Henrici & primi Ottonis cum Romanis Pontificibus*, vbi hæc

habentur, *Vt nullus missorum nostrorum cuiuscumque impeditionis argumentum componere in electione Romani Pontificis audeat omnino prohibere.* Item, *in electione Romanorum Pontificum neque liber, neque seruus ad hoc venire præsumat, vt illis Romanis quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum. Quod si quis contra hanc nostram constitutionem præsumpserit, exilio tradatur,* Quin & ibidem eum citantem reperio cap. 11. Synodi 8. cum hoc titulo, *nullum principum vel potestatum Laicorum electioni Episcoporum se inserere violenter debere & si fecerint quid de eis agendum sit.* Necnon & cap. 8. Concilij primi Parisiensis cum hoc titulo. *De eodem Canone apud Parisios sub Ludouico Rege.* Vbi hæc inter alia. *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi & Clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum comprouincialium ingeratur. Quod si per ordinationem regum honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus loci illius Episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum agnoscunt.* De Canone autem *Adrianus*, nec de Synodo Romæ ab Adriano celebrata, aut de iure eligendi Pontificem, Carolo in ea concesso: ne verbum quidem. Consulat Iuonem candidus ipse lector, Simonemque non minùs quàm Sigibertum suggillet.

Obiectio.

pag. 74. *Si historia Canonis* Adrianus *falsa est, ecquis Canonem* Ego Ludouicus *suppositus, quo narratur*

ratur Ludouicum cessisse iure eligendi Romani Pontificis, quoantea fruebatur cum prædecessoribus suis conformiter ad Canonem Adrianus.

RESPONSIO.

Quid si nec in isto Canone *Ego Ludouicus*, mentionem fieri vllius cessionis à Ludouico factæ, iuris alicuius, sibi, aut suis prędecessoribus in Romani Pontificis electione aliquando concessi, monstrauero? quid de Simone se Iurisconsultissimum mordicus vendicante, qui Canones tamen, vel Canonũ sensum ignoret, senties? breuem ergo, sed nihilominus verissimã huius Canonis explicationem, quia prolixus nimis est ipse Canon, & breuitati studeo, ex glossa illi affixa, depromamus. *Hoc Capitulum*, inquit, *diuiditur in duas partes. In prima parte dicitur quod Ludouicus Imperator concessit & confirmauit Paschali, & eius successoribus Romam cum toto suo ducatu & territorio in perpetuum tenere & habere quietè, sicut antecessores quietè possederunt. In secunda parte dicitur quod quando Papa de hoc mundo migrauerit, nullus electionem successoris, cuiuscumq; sit gentis, impediat, vel electoribus contradicat, scilicet Cardinalibus, sed eo elato & consecrato, nuntij dirigantur ad Regem Francorum, ad pacem & amicitiam inter eos sociandam.* Quid inde? Anne istud est, se ius aliquod habuisse in Romanorum Pontificum electione, profiteri? Quod si per ea, quæ Ludouicus prohibet, tacitè eum priuilegio renuntiare, quis dixerit: Vnde verò, inquam, nec ille se renuntiare asserit, nec illud etiam exprimit, cui renuntiare velit?

Gloss. in can. Ego Ludouic. 63. dist.

OBIECTIO.

pag. 74. *Hunc Canonem etiam post Paschalem Pontificem à Gregorio obseruatum sub Ludouico ipso, fidem facit author incertus, sed sæculi illius, in vita Ludouici.*

RESPONSIO.

De præfato Canone nulla fit mentio in vita Ludouici. Quòd si obseruatum eum dixeris, dic quæso, cur potiùs in Gregorij 4. electione, quàm Eugenij 2. aut Valētini, qui eum præcesserūt, Paschalemque secuti sunt? Scio equidem cùm in Eugenij electione, haud leuis momenti schisma interueniisset, opus fuisse Ludouico Imperatori, vt Romam mitteret Lotharium filium suum, non ad irritādam certè Eugenij electionem quasi absque eius consensu, vel auctoritate peractam. *Sed vt vi-*

Auctor incert. rer. gestar. Ludouici Pij apud Baro. anno 824. numer. 12.

ce sua functus, inquit Author incertus rerum gestarum Ludouici, *ea quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum nouo Pontifice, atque Romano populo statueret, atque firmaret.* Quod & fideliter præstitit, dum inter alia Romanæ Ecclesiæ libertati in his quæ ad electionem Romani Pontificis spectarēt summopere prospexit: vt ex edita tunc ab eo constitutione satis superque apparet. *Volumus*, inquit, *vt ad*

Baro ibid. numer. 13. ex Sigon. de regno Italiæ in Ludouico anno 825.

electionem Pontificis nemo audeat venire, neque liberi, neque seruus, qui aliquid impedimenti inferat, exceptis illis tantùm Romanis, quibus antiqua fuit consuetudo concessa, per constitutionem sanctorum Patrum, eligendi Pōtificem. Quod si quis contra nostram iussionem facere ausus fuerit, exilio afficiatur. Quod ad electionem autem Gregorij spectat, quidquid dicat Auctor vitæ Ludo-

uici, certum, ex Anastasio Bibliothecario insigni illius temporis scriptore (qui eamdem pluribus verbis prosecutus est) deprehenditur, nullum Ludouici nec expetitum, nec expectatum fuisse consensum: Quin potius renitentem eum, reluctantemque in sede Apostolica collocatum asserit: Vt inde colligas si expectandus fuisset Ludouici, qui tunc in Gallijs degebat, consensus, quis dubitat quin Gregorius, prolixioris moræ occasione sumpta, non latibula tantùm Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani ad effugiendum, quæsijsset, sed ex vrbe egressus ad alias prouincias demigrasset. Sed præstat ipsum audire Anastasiũ. Ac de electione quidem Gregorij ita loquitur. *Vniuersorum*, inquit, *procerum corda, adiutor in opportunitatibus in tribulatione creator omnium Deus, inextinguibili suo sancto lumine succendit, & mentes eorum omnium ad beatissimi Gregorij pia facta conuertit. Consenserúntque in eum omnes, vno spiritu, vna anima.* De vi autem eidem Gregorio illata, vt Pontificatum assumeret, hæc habet. *Electus autem ab eis in Patriarchium Lateranense perductus est, cùm extraxissent eum è Basilica SS. Martyrum Cosmæ & Damiani per vim: Dicebat enim se ad tantùm ministerium inutilem fore, sed tamen immensæ multitudini resistere non valentem, ad locũ iam prædictum cum Hymnis & Cãticis spiritualibus deduxerunt.* Vides ergo quàm malè cohæreant, quæ ab Authore vitæ Ludouici asseruntur, dum inter electionem & ordinationem Gregorij, expectatum dicit Ludouici consensum.

Anastas. in Gregor. 4. & apud Baron. ad annum 827. numer. 32. & 33.

Ibidem.

OBIECTIO.

Leo Papa can. In Synodo. *eadem distinct.* pag. 74.

idē de Adriano ac Sigebertus testatur. Et paulò
pag. 75. pòst. *Non minor imperitia Vallæ in oppugnandæ fide illius Canonis* In Synodo. *qui est Leonis* 8. *quem fuisse Antipapam, & Ioanni* 12. *atque Benedicto* 5. *rebellem comminiscitur.*

RESPONSIO.

Numquid verò legitimum Pōtificem Leonem dixeris, qui viuente legitimo Ioanne 12. in sedem Apostolicam ab Othone Imperatore est intrusus? Quòd si depositū asseras Ioannem, à quo tandem, vbi, & qua de causa depositus fuerit respondeas oportet: Nec enim tam parui momenti res est, depositio summi Pontifici ab omnibus recepti, quique iam per octo annos Pontificalem sedem tenuerat: *Cui* & idem Otho Imperator cum solemni
Can. Tibi Domino, 63. dist. iuramento can. *Tibi Domino.* distinct. 63. relato, promiserat se ei Romanæque Ecclesiæ bene consulturum, omniáque Ecclesiæ Romanæ bona à
Integrum diploma refertur à Baron. ad anni 962. à numer. 3. vsq; ad 12. habetur. & illius fragmentum Can. Constitutio 63. distinct. tyrannis deprædata fideliter restituturum. *In cuius* fauorem diploma confirmationis rerum Ecclesiæ Romanæ dederat, anno Domini 962. vbi hæc inter alia pro libera Romani Pōtificis electione habentur, *vt scilicet in electione Pontificum, neque liber, neque seruus ad hoc venire præsumat, vt illis Romanis quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum Patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum: Quod si quis contra illam constitutionem ire præsumpserit exilio tradatur: A quo* paulò ante idēm
Luithpr. l. 6. cap. 6. Otho, vt auctor est Luithprandus, vnctionem susceperat Imperij. Et *quem* etiam ille ipse Otho cum vniuerso Episcoporum Romæ congregatorum

cœtu, in Synodali ad eum missa Epistola summũ Pontificem, vniuersalemque Papam appellauerat. Vnde ergo tanta mutatio, vt absque mora, intra breue temporis spatium, non solùm è sede sua Ioannes deiectus, sed & in eius locum suffectus eo viuente successor fuerit? Numquid monstrum videre tunc erat, suffectum corpori caput, priore capite nulla præciso sententia? An vero sententiam dixeris ea omnia, quę in Pseudosynodo contra Canones, absque auctoritate summi Pontificis Romæ coacta, in summi Pontificis Ioannis condemnatione, continuator Luithprandi factitata narrat? *Rogant*, inquit, *è Synodo Imperatorem, ob immania flagitia Ioannẽ pelli & alium aliquem virum frugi subrogari. Hæc ad eos Imperator. Placet quod dicitis, nihilque gratius nobis, quàm vt talis qui huic sanctæ & vniuersali Sedi præponatur, inueniri possit. His dictis omnes vna voce dixerunt Leonem venerabilem in pastorem eligimus.* Hæccine ergo est Synodi istius in summum Pontificem Ioannem prolata sententia? In quanam Synodo, dicas velim, petitum est vnquã ab Episcoporũm consessu, vt Imperator Episcopum vel Clericum aliquem, ne dicam summum Pontificem, condemnaret? Quin sæpiùs ab Imperatore postulatum legimus, vt sancta Synodus accusatum hominem Ecclesiasticũ iudicaret. Esto nihilominus. Ritè potuerit & secundùm iuris ordinem pronunciari sententia. Quis reus est? quis in iudicium vocatus? ille nempe qui in his quæ ad mores spectant, nullum alium præter Deum iudicem agnoscit. Assertum namque lẽgimus in Romano Concilio in causa Symmachi quod,

Refertur à Baron. anno 963. numer. 23.

Luithprãd. l. 6. cap. 6. & apud Baron. anno 963. num. 4. vsque ad 34.

Acta Palmar. Synodi apud Baron. anno 502. numer. 6. Anastas. in Leone 2. & post eum Paulus Æmilius l. 3. hist. Franc. in Carolo Magno.

numquam Antistes Romanæ sedis subiacuit minorum iudicio: Et in alio Concilio Romano, cui interfuit Carolus ille magnus, dum causa Leonis tertij tractaretur, *vniuersi Archiepiscopi*, inquit Anastasius, *& Episcopi, & Abbates vnanimiter dixerunt. Nos sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Ecclesiarum iudicare non audemus: nam ab ipsa nos omnes, & à vicario eius iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit: Sed sicut ipse summus Pontifex consueuit, iubeat & Canonicè obediemus.* Vnde ergo tanta præsumptio, vt non solùm in summum Pontificem sententia feratur, sed & alius in eius locum sufficiatur? Nunquid forte de hæresi accusatus talem sententiam promeruit? Nihil minus. De quibusdam ergo criminibus accusatus, non tamen conuictus condemnatur. Quod facinus ex probatis scriptoribus nonnulli minùs probauêre.

Otho Frising. lib. 6. cap. 25.

Hæc omnia, inquit Otho Frisingensis, *vtrum licitè aut secus acta sint, dicere præsentis non est operis. Inueni tamen in quibusdam Chronicis sed Theutonicorum, præfatum Ioannem reprehensibiliter vixisse, sed frequenter super hoc ab Episcopis aliisque subditis suis conuentum fuisse. Cui rei durum videtur fidem accommodare, quia Romana Ecclesia hoc speciale priuilegium sacerdotibus suis ascribere solet, quod meritis Petri supra firmam petram fundati, nulla eos porta inferorum vel turbo tempestatum ad exitialem ruinam inuoluat.* Sanctus etiam Antoninus enarrata electione Leonis in locum Ioannis suffecti. *Vtrum autem*, inquit, *licitè hoc fieri potuerit, vt Papa etsi notorius peccator valde, & scandalizans Ecclesiam, potuerit deponi etiam à Synodo, excepto vitio hæresis, & alius eo viuente & non renuntiante spon-*

S. Anton. part. 2. hist. tit. 16. c. 1. §. 16.

te creari, magna quæstio est, nec præsentis operis definire, sed tantum historiam texere. Hinc iure factum dixeris, quòd idem Ioannes posteà in vrbem regressus. *Synodo coacta*, ait Sigebertus, *Leonem deposuit, & omnia eius gesta cassauit. Statutum quoque est publico omnium iudicio Synodum à Leone habitam, nec nominandam Synodum, sed prostibulum fauens adulteris:* Quod & acta eiusdem Synodi testantur, vbi in prima actione hæc verba leguntur. *Ioannes pijssimus ac sanctissimus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Papa dixit. Scitis dilectissimi fratres me fuisse expulsum Imperiali vi, à propria sede per duos menses. Quapropter vos plurimùm rogo, si dici potest regulariter Synodus illa, quæ habita est me absente, in Ecclesia mea, quarto videlicet Decembris ab Ottone Imperatore suisque Archiepiscopis, atque Episcopis, an non? Sanctum Concilium respondit. Prostibulum fauens adultero, inuasori scilicet alienæ sponsæ, nempe Leoni intruso. Pijssimus ac sanctissimus Papa dixit. Ergo damnanda est à nobis. Sanctum Concilium respondit. Authoritate sanctorum Patrum damnanda. Tunc pijssimus ac sanctissimus Papa damnauit eam in perpetuum, cum eorumdem Episcoporum consona responsione.* Absit ergo vt schismaticus iste Antipapa Leo inter legitimos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifices numeretur. Nec est quod quis eum sin minùs viuente Ioannes, saltem eo mortuo, Pontificem fuisse obijciat. Electio namque & ordinario Benedicti quinti Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (quem S. Antoninus virum simplicem & innocentem testatur) quantocyus post Ioannis obitum, à Romanis facta, eundem Leonem à numero Pontificum prorsus excluſit. Nec his obest eiusdem Benedicti præ-

Sigebert. in Chroni. ad annū 963.

Baron. ad annū 964. numer. 6. & seqq.

S. Antonin. part. 2. hist. tit. 16. c. 1. §. 17.

sumpta depositio, & in exilium deportatio, ab eodem Pseudopontifice Leone, post Othonis reditum in vrbem facta, cùm planè iniusta fuerit; De ea enim ita Ditmarus in Chronico. *Romanorum*, inquit, *præpotens Imperator Otto valentiorem sibi in Christo Dominum Apostolicum Benedictum nomine, quem nullus* (nota) *absque Deo iudicare potuit, iniustè, vt spero, accusatum deponi consensit, & (quod vtinam non feciſſet) exilio ad Hamaburg relegari præcepit:* Adde quod etiam, teste Adamo vetere Chronographo, nisi Benedictus diem obijsset, Romanis poscentibus, à Cæsare sedi suæ restituendus erat, *Igitur*, inquit, *apud nos in sancta conuersatione viuens* (Benedictus) *alioſque sanctè viuere docens, cùm iam, Romanis poscentibus, à Cæsare restitui deberet, apud Hamburg in pace quieuit:* Vt hinc appareat eumdem Benedictũ semper pro legitimo Pontifice habitum fuisse. Si ergo & Ioannes & successor eius Benedictus legitimi semper Romanæ Ecclesiæ Põtifices fuerunt, quid de Leone, qui ijsdem viuentibus se pro Põtifice gessit, dicendum erit? Numquid prodigiosum est, vt vni corpori duo adhęreãt capita? Quòd si nec verus nec legitimus Pontifex fuit, qua auctoritate Constitutionem illam pro concessione Othoni facta de ordinatione Apostolicæ sedis & Ecclesiarum inuestituris, edere potuit?

Ditmarus apud Bato. anno 965. numer. 1.

Adamus lib. 2. cap. 6. Baron. ibid. numer. 2.

Obiectio.

pag. 75. *Attamen est insertus Canon iste in corpus Canonum ab Iuone & Gratiano nec expunctus à Pontificibus.*

RESPONSIO.

Licet inconsideratè nimis à Gratiano, & ab authore Pannomiæ qui post eum vixit, insertus Canon fuerit: ab Iuone tamen in corpus Decreti ab eo compilati nequaquam relatus est. Quòd si minùs expunctum à Pontificibus objicias: Ne mireris: Cum eorum, præsertimque Gregorij 13. studium in emendatione Gratiani decreti impensum, in hoc tantùm fuerit, vt errores à bibliopolis, vel etiam ab ipso Gratiano, in citationibus commissos, corrigerent, non autem vt aliqua parte decretum ipsum decurtarent.

OBIECTIO.

Æneas Siluius Epist. 25. Hadrianus Papa & Leo Romanis Imperatoribus ius ordinandi Apostolicam sedem, & Episcopos per Imperium nominandi concesserunt. pag. 75.

RESPONSIO.

Quid mirum si & Æneas Syluius Gratianum parùm cautè secutus fuerit, cum & B. Antoninus idem fecerit? Si probandus Canon *Adrianus*, non probandus vtique testibus, qui post Gratianum vixerint, quique eandem cum eo erroris viam ingressi sint, sed legitimis testibus, qui ante eum, tempore videlicet Caroli Magni, quando hæc agitata dicuntur, floruerint, tumque legitima probatio erit.

OBIECTIO.

Gregorius 7. can. in die, *de consecrat. dist.* 5. Romani diuerso modo agere ceperunt, maximè à tempore quo Theutonicis con- pag. 75.

cessum est regimen nostræ Ecclesiæ.

RESPONSIO.

Quid? Etiam-ne Gregorium illum 7. Ecclesiasticæ libertatis defensorem acerrimum, quique per tot annos tot bella contra Theutonicum Imperatorem Henricum 4. pro tuenda illa, sustinuit, testem profers? An ignoras quot decreta tulerit, quot Concilia celebrarit, quot fulmina iecerit aduersus eos, qui eandem Ecclesiæ libertatem violare, electiones, seu Pontificis Romani, seu Episcoporum sub inuestituræ nomine sibi arrogando, nitebantur? Plura dicerem ni sole clariora, omniumque ore celebrata conspicerem. Quòd verò ad citatum Canonem spectat, nunquid vides nullatenus in eo agi de summi Pontificis electione, sed de officio tantùm Ecclesiastico, in cuius obseruatione, *reprehenduntur Romani*, vt ibi notat glossa, *qui mutauerunt morem solitum, postquam regnũ Italiæ Theutonicis fuit commissum.* Quid inde?

Gloss. in cap. can. In die de cõsecrat. dist. 5.

OBIECTIO.

pag. 75. *Nicolaus 2. in Concilio Lateranensi, Can.* in nomine Domini. 23. *dist. in quo agitur de electione summi Pontificis.* Saluo debito honore & reuerentia dilecti filij Henrici, qui impræsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur.

RESPONSIO.

Ex libello, quem Deusdedit S. R. E. Presbyter Cardinalis tempore schismatis Guiberti, ab Henrico 4. Imperatore contra Gregorium 7. intrusi, aduersus sedis Apostolicæ inuasores edidit, li-

quèt hunc Canonem à Gratiano collectum ab eodem Pseudopontifice Guiberto fuisse maximè depraua tum. *Præfatus Guibertus*, inquit, *aut sui, vt suæ parti fauorem aſcriberent, quædam in eodem decreto addendo, quædam mutando, ita illud reddiderunt à se diſsimile, vt aut pauca, aut nulla exemplaria ſibi concordantia valeant inueniri. Quale autem decretum eſt, quod à ſe ita diſcrepare videtur, vt quid in eo potiſsimum credi debeat, ignoretur.* Quidquid sit tamen, cùm in illo decreto nihil aliud cautum reperiatur (vt idem Cardinalis asserit) quàm vt Romæ Pontificis electio à Romano Clero & populo ageretur, & posteà notificaretur Imperatori: Nũquid propterea penes Imperatorem fuisse electionẽ meritò quis existimare poterit? cùm præsertim de ipso electionis iure penes solos Cardinales, Clerum, populumque Romanum remanente, hæc habeat idem Canon. *Quapropter*, inquit, *inſtructi prædeceſſorum noſtrorum, aliorumque ſanctorum Patrum auctoritate decreuimus atque ſtatuimus, vt obeunte huius Romanæ vniuerſalis Eccleſiæ Pontifice, in primis Cardinales Epiſcopi diligentiſsimè ſimul de electione tractantes, mox ipſi clericos Cardinales adhibeant, ſicque reliquus clerus & populus ad cõſenſum nouæ electionis accedat: nimirum præcauentes ne vanalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat. Et ideo religioſiſsimi viri præduces ſint in promouenda Pontificis electione, reliqui autem ſequaces.* Et hæc quidem de Pontificis electione, vbi de Imperatore nulla prorsus fit mentio. Quòd ad notificationem autem, electione peracta, Imperatori faciendam, quæ verbis à Simone citatis innititur, nihil aliud per eam, mea coniectura, Imperatori con-

Cardinal. Deusdedit apud Baron. anno 1059. num. 31. & 32.

Can. In nomine Domini 23. dist. & apud Baron. anno 1059. numero 25.

cessum arbitrater, quàm quod Ludouicum pium sibi per Canonem, *Ego Ludouicus*, reseruasse supra vidimus, vt nempe electo & consecrato Pontifice, legati ab eo ad Imperatorem dirigerentur, ad pacem & amicitiam inter eos sociandam. *Dum consecratus fuerit Pontifex* (inquit Ludouicus in eodem Canone, *legati ad nos, vel ad nostros successores Reges Francorum dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam & charitatem ac pacem socient.* Nisi satius tibi videatur dicere ius illud, de quo in Canone agitur, Imperatori tantùm in casibus in eodem Canone memoratis, competere, cùm nempe ex alia Ecclesia, quando idoneus in Romana non supperet, assumendus esset Pontifex: Vel cùm inualescente prauorum atque iniquorum hominum peruersitate, pura, vt loquitur Canon, syncera atque gratuita fieri in vrbe non posset electio, adeo vt aliam petere ciuitatem necessitas cogeret. Quia enim vel ex Imperatoria aliqua vrbe, vel saltem Imperatori subdita, petendus foret qui eligendus erat, rectæ consonum rationi, Nicolao Pontifici patribusque in Synodo Lateranensi congregatis visum est, vt tunc super hoc Imperator consuleretur.

Can. Ego Ludouicus, 63. dist.

Can. In nomine Domini, 23. dist.

OBIECTIO.

pag. 75. *Gratianus dist. 63. can. Sacrorum.* §. Ex his cõstitutionibus, & pacto Ludouici Imperatoris deprehẽditur Imperatores illis renũtiasse priuilegijs, quæ de electione summi Põtificis Hadrianus Papa Carolo Imperatori, & ad imitationem eius Leo Papa

Othoni I. Regi Theutonicorum fecerat.

RESPONSIO.

Sicut Gratianus in prædictis Canonibus citandis plurimùm erraſſe ſupra conuictus fuit, ſic & in ijſdem approbandis, ſeu ad id quod probare intẽdebat, applicãdis, toto cælo aberrare ex eo, quem ex Caroli Magni Capitularibus Canone recitat, apertè cõuincitur. *Sacrorum Canonum non ignari*, inquit Carolus, *vt in Dei nomine ſancta Eccleſia ſuo liberius potiretur honore, aſſenſum ordini Eccleſiaſtico præbuimus, vt ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi ſecundùm ſtatuta Canonum de propria Diœceſi, remota perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, vt exemplo & verbis ſibi ſubiectis vſquequaque prodeſſe valeant.* Ibi enim non tam de electionum, quàm eligendorum qualitate decernitur, vt nempe de propria Diœceſi, & ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligendi aſſumantur, Quid inde? Capitul. lib. 1. cap. 84.

OBIECTIO.

Liberius Arianus fuit. pag. 76.

RESPONSIO.

Etſi Liberius alioquin propter fidem Catholicam exulans, tædio tamen exilij affectus, Arianorũ communicatione, iniuſtaque cõtra S. Athanaſium ſubſcriptione pollutus fuerit, numquam tamen Arianus nec fide, nec profeſſione fuiſſe reperitur. Quàmuis enim profeſſioni fidei Sirmij editæ ſubſcribens, à conſubſtantialis nomine abſtinuiſſe viſus fuerit, illud tamen nequaquam reiecit, imò aſſeuerando filium eiuſdem eſſe cum patre ſubſtan-

tia, vt ista ferebat protestio, idem planè fuit, ac si illum patri consubstãtialem dixisset. Scio equidem teste Sozomeno hæresis Aëtianæ fautores, rumorem sparsisse quòd Liberius verbũ Consubstantialis rececisset, asseruisseq́, Filium Patri dissimilem esse: At hæc per calumniam cõtra Liberium iactata idem Sozomenus indubitanter affirmat. Quò factum est, vt nec Ruffinus eruditissimus alioquin illius sæculi historicus, quidquam certi super hoc asserere ausus fuerit. *Liberius*, inquit, *Romanæ vrbis Episcopus Constantio viuente regressus est: Sed hoc vtrum quod acquieuerit voluntati suæ ad scribendum, an ad populi Romani gratiam, à quo proficiscens fuerat exoratus indulserit, pro certo compertum non habeo.* Quidquid sit tamen constat Liberium Romam reuersum posteriori confessione priorem maculam egregiè diluisse. Hinc præclara illa pro Catholica fide aduersus Constantium post Ariminense Concilium (*in quo*, vt ait S. Hieronymus, *Nicænæ fidei damnatio conclamata est, ingemuitq́, totus orbis & Arianum se esse miratus est*) ab eo suscepta certamina. Tũc enim cũ tanto Catholicæ Ecclesia terræmotu quateretur, incõcussa tamẽ solidissima illa Petra Christi verbo in fundamento firmiter collocata, Liberij, inquã, Romani Pontificis fides remansit, adeò vt ab Ecclesia sua iterũ exturbatus ea de causa tunc fuerit. *Imperator*, ait Sozomenus, *Valenti permisit, vt illos qui fidei Ariminensis Synodi subscribere nollent, Ecclesijs rijceret, atque alios in eorum locum ordinaret. Et ex eo libertatem consecutus ille, Ecclesiam ac primum Liberium Romanum Episcopum est persecutus.* Vnde contigit, vt eius memoria apud sanctos Patres qui de

Sozom. l. 4. hist. Eccles. cap. 15.

Ruffin. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 27.

S. Hieron. in Dialog. ad uers. Lucif.

Sozomen. l. 4. hist. c. 19.

eo mentionem fecerũt, venerationi post hac fuerit. *Tempus est,* inquit S. Ambrosius de eo loquens, *soror sancta, beatæ memoriæ Liberij præcepta reuoluere, vt quò vir sanctior, eò sermo accedat gratior.* S. Epiphanius. *Eusthatius,* inquit, *ad Liberium beatũ Romæ Episcopum vnà cum multis Episcopis legatum agebat.* Et S. Basilius. *Quædam,* inquit, *ei proposita sunt à beatissimo Liberio.*

S. Ambros. lib. 3. de Virginibus in princip. S. Epiph. hæres. 75. S. Basil. epist. 74. ad Episc. Occid.

OBIECTIO.

Quæ de Anastasio ex Gratiano, Iuone, libro Pontificali & Glossa. pag. 76.

RESPONSIO.

Ad Glossam prouocas? A Glossa quoque Codici Gregoriano inserta iudicium expecto. *Caput hoc,* inquit Glossa, *habetur quidem tomo secundo Conciliorum in vita Anastasij, sed esse omnino confictum, cùm ex multis argumentis, tum ex hoc manifestè ostenditur, quod Acacius (sicut Nicephorus lib. 16. cap. 12. & Euagrius lib. 3. cap. 18. & sequentibus, & clarissimè Anastasius Bibliothecarius in Chronologia testantur) tempore Felicis 3. obijt, cui successit Gelasius, & Gelasio Anastasius, qui initio Epistolæ suæ & cap. 1. ad Anastasium Imperatorem, Acacium mortuum iam, & ante iudicem Christum vna cum Felice astare scripsit, vt Gelasius quoque ante ipsum scripserat, & habetur infrà 24. quæst. 2. can. nec quisquam. Quomodo ergo potuit Anastasius de eo reuocando tractare, qui iam obierat.* Item Glossa super §. *quod verò* in verbo, *sed hoc eum* 1. quæst. 1. can. *Dictum est à Deo: Suprà,* inquit, *distinct.* 19. *can. Anastasius ostensum est immeritò reprehensum esse Anastasium, & verissima esse quæ ipse de Acacio scripsit & decreuit.* Ex tuo igitur ore iudicatus permaneas.

Glossa interlinea. in can. Anastasius, distinct. 19.

Glossa interlinea. 1. quæst. 1. can. Dictũ est à Deo, in §. sed hoc eũ.

OBIECTIO.

pag. 76. *Quæ de Benedicto 10. Sylvestro 3. Gregorio 6. ex glossa can.* in nomine Domini *23. distinct.*

RESPONSIO.

Benedictus ille non 10. vt ais sed 9. etsi ambitione paterna, & malis artibus (eo tamen inscio vt ex Petri Damiani Epistola à Baronio relata, satis liquet) ad summum Pontificatum fuerit euectus, Pontifex tamen verus ab omnibus semper creditus, cultusque fuit. Nam & duæ eius Epistolæ ad Stephanum Aruernensem Episcopum, & ad S. Odilonem Abbatem Cluniacensem scriptæ, in Concilio Lemouicensi lectæ, maximoque cum honore à Galliæ Episcopis in eo congregatis, exceptæ, reperiuntur. Ipse quoque Conradum Imperatorem Mediolani coronauit, & S. Simeonem Treuirensem Anachoretam in album sanctorum retulit: Necnon ad eundem duplex Polonorum legatio missa legitur, quarum posterior eò nobilior, quòd pro impetrando Casimiro Cluniaci professo monacho, Rege à Polonis constituto, ad propulsandas innumeras clades, quibus Polonia ipsa afflictabatur, directa fuit. Quin & Hermanum Archiepiscopum Hamburgensem, eiusq; successorem ab eodem pallium petijsse, atque impetrasse constat: Vt hinc colligas ipsum in toto orbe Christiano cognitum fuisse & absque controuersia pro Romano Pontifice habitum, muneraque exercuisse Pontificalia. Decursis tamen in Pontificatu annis decem, cùm prioris vitæ, maximis vtique vitijs maculatæ, tædio, veniam sibi quærere

Baron. ad annum 1033. numer. 8.

Idem ad ann. 1034. numer. 21. & 23.

Idem anno 1037. numer. 3. & 4.

Idem anno 1039 num. 3. & 1041. numer. 3.

Adam Chronogra. lib. 2. cap. 50. & l. 3. cap. 1.

quærere maximo cum feruore desideraret, aduocauit ad se beatum Bartholomæum cryptæ ferratæ Abbatem dignissimum, *Illique* (vt eiusdē sanctissimi Abbatis acta testantur) *rem totam aperuit, opportunumque remedium ab eo quæsiuit. Ipse verò Bartholomeus non est throni celsitudinem veritus, non dignitatis præstantiam respexit, sed mali grauitatem, & propterea opportunam mali abscisionem illi adhibens: Ita, inquit, non licet tibi sacra facere, sed potius abstinere, & Deum placare quem peccando irritasti. Ille ergo neque tardans neque procrastinans, sed quamprimùm deposita sede, instar priuati hominis se habuit.* Hinc ergo videre liceat euidentē glossæ à Simone citatæ falsitatem, dum Benedictum hunc è sede sua deiectum asserit, cùm è contratio, sponte illum Pontificatui renunciasse, eiusdem sanctissimi viri Bartholomæi persuasione, appareat. Cedente itaque Benedicto, duobusque Romanam sedem occupare nitentibus, Ioanne nempe Sabinensi Episcopo, qui se Syluestrum tertium, & Ioanne Archipresbytero, qui se Ioannem 20. nuncupari volebant: Cùm res eò redacta esset, vt inde maximum schisma in Ecclesia suboriri omnes expauescerent: Romani tandem *Gratianum Presbyterum*, vt ait Otho Frisingensis, *tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem, in summum Pontificem elegerunt, eumque mutato nomine Gregorium sextum appellauerunt*, vel, vt inquit Glaber, *cum consensu totius populi Romani loco Benedicti subrogatus est vir religiosissimus ac sanctitate perspicuus Gregorius, natione Romanus, cuius bona fama, quidquid prior fœdauerat, in melius reformauit.* Cùm verò teste Leone Ostiensi duos annos & menses octo, vel secundùm

Acta S. Bartholom. apud Baronium anno 1044. numero 4.

Otho Frising. Chron lib. 6. cap. 32.

Glaber lib. 5. hist. in fine.

Leo Ostiens Chron. Cassin. l. 2. c. 81

S. Antonin. 2. part. hist. tit. 16. cap. 1. §. 19.

S. Antoninum duos annos & menses sex sedem Apostolicam Gregorius tenuisset, iamque ob res ab eo bene gestas, Dei Ecclesia, sordibus expurgatis, pristinum splendorem consecutura, videretur, quod ei summam erga omnes gratiam conciliare debebat, maximam apud multos inuidiam concitauit, eamque peperit calumniam, propter quam in Sutrino Concilio, ne sua causa detrimenti aliquid, schismate conflato, respublica Christiana pateretur, S. Gregorium Nazianzenum imitatus, Pontificatu sponte se abdicauit, subrogato in eius locum Suidgero Bambergensi Episcopo, qui & Clemens 2. appellatus fuit. Ex his ergo, ipsa veritate nitentibus, triplicis erroris supradicta glossa arguitur. 1. Dum Ioanni Presbytero. *Cui*, inquit, *impositum est nomē Gregorius*, Papatum datum affirmat, cùm è cōtrario Petrus Damiani, Otho Frisingensis, Vuilielmus Malmesburiēsis, & Hermannus insignes illius tēporis scriptores, Gregorium istum non Ioannem, sed Gratianum anteà nominatum, non obscurè testentur. 2. Dum istum Gregorium intra primum suæ promotionis annum Pontificatu excidisse asserit, cum ex Leone Ostiensi, & S. Antonino cōstet (vt suprà demonstrauimus) illum duos annos, & menses octo, vel ad minùs sex, sedisse: 3. Dum eum ab Henrico depositum dicit, cùm Pontificiæ sedi sponte ipsum renuntiasse, vel saltem, secundùm Othonem Frisingensem ab Henrico rege apud Sutrium honorificè susceptū, postmodum eius persuasione Pontificatu cessisse pareat. Quibus addere etiam liceat Vuilielmum Malmesburiensem, sanctumque Antoninum, qui

Apud Baron. ad ann. 1044. numer. 5. 6. 7. 13. & 1046. numero 1.

Otho Frising. Chron. lib. 6. cap. 32.

Vuiliel. Malmesbur. de

Gregorium istum plurimis pro Ecclesia exantlatis laboribus, nullarenus Pontificatui renuntiasse, sed Romæ defunctum, honorificaque donatum sepultura, Clementem verò secundum inuasorem, vt qui per vim summum Pontificatum obtinuerit, affirmant. gest. reg. Angl. lib. 2. c. 13. S. Antonin. 2. part. histor. tit. 16. cap. 1. §. 19.

OBIECTIO.

Quæ de Innocentio obijciebam, ex Zosimo desumpsi. pag. 76.

RESPONSIO.

Egregiam verò laudem à pagano historico Christi nomini infensissimo arma mutuare ad oppugnandum sanctissimum Pontificem Innocentium. Quid enim aduersus sacros ipsos Christianæ religionis Antistites impius ille Zosimus non audebit? *Qui*, teste Genebrardo, *falsis criminibus pios etiam & sanctos Principes Constantinum, Gratianum, Theodosium*, &c. *onerat, pietati bellum indicens, fictu vero laudibus impios vt Diocletianum & Julianum exornat? Quare*, addit ille, *ab Euagrio, Photio, Nicephoro, & alijs Historicis rectè vt canis proscriptus est.* Genebrard. lib. 3. Chronol. 2. in Zosimo summo Pontif. ad annum 421.

Vtinam verò nec Prophetico spiritu idem Genebrardus ad Simonem de Zosimo talia præsumentem respiciens, subiecisset. *Noua religio*, inquit, *nobis ista parit, quibus Christiana displiceant, Pagana & impia placeant, at laudentur.* Ibidem.

Potrò hîc candidum lectorem admonitum velim, me cui priorem Simonis librum videre non licuit, obiectionibus etiam in Innocentium, Ioannē 22. Gregorium 12. Benedictum 13. & Ioannem 23. ab eo factis, satisfacere minimè potuisse: cùm in ea, quam præ manibus habeo Apologia,

nihil eorum, quæ se illis in priore suo libro exprobrasse contendit, habetur. Quòd si nihil aliud quàm quod nouatores hæretici mentiti sunt, effutit, illum ego ad solidissima Illustrissimi Cardinalis Bellarmini responsa, libenter reuoco.

Bellarm. lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 10. & 14.

OBIECTIO.

pag. 77. *Honorius Papa non solùm Monothelita fuit, sed etiam suam hæresim actu Ecclesiæ proposuit, & docuit. Litteras enim scripsit ad Patriarcham Constantinopolitanum alios que Episcopos, quatenus à duarum voluntatũ & operationum in Christo mentione, in docendo abstinerent.*

RESPONSIO.

Si inimicus Ecclesiæ maledixisset Honorio, sustinuisse vtique: tu verò homo vnanimis, religione Christianus, fidei professione Catholicus, quid tibi cum hæreticis, vt eorum sordes in primarios Catholicæ Ecclesiæ Pontifices impudenter egestas, in apricum rursus imprudenter proferas? Si quid de Honorij fide dubitas, & ea quæ in illum ab hæreticis iactata bilem tibi mouent, cur ad dignoscendum à falso verum Catholicos Doctores non consulis? Vidisses equidem, si videre voluisses, nihil minùs de Honorio sentiendum quàm quod asseris, ipsumque Catholicæ fidei professorem eximium, in Catholicæ Ecclesiæ cõmunione ad extremum vsque diem perseueraſſe, sepultumque cum alijs orthodoxis Pontificibus in S. Petri Basilica, imaginem sibi musiuo opere contextam, Christianorum veneratione publicè expositam, in, quam instaurauit, Ecclesię S. Agnetis apside, pro-

meruisse. Vt quid ergo sanctissimum Pontificem imperis? Qua fronte non eum tantùm Monothelitam fuisse, sed & suam hæresim actu Ecclesiæ proposuisse blateras? Magnum certè crimẽ si Monothelita Honorius fuerit: At hæresim actu Ecclesiæ proposuisse, quid peius? Vnde ergo tibi huiusmodi de Honorio concepta opinio? *Litteras*, inquis, *scripsit ad Patriarcham Constantinopolitanum*; Et hoc verum: *Aliosque Episcopos:* Et hoc falsum: Duæ enim tantùm circumferuntur Honorij Epistolæ ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum scriptæ, ex quibus ipsi Ecclesiæ aduersarij Monothelitæ, quæ ad suum errorem probandũ conferre putabant, impudenter se hausisse professi sunt. Quid miraris? *Scripturas etiam ipsas*, inquit Tertullianus, *obtendunt hæretici, & hac sua audacia statim quosdam mouent.* Quin & tanta fuit olim de Romanæ sedis infallibilitate in animis hominum insita opinio, vt ipsi etiam hærerici non parùm sibi ad suas hæreses adstruendas prodesse arbitrarentur, si sub alicuius Romani Pontificis vmbra delitescere potuissent. Eustathius equidem Sebasthenus hæreticus gloriabatur, quòd Romanæ Ecclesiæ communionem surripuisset. Hinc tot legationes ab Eusebianis Arianorum primarijs ad Iulium directæ. Hinc tot certamina cõtra Liberium à Constantio suscepta, vt S. Athanasij damnationi subscriberet. Licèt enim omnium fere totius Orientis Episcoporum calculo comprobatam haberet huiusmodi damnationem, irritam tamen eam reputabat, nisi Pontificis Romani auctoritas accederet. *Ideoque*, vt testatur Ammianus Marcellinus etsi

Tertull. de præscript. aduers. hæretic.

Baron. ad annum 173. numer 5.

Socrat. lib. 2. hist. cap. 11.

Ammia. Marcell. lib. 15.

Paganus, *licèt sciret damnatum Athanasium, tamen auctoritate qua potiuntur æternæ vrbis Episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti* Hinc denique Acacianorum de Anastasio sæpius iterata ostentatio. Fortior tamen ipsa veritas summos Pontifices ab hæreticorum calumnijs semper & vbique vindicauit. Agedum ergo cùm de Honorio orta sit quæstio, immunẽ eum, liberumque à sibi iniecta calumnia reddere satagamus, quadruplicique machina, 1. ex ipsis litteris, 2. ex S. Maximo, 3. ex Agathone, 4. ex permultis antiquis scriptoribus desumpta, erectam contra eum aduersariorum molem destruamus. Ligitur literis pugnant, ijsdem quoque literis contra eos pugnemus, in quibus certissimum est Honorium duas in Christo voluntates & operationes confiteri. Ac in prima quidem Epistola. *Confitentes*, inquit, *Dominum Jesum Christum mediatorem Dei & hominum operatum diuina, media humanitate verbo Dei naturaliter vnita, eumdemq; operatum humana ineffabiliter, atque singulariter assumpta carne discretè, inconfuse, atq; inconuertibiliter plena diuinitate.* In secũda verò clariùs. *Vtrasq; naturas*, inquit, *in vno Christo vnitate naturali copulatas cum alterius cõmunione operantes, atq; operatrices cõfiteri debemus, & diuinam quidem quæ Dei sunt operãtem, & humanam quæ carnis sunt exequentem, non diuise, neque confuse, aut conuertibiliter Dei naturam in hominem, nec humanam in Deum conuersam edocentes, sed naturarum differentias integras confitentes.* At, inquit Simon, à duarum voluntatum & operationum in Christo mentione in docendo censuit abstinendum. Rectè equidem. *Ne*, inquit Honorius, *aut duarum operationum vocabulo offensi se-*

Baron. ad annum 497. numer. 27.

Baron. ad annum 633. numer. 25.

Baron. ibid. numer. 41.

Ibidem numero 30.

ctãtes Nestorianos nos vesana sapere arbitrẽtur, eò quòd scilicet illi duas ponerent in Christo personas. Quin & tacendum etiam putauit de vna operatione. *Ne*, addit ille, *stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur*, quia nempe vnam tãtùm in Christo naturã admittebant. Cùm enim in ipso surgentis hæresis exordio, maximum periculum esset, ne alterutrum asserẽdo, vel vnam, vel duas in Christo operationes, in alterutrã hæresim inter se pugnãtem incideretur, ideò satius esse duxit Honorius, ad euitandũ schisma, & pro bono pacis, ab vnius, vel duarum operationum vocabulo abstinere, sicque mediam viam eligens, opinionesque inter se planè diuersas concilians. *Non nos*, inquit, *oportet vnam, vel duas operationes definientes prædicare, sed pro vna, quam quidem dicunt operatione, oportet nos vnum operatorem Christum Dominum in vtrisque naturis veridicè confiteri, & pro duabus operationibus, ablato geminæ operationis vocabulo, ipsas potius duas naturas, id est, diuinitatis, & carnis assumptæ in vna persona vnigeniti Filij Dei Patris inconfusè, indiuisè, atq; inconuertibiliter nobiscum prædicare, propria operantes.* Quomodo ergo condemnari potuit qui ita Catholicè scripsit, pro vna nempe operatione dicendum esse vnum operantem? Illud planè insinuans, non conuenire personæ vnitatem operationis, sed operantis: Nec enim, vt testatur S. Ioannes Damascenus, ratione vnius personæ, vna voluntas dici potest, sed vnus volens, sicut nec vna operatio, sed vnus operans, in duabus scilicet naturis: Quas dum asserit Honorius indiuisè, inconfusè, & inconuertibiliter coniunctas, duas equidẽ

Ibidem numero 42.

S. Damasc. lib. 3. de fide orthod. c. 14.

necessariò introducit operationes, & voluntates. Quòd si quis obijciat videri adhuc Honorium vnam tantùm voluntatem confiteri, eò quòd dicat: *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*, &c. In promptu ex his quæ immediatè sequuntur, adest solutio: Addit namque, *quia profectò à diuinitate assumpta est nostri natura, non culpa, illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata. Christus enim in similitudinem carnis peccati veniens, peccatum mundi abstulit, nullum experiens contagium, vitiatæ naturæ*, vt scilicet ostenderet id quod de vna volũtate dixerat, intelligendum esse respectu duarũ inter se pugnantium voluntatum, ad malum quippe & bonum, adeò vt in Christo non fuerint duæ pugnantes voluntates, vna carnis, altera spiritus, sed vna tantùm, nimirũ spiritus. Caro enim in Christo nihil absolutè appetebat contra rationẽ. Quod & clariùs in sequẽtibus demonstrat. Cùm enim dixisset. *Carnis enim vocabulum duobus modis sacris eloquijs boni, malique cognouimus nominari, sicut scriptum est, Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt: Et Apostolus, Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, &c. Addit posteà. *Non est itaque assumpta, sicut prafati sumus, à Saluatore vitiata natura, quæ repugnaret legi mẽtis eius, sed venit quærere & saluare, quod perierat, id est, vitiatam humani generis naturã. Nam lex alia in membris, aut voluntas* (nota) *diuersa non fuit, vel contraria Saluatoris, quia super legem natus est humanæ conditionis, & siquidem scriptum est, Non veni facere volũtatem meam, sed eius qui misit me Patris: Et non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, & alia huiusmodi, non sunt hæc*

Baronius ad annum 633. numer. 27.

Ibidem.

diuersæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Et hæc quidem de scriptis ab Honorio ad Sergium literis. II. Si de Honorij scribẽtis intentione moueatur quæstio, quis meliùs eam nosse potuit, quàm Secretarius, qui Honorio dictante eas exscripsit? *Ille*, autem vt S. Maximus refert, *cùm ad diuum Cõstantinum Imperatorem ex persona Ioannis Papæ de hac Epistola scriberet, dixit: Vnam voluntatem diximus in Domino, non diuinitatis eius & humanitatis, sed humanitatis solius. Cùm enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas in Christo contrarias voluntates dicerent, rescripsimus Christum non duas voluntates contrarias habuisse carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatũ, sed vnam tãtùm, quæ naturaliter humanitatem eius signabat. Hæc autem ita esse argumentum euidens est meminisse membrorũ & carnis, quæ quidem in diuinitate non licet intelligere.* III. Quidni verò orthodoxus planè habitus semper fuerit Honorius? quando & Agatho (quẽ tãtis laudibus sexta Synodus prosecuta est, vt tãquam ipsius Diuini Petri vocem, eius relationẽ fuerit supermirata) in illa ipsa Epistola, quæ in prædicta Synodo ad refellẽdos Monothelitas recitata fuit, de suorum prædecessorum (quorum vnus sine dubio Honorius fuit) fide illibata graue admodum testimonium perhibens. *Christi*, inquit, *adnitente præsidio hæc Apostolica eius Ecclesia nunquam à via veritatis, in qualibet erroris parte deflexa est.* Et post pauca. *Hæc est vera fidei regula, quam & in prosperis & aduersis viuaciter tenuit, ac defendit hæc spiritualis mater tranquillissimi vestri Imperij Apostolica Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erraſſe proba-*

Baron. ibid. numer. 45.

Extat recitata in 6. Synodo Constantinop. act. 4.

bitur, nec hæreticis nouitatibus depraua ta succubuit, sed vt ab exordio fidei Christianæ percepit ab auctoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata sine tenus permãsit. Tum de suis prædecessoribus verba faciens, vt omnes orthodoxos fuisse assereret, subiungit. *Consideret itaque vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores* (nota) *confidenter fecisse, semper cunctis est cognitum. Væ mihi ergo erit, si veritatem Domini mei, quam illi synceriter prædicarũt, prædicare neglexero.* Dic ergo qua fronte ausus fuisset Agatho hæc verba proferre, synceramque suorum prędecessorum fidem ita liberè prædicare, si ad eandem firmãdam, quã confutat hæresim, Honorius in crimen adduci potuisset? IIII. Adde præterea pro vindicanda Honorij innocentia vnanimem plurium scriptorum tam Græcorum, quàm Latinorum cõsensum: Ac Græcorum quidem S. Maximi, Theophanis, Photij, alioquin Romanæ Ecclesiæ infensissimi, in libello de septem Synodis, ac Zonaræ: Latinorum verò Anastasij Bibliothecarij, Othonis Frisingensis, Blondi, Naucleri, Sabellici, & Platinæ, qui inter Monothelitas in sexta Synodo condemnatos, Honorium non numerant. Quin potius Sabellicus, Nauclerus, & Platina Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanum eandem hæresim professum, hortante, vrgenteque Honorio ab Heraclio Imperatore relegatum, apertè testantur. *Inuenerunt hunc errorem*, inquit Sabellicus, *Pyrrhus Constantinopolitanus Antistes, & Cyrus Alexandrinus, cu-*

S. Maxim. apud Baron. in si. 8. tom. Annal.
Phot. in lib. de 7. Synod.
Zonar. Annal. tom. 3. in Constãt. Pogonato.
Anastas. in Agath.
Naucler. generat. 21. & 23.
Sabellic. Enead. 8. lib. 6.

ius sceleris Heraclius ab Honorio Pontifice per literas admonitus, passus est Pyrrhum sua sede deiectū in Africam relegari. Nauclerus item. *Cùm Honorius Papa* inquit, *Heraclium per literas & nuntios tanti erroris arguisset, passus est Pyrrhum Patriarcham Cōstantinopolitanum ob id in Africam relegari.* Denique Platina de eodem Pyrrho Constantinopolitano, & Cyro Alexandrino loquens. *Hos tamen,* inquit, *posteà tanti erroris authores, hortante Honorio, & verum ante oculos literis & nuntijs ponente, relegauit Heraclius.* Quomodo verò Honorius Pyrrhum Monothelitam propter hæresim relegari curasset, si eiusdem hæresis aliquo modo conscius fuisset?

Naucler. generat. 21.

Platina in Honorio.

OBIECTIO.

Ex actis sextæ Synodi liquet Georgium Constantinopolitanum Theodori successorem in sede Cōstantinopolitana, præfuisse Concilio 6. ipso Theodoro iampridem vita functo. Quomodo ergo Theodorus vita functus acta sextæ Synodi corrumpere potuit?

pag. 72.

RESPONSIO.

Quid si necdum Theodorus ille vita functus erat, cùm sexta Synodus celebrata fuit, nónne ipsius Synodi acta corrumpere potuit? *At,* inquis, *Georgius Patriarcha Constantinopolitanus præfuisse reperitur huic Concilio, non autem Theodorus.* Quid inde? Si quæ Cōstantinopoli regnante Cōstantino Pogonato gesta sunt, intellexisses, non te latuisset, quod Theodorus hic, insignis vtique hæreticus Monothelita, semel atque iterùm sedem Constantinopolitanam tenuerit. Cùm enim duodecim annos

Baron. ad annum 665. numer. 1.

eidem sedi præfuisset (ab anno videlicet *666*. quo eum constat, Constantino Patriarchæ defuncto subrogatum, vsque ad annum 678. vt ex eiusdem

Idem ad annum 678. numer. 4.

Cõstantini Pogonati Imperatoris epist. ad Donũ Pontificem Maximum scripta apparet) ab eodem Constantino Imperatore Catholicæ fidei professore eximio, ægre ferẽte, quod eò temeritatis progressus ipse fuisset, vt Vitaliani Papæ nomen cõtra expressam eius voluntatem è sacris diptychis erasisset, sede sua pulsus & in ordinem redactus, ac Georgius ipse (qui paulò post, anno videlicet

Idem ibidẽ numer. 13.

680. prædicto sexto Concilio interfuit) in locum eius subrogatus fuit. Mortuo verò eodem Georgio circa annum 681. idem Theodorus, vt restantur Nicephorus & Genebrardus, Catholicæ fi-

Idem ad annum 681. numer. 28. Niceph. in Chron. Genebrard. Chronolog. lib. 3. in Leone 2.

dei professione emissa, cùm ei aliter ad thronum è quo ob hæresim antea deiectus fuerat, aditus non pateret, ab eodem Imperatore sedi Constantinopolitanæ iterum restituitur.

Obiectio.

pag. 78. *Quomodo ergo Theodorus vita functus acta sextæ Synodi corrumpere potuit & loco Theodori Honorium supponere, vt Honorius, non Theodorus condemnatus videretur?*

Responsio.

In promptu causa est: Theodorus non equidẽ vita functus, sed postliminio sedi Constantinopolitanæ redditus, iniquo ferẽs animo suum nomen cum alijs Monothelitarum primarijs insertum in Synodi sextæ actionibus condemnatum reperiri, quid mirum si omnẽ mouerit lapidem,

vt ipsum Synodalium actorum autographum, antequam ederentur, recuperarer, recuperatumque suppositio Honorij pro Theodori nomine, corrumperet? Quid quæso putas eo tempore, quo sedes Romana, Agathone mortuo, pastore orbata erat, non tentasse hæreticum illum prædonem in illius sedis odium, cùm nec quando primùm ordinatus fuit, voluerit vnquam fidei suæ professionem more prædecessorum ad Romanum Pontificem mittere, vt in epistola Constantini Imperatoris ad Donum Pontificem Romanum scripta videre licet? *Dum ordinatus est*, inquit, *Theodorus Patriarcha à Deo conseruandæ huius nostræ regiæ vrbis, suggessit nostræ serenitati suspectum se esse dirigere consueta Synodica ad vestram paternam beatitudinem, ne fortè non recipiantur, sicut & sub prædecessoribus eius Patriarchis factum est.* Nunquid ergo sub isto prætextu inuererat contra Romanum Pontificem odium delitescens tibi paret? Audi plura ex eadē Epistola, ab eodē Theodoro tentata, vnde odium ipsum clariùs tibi innotescat: *Multam nobis*, inquit idem Imperator, *instantiam fecerunt, tam hic sanctissimus Patriarcha, quamque Macarius sanctissimus Patriarcha Theopoleos, vt ejiceretur Vitalianus beatissimus è diptychis.* Quid amplius? *Non acquieuêre vt memorarentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proueniat verborum, de quibus contenditur inter vtrasque sedes.* Et hoc siquidem ante sextum Concilium. Peracto autem Concilio, in quo se per Agathonis Epistolam, & ab ipsis Apostolicis Legatis nominatim condemnatum videbat, quid non tentasse

Refertur à Baron. anno 678. numer. 4. & 5.

Ibidem numer. 10.

Ibidem.

Baron. ad annum 666. numer. 1.

eidem ſedi præfuiſſet (ab anno videlicet *666.* quo eum conſtat, Conſtantino Patriarchæ defuncto ſubrogatum, vſque ad annum 678. vt ex eiuſdem Cõſtantini Pogonati Imperatoris epiſt. ad Donũ Pontificem Maximum ſcripta apparet) ab eodem Conſtantino Imperatore Catholicæ fidei profeſſore eximio, ægre ferẽte, quod eò temeritatis progreſſus ipſe fuiſſet, vt Vitaliani Papæ nomen cõtra expreſſam eius voluntatem è ſacris diptychis erafiſſet, ſede ſua pulſus & in ordinem redactus, ac Georgius ipſe (qui paulò poſt, anno videlicet 680. prædicto ſexto Concilio interfuit) in locum eius ſubrogatus fuit. Mortuo verò eodem Georgio circa annum 681. idem Theodorus, vt reſtantur Nicephorus & Genebrardus, Catholicæ fidei profeſſione emiſſa, cùm ei aliter ad thronum è quo ob hæreſim antea deiectus fuerat, aditus non pateret, ab eodem Imperatore ſedi Conſtantinopolitanæ iterum reſtituitur.

Idem ad annum 678. numer. 4.

Idem ibidẽ numer. 13.

Idem ad annum 681. numer. 28. Niceph. in Chron. Genebrard. Chronolog. lib. 3. in Leone 2.

Obiectio.

pag. 78. *Quomodo ergo Theodorus vita functus acta ſextæ Synodi corrumpere potuit & loco Theodori Honorium ſupponere, vt Honorius, non Theodorus condemnatus videretur?*

Responsio.

In promptu cauſa eſt: Theodorus non equidẽ vita functus, ſed poſtliminio ſedi Conſtantinopolitanæ redditus, iniquo ferẽs animo ſuum nomen cum alijs Monothelitarum primarijs inſertum in Synodi ſextæ actionibus condemnatum reperiri, quid mirum ſi omnẽ mouerit lapidem,

vt ipsum Synodalium actorum autographum, antequam ederentur, recuperaret, recuperatumque supposito Honorij pro Theodori nomine, corrumperet? Quid quæso putas eo tempore, quo sedes Romana, Agathone mortuo, pastore orbata erat, non tentasse hæreticum illum prædonem in illius sedis odium, cùm nec quando primùm ordinatus fuit, voluerit vnquam fidei suæ professionem more prædecessorum ad Romanum Pontificem mittere, vt in epistola Constantini Imperatoris ad Donum Pontificem Romanum scripta videre licet? *Dum ordinatus est*, inquit, *Theodorus Patriarcha à Deo conseruandæ huius nostræ regiæ vrbis, suggessit nostræ serenitati suspectum se esse dirigere consueta Synodica ad vestram paternam beatitudinem, ne fortè non recipiantur, sicut & sub prædecessoribus eius Patriarchis factum est.* Nunquid ergo sub isto prætextu inuenerat contra Romanum Pontificem odium delitescens tibi patet? Audi plura ex eadē Epistola, ab eodē Theodoro tentata, vnde odium ipsum clariùs tibi innotescat: *Multam nobis*, inquit idem Imperator, *instantiam fecerunt, tam hic sanctissimus Patriarcha, quamque Macarius sanctissimus Patriarcha Theopoleos, vt ejiceretur Vitalianus beatissimus è diptychis.* Quid amplius? *Non acquieuêre vt memorarentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proueniat verborum, de quibus contenditur inter vtrasque sedes.* Et hoc siquidem ante sextum Concilium. Peracto autem Concilio, in quo se per Agathonis Epistolam, & ab ipsis Apostolicis Legatis nominatim condemnatum videbat, quid non tentasse

Refertur à Baron. anno 678. numer. 4. & 5.

Ibidem numer. 10.

Ibidem.

eum credibile est, vt hanc sibi inustam infamiæ notam vlciscereturⁿ? Quodsi Theodorum nequaquam in ipia Synodo reum factū pernegas, accipe quæ habet Anastasius Bibliothecarius, qui eandem Synodum in compendium redegit. *Protulit,* inquit, *pijssimus & serenissimus Princeps tomum ad relegendum, in quo vanum hæreticum dogma Macarij erat conscriptum, & eius manu subscriptu apertissimè vnā voluntatem in Domino affirmantem, sub ipsius subscriptione & Theodori Patriarchæ, vtique iuxta eum tenorem ibi subscriptio erat.* Quo igitur inuidiæ liuore non tabescebat Theodorus, cùm in eadem Synodo (vt ex eodem Anastasio liquet) Georgium in Patriarchatu successorem sibi datum animaduerteret, interrogatum, *Si eam fidem quam docet sedes Apostolica, amplecterctur, iuxta scripta venerandi Agathonis Papæ, seu sanctorum venerabilium Patrum, eodem die professum esse in scriptis duas voluntates & operationes se credere & prædicare sicut sedes Apostolica, anathematizans eos, qui vnam naturam, voluntatem, & operationem in Christo dicerent.* Ne mireris itaque si Patriarcha cùm existeret, Synodalium actorum Prototypum præ manibus habens, quod ei perfacilè erat, ea nempe delere, quæ maximam sibi irrogare poterant infamiam, illud ipsum effecerit, cùm nec contra expressam Imperatoris voluntatem, Vitaliani Papæ nomen è sacris diptychis eradere minimè dubitauerit, vt suprà retulimus.

Anastas. in Comp. 6. Synodi, & Baron. ann. 681. numer. 27.

Anastas. ibid. & Baron. numero 3.

OBIECTIO.

pag. 78. *Leo 2. ad Constantinum Imperatorem,* Necnon & Honorium, *&c.*

RESPONSIO.

Cum multiplicibus, validisque rationibus à Baronio falsitatis arguatur hæc Epistola, non est quod quis ei fidem adhibere debeat. Baron. ad annum 683. numer. 13. & seqq.

OBIECTIO.

Hadrianus Papa Epistola lecta in Synodo act. 7 licèt enim Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus. pag. 78.

RESPONSIO.

Nunquid verò Honorius hæreticus erit, quia de hæresi accusatus? Non accusatio, sed pertinacia hæreticum facit. Nunquid & Honorio ab Occidentalibus dictum Anathema erit, quia Orientales illi dixerunt? Quo tandem iure accusatum, non repugnantem, non contradicentem, fidei inhærentem orthodoxæ, in Catholicæ Ecclesiæ communione defunctum & cum orthodoxis Episcopis sepultum condemnare? Vides quam cautè Hadrianus sit locutus, dum nec Honorium hæreticum, sed tantùm super hæresi accusatum, nec ab vniuersali Synodo, sed ab Orientalibus duntaxat, quos probè nouerat Apostolicæ sedis æmulos, Romanisque Pontificibus maximè infensos, condemnatum asseruit. Non ergo tanquam fidem adhibens Synodalibus illis actis, quę deprauata sciebat, sed ea tantùm, quę vulgo iactabantur & ex illis actis iam corruptis deperiebantur, edicens, hæc protulit Hadrianus, alioquin se sibi ipsi contrarium in eodem Concilio exhi-

buisset. In Epistola etenim ad Basilium Impetatorem missa, quæ in eadem Synodo lecta fuit, de sancta sede Apostolica loquens, eam, directionis tramitem, errantibus Constantinopolitanis Præsulibus semper ostendisse asserit. *Huius*, inquit, *medicamentis Ecclesia Constantinopolitana sæpe præsulibus eius languentibus infirmata, pristinam sospitatem, vigoremque resumpsit. Nam quibusdam ipsorum nonnumquam errantibus, quibusdam verò imminente persecutione iniuriam sustinentibus, hæc semper subuenire non destitit, illis scilicet tramitem directionis ostendens, istis pietatis manum semper extendens.* Et in libello eius nomine à sedis Apostolicæ legatis Synodo pro recipiendis lapsis, oblato, in eadem sede immaculatam semper perseueraſſe Catholicam religionem, sanctamque celebratam doctrinam, indubitanter vult affirmari. *Quia*, inquit, *non potest Domini nostri Iesu Christi prætermitti sententia, dicentis, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, hæc quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in sede Apostolica immaculata est semper Catholica seruata religio, & sancta celebrata doctrina.* Quomodo ergo hæc de sancta Apostolica sede asseuerare potuisset Hadrianus, si eam aliquando Honorius hæreticus tenuisset?

Baron. ad annum 869. numer. 3.

Ibidem numer. 19.

OBIECTIO.

pag. 79. *Omitto hanc doctrinam de duabus operationibus & voluntatibus in Christo longè ante Synodum Trullensem pro orthodoxa habitam, contrariamque erroneam.*

RES-

RESPONSIO.

Dic sodes à quo tẽpore hæc Monothelitarum, seu vnius voluntatis in Christo doctrina, erronea est iudicata? *A longo tempore*, inquis, *quia Agatho & Synodus Romana contrariũ sensisse testati sunt vtrumque Gregorium Nazianzenum & Nissenum, Chrysostomum, Cyrillum, Hilarium, Athanasium, Dionysium, Ambrosium, Leonem, Cyrillum Ierosolymitanum*, &c. Simon ibid. Nunquid ergo horum doctorum sæculo hæc inualuit opinio? Quidni sequatur? Optimum mehercle argumentandi genus, Iurisconsulto dignissimũ. Agatho & Synodus Romana ex suprà nominatis doctoribus duas in Christo voluntates & operationes, non vnam tantum fuisse, probauerunt. Ergo contraria, quæ tunc à Sergio, alijsq; hæreticis iactabatur doctrina, de vna, nempe voluntate in Christo, iam ab eorumdem doctorum tempore vigebat. Quæ si vera essent, eas ipsas lites, quæ ex digestis à Iustiniano Legibus iudicantur, iam inde ab ipsis Iustiniani temporibus extitisse, pari argumento concludam. Vt quid igitur Vallam nostrũ calumniaris, dum asserit, ideo Honorium non fuisse, nec potuisse tunc esse hæreticum, quandoquidem erronea Monothelitarum opinio, nondum in Ecclesia pro hæresi habebatur?

OBIECTIO.

Gregorius 7. cùm inuito Imperatore contra morem electus ab eodem ægrè cõprobatus fuisset. pag. 81.

RESPONSIO.

Vt quid verò electionem tanti Pontificis, Gregorij, inquam, septimi, quasi minùs debitè factam

fugillas? Accipe quę de ea non sine diuino nutu peracta, referant acta Vaticana à Baronio relata.

Acta Vaticana apud Baron. ad annum 1073. numero 20. & 24.

Defuncto, inquiunt, *Alexandro Papa & in Lateranensi Ecclesia honorificè tumulato, dum Hildebrandus Archidiaconus esset in eius obsequijs occupatus, repentè factus est in ipsa Ecclesia maximus Cleri & populi Romani concursus, clamantium & dicentium, Hildebrandum Archidiaconum beatus Petrus elegit. Quo audito idem Archidiaconus nimis expauit & quasi extra se raptus, cucurrit ad pulpitum, cupiens populum ipsum frequentem sedare, & à sua intentione recedere & retrahere: sed Hugo Candidus Cardinalis, vbi omnium vota in Archidiaconũ conuenisse indubitanter cognouit, dixit ad populum, quia idoneiorem ad Ecclesiæ regimen inuenire nequiuimus: Nos Episcopi Cardinales vnanimiter ipsum nobis & vobis in pastorem & Episcopum animarum nostrarum eligimus.* Quòd si ideò hæc tibi Gregorij electio non probatur, quòd Imperatoris assensus non interceserit, toto cælo aberras, prout superiùs citata testantur acta. *Altera die*, inquiunt,

Ibidem numero 27.

Gregorius apud seipsum sollicita mente pertractans, ad quam graue periculum sit adductus, æstuare cepit ex nimio dolore. Sed cùm excusationem de reliquendo Papatu non inuenisset, nuncios ad Regem Henricum celeriter destinauit, per quos & electionem desuper factam ei aperuit, & ne assensum præberet, attentiùs exorauit. Rex verò vt electionis veritatem cognouit, electioni eiusdem, (nota) *assensum præbuit, & Gregorium Vercellensem Episcopum Italiæ regni Cancellarium, ad vrbem transmisit, quatenus auctoritate regia electionem ipsam confirmaret.* Nunquid porro istud est ægrè electionem comprobare, vt tu asseris?

OBIECTIO.

Henrico 4. paulò post litem mouit Gregorius propter inuestituras Præsulum Germaniæ, quas iure Regio facere per virgam & annulũ soliti erant Imperatores, easque inaudito Henrico in Concilio Romano fieri prohibuit can. si quis deinceps, *& can.* quoniam 16. *quæst.* 7. pag. 81.

RESPONSIO.

Quid Gregorio Henricum audire opus fuit, vt quod in œcumenica octaua Synodo Constantinopoli celebrata, tempore Hadriani 2. summi Pontificis sancitum fuerat, obseruari decerneret? Nec enim decreti istius inuentor, sed instaurator tantùm, ac promulgator fuit Gregorius. Sic enim scribentem eum ad Hugonem Diensem Episcopum de huiusmodi laicorum inuestituris legimus. *Pro conseruanda,* inquit, *in promouendis Episcopis Canonica & Apostolica auctoritate nullus Metropolitanorum, aut quiuis Episcoporum alicui, qui à Laica persona donũ Episcopatus susceperit ad consecrandum illum imponere manum audeat, nisi dignitatis suæ honore, officioque carere & ipse velit. Similiter etiam vt nulla potestas aut aliqua persona de huiusmodi honoris donatione, vel acceptione, vlterius se intromittere debeat. Quòd si præsumpserit eadem sententia & animaduersionis censura, quam beatus Hadrianus Papa in octaua Synodo de huiusmodi præsumptoribus, & sacræ auctoritatis corruptoribus statuit, atque firmauit, se astrictum ac ligatum forè cognoscat.* Gregorium ergo vides Synodali decreto inhærentem, non autem decretum ex seipso facientem. Quale verò istud octauæ Synodi decre- Greg. 7. lib. 4. epist. 22.

Synod. 8. Constantinop. can. 12. Baron. ad annū 869. num. 50. & 53.

tum, quod duplex reperitur, fuerit, accipe ex vltima ipsius actione: Ac Canone quidem 12. hæc habentur. *Apostolicis & Synodicis Canonibus, promotiones & consecrationes Episcoporum ex potentatu & præceptione Principum factas, penitus interdicentibus, concordantes definimus, & sententiam nos quoque proferimus, vt si quis Episcopus per versutiam, vel tyrannidem Principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, vtpote qui non ex voluntate Dei, & ritu ac decreto Ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus, & ex hominibus & per homines Dei donum possidere voluit vel consensit.* Et can. 22. *Promotiones & consecrationes Episcoporum concordans prioribus Conciliys electione ac decreto Episcoporum collegij fieri sancta hæc vniuersalis Synodus definiuit & statuit, atque iure promulgauit neminem laicorum Principum, vel Potentum semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi, & hoc sub pœna anathematis.* Vt quid igitur Gregorium calumniaris, quòd decretum in Synodo Constantinopolitana iam constitutū, in Romana promulgarit, districtiusque obseruari mandauerit. Siqua culpa nunquid in Synodum potius, quàm in Gregorium, reijcienda?

Synodus 8. can. 22.

OBIECTIO.

pag. 81. *Cùmque Henricum obedire nolentem excommunicationis vinculo innodasset Gregorius, eum tandem Imperio abdicauit, subditos à sacramento fidelitatis, quo iure diuino & naturali dominis deuinciuntur, eo prætextu absoluit.*

RESPONSIO.

Vis ergo ex probatis authoribus veras & legitimas excommunicationis in Henricum prolatæ causas intelligere? Audi quæ Marianus Scotus illius temporis scriptor testetur, *Unicam*, inquit, *& dilectam domini sponsam, quam redemit de inimico, pretioso sanguinis sui pretio, quantum in ipso fuit* (Henricus) *per concubinarios, id est, hæreticos polluere & obscurare veritus non est, dum spiritualia Ecclesiæ officia, gratifica, scilicet, sancti Spiritus munera, per iniqua, contrariaque fidei Catholicæ commercia, more Simonis efficeret venalia. Hæc & his similia nefanda, & inaudita Henrici Regis flagitia videntes, & audientes fieri Catholici viri per id temporis in Ecclesia constituti, cum Propheta Elia Domini zelo zelantes pro domo Israel directis Romam nuncijs ad Alexandrum Apostolicæ sedis Antistitem, hæc ei & alia quamplurima, quæ in regno Theutonico, insanientibus Simonianis hæreticis, Rege Henrico authore, & Patrono dicta, & gesta sunt tam literis, quàm viua voce gemendo & dolendo conquesti sunt. Interea verò domino Alexandro Apostolico de medio sublato, suscepit sedem Apostolicam Gregorius septimus, qui & Hildebrandus, professione monachus. Iste querimonijs & clamoribus Catholicorum iustis, aduersus Henricum & scelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accensus, iam dictum Regem excõmunicatum pronuntiauit, maximè propter Simoniam. Quod factum Catholicis quidem viris benè placuit: Simoniacis verò* (nota) *ac fautoribus Regis nimium displicuit.* Vis adhuc grauiora Henrici scelera percipere. *Audi vera*, inquit Dodechinus, *non fucata, audi fortia, non faceta. Vt illa quæ sine numero sunt taceamus, videlicet concremationes Ec-*

Marian. Scotus lib. 3. Chronic. anno 1075.

Dodechin. in Append. ad Marian. Scotũ ann. 1090.

cleſiarum, deprædationes, homicidia, incendia, truncationes & his ſimilia, quæ ille poteſt, nos enumerare non poſſumus: Ea quæ maximè Eccleſiam Dei grauant, loquamur. Omnis qui dignitates ſpirituales vendit, hæreticus eſt. Dominus autem Henricus, quem Regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit: Etenim Conſtantienſem, Bambergenſem, Moguntinenſem & plures alias pro pecunia: Ratiſponenſem, Auguſtenſem, Strasburgenſem pro gladio: Abbatiam Fuldenſem, pro adulterio: Monaſterienſem Epiſcopatum (quod dicere, & audire nefas eſt) pro Sodomitica immunditia vendidit. Quæ ſi impudenter negare volueris, teſte cælo, teſte terra, omnes etiam à furno redeuntes ſcioli concludent: Ergo dominus Henricus hæreticus eſt. Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolica ſede excommunicatus, nec regnum, nec poteſtatem aliquam ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit obtinere. Paulus quoque Langius, *Excommunicationis*, inquit, *cauſa fuit, quia Henricus & tyrannus, & virginum, ac matronarum nobilium ſtuprator iam ceperat eſſe turpiſſimus. Qui etiam eo tempore Saxoniam ſibi prorſus vſurpare aggreſſus, ſeruitute noua, & graui, aliiſque oneribus, ac exactionibus, moleſtare cepit, bona terræ & quorumdam Principum ac Nobilium, necnon Epiſcopatuum, Monaſteriorum atque, diripiendo & vaſtando. Erat inſuper Simoniacus nefandiſſimus, inueſtituras Epiſcoporum & alia beneficia Eccleſiaſtica pro pecunia conferens.* Imò nec Henrico ſatis fuit, ſi totum Eccleſiæ corpus tantis flagitijs macularet, niſi etiam ipſum Eccleſiæ caput impeteret & graui perſecutione aggrederetur. Ideo cùm Vuormatiæ quoſdam ſuæ factionis Epiſcopos congregaſſet, *tractaturus cum eis*, inquit Lambertus, *ad deponendam Romanum Ponti-*

Paul. Langi. in Chronic. Citizenſ. anno 1057.

Lambertus Schafn. de reb. G. man. anno 1076.

ficem, si qua sibi via, si qua ratio pateret, in hoc cardine totam verti ratus salutem suam & regni stabilitatem, si is non esset Episcopus: Tandem ex nomine omnium, qui ibi conuenerant Episcoporum & Abbatum plenæ contumeliarum literæ Romam destinantur, quibus denuncietur Romano Pontifici, vt Pontificatu, quem contra Ecclesiasticas leges vsurpasset, sese abdicet, sciatque post eam diem quidquid agat, iubeat, decernat, irritum haberi. Pauca sunt ista. Destinati sunt ab Henrico Romam nuntij, inter quos erat quidam Rolandus (vt ex rebus gestis S. Anselmi Lucensis Episcopi apparet) qui Gregorium, summum vtique Pontificem, his interpellarent verbis. *Præcepit Dominus noster Rex, vt sedem Apostolicam, Papatum vt pote suum, dimittas, nec locum hunc sanctum vltra impedias.* Vel vt Domnizo Presbyter eiusdem temporis scriptor in vita Mathildis, ait.

Baron. ad annum 1076. numer. 21.

Domnizo in vita Mathild. apud Baron. anno 1076. numero 17.

Prædictus ecce Rolandus
In medium venit, Papæ mox dicere cepit:
Rex iussit terræ, iusserunt Pontificesque,
Vt linquas sedem, quam non es dignus habere
Romanis clericis: Mox idem portitor inquit,
Costes in Pente Romam, testor, veniet Rex
Missurus Papam, lupus hic, non est quia Papa.

His ergo perpensis, quid mirum si idem Pontifex (vt habet eiusdem S. Anselmi acta) *cùm iam instaret tempus absoluendi Romanam Synodum, habito cum centum & decem Episcopis vtiliori consilio, in eundem Regem, qui Ecclesiasticam vnitatem scindere attentauit, excommunicationis sententiam protulit, & vsque ad condignam satisfactionem sententiam ipsam firmiter obseruari præcepit?*

Baron. ibid. numero 22.

OBIECTIO.

pag. 81. *Liberos in patris perniciem armauit Gregorius.*

RESPONSIO.

Obstupescite cæli! super calumnia summo Pōtifici Gregorio à Simone irrogata, dum in Hērici perniciem eum liberos illius armasse ita audacter, ne dicam impudēter affirmat. Licèt enim tandem aliquando Henricus ille impius, ob tam horrenda ab eo perpetrata facinora, Deo ipso tarditatem supplicij grauitate compensante, proprios liberos senserit diriſſimos suæ nequitiæ carnifices, atque acerbiſſimos diuinæ iustitiæ executores, istud tamen, nec Gregorio instigante, imò nec eo viuēte, contigit. Ac Conradus quidem Henrici maior natu filius, non nisi octennio post Gregorij mortem rebellauit, cùm Vrbanus secundus sedis Apostolicæ gūbernacula regeret, qui fuit annus 1093. Cuius rebellionis hæc à Dodechino infamis causa asseritur. *Conradus*, inquit, *filius Henrici Imperatoris, patri suo hac de causa rebellauit. Henricus Rex Adelheidam reginam, quam duxerat vxorem, odio cepit habere, ideò incarcerauit eam, & concessit, vt plerique ei vim inferrent. Imò filium hortans, vt eam subagitaret. Quo recusante patris polluere stratum, eum rex non suum, sed peregrini filium esse affirmauit, cuiusdam Principis de Sueuia, cuius etiam faciem prædictus Conradus plurimum assimilauit.* Et post pauca. *Conradus igitur patri suo rebellans, venit ad Papam Vrbanum & solutus ab excommunicatione, in Longobardia regnauit contra patrem. Erat denique Conradus iste in omni bonitate & probitate con-*

Dodechin. in Append. anno 1093.

spicuus, humilis, & modestus. Bertholdus quoque res gestas Vrbani 2. describens. *In Longobardia,* inquit, *prudentissimi milites S. Petri Vuelpho dux, & vxor eius Mathilda, iam triennio contra schismaticos viriliter dimicantes, tãdem multum contra ipsos, Deo opitulante, confortati sunt. Nam Conradus filius eius à patre discessit, & Vuelphoni duci, reliquisque fidelibus sancti Petri contra patrẽ, cum suis adiuuit.* Quin & ipse author vitæ Hẽrici, qui & eodem tempore viuebat, non à Gregorio, nec ab alio summo Pontifice, sed à Mathilde inductum Conradum, vt contra patrem rebellaret, constanter affirmat. *Filius Imperatoris,* inquit, *quem in Italia relictum à patre, & quam ob causam relictum diximus, à Mathilde persuasus (quem enim astutia feminea non subuertat, aut decipiat?) iunctus inimicis patris, coronam sibi imposuit, regnum inuasit, profanauit ius, & ordinem confudit, impugnauit naturam, quærebat patris sanguinem,* &c. Quòd ad Hẽricum autem Henrici filium natu minimum spectat, quomodo Gregorio suadente cõtra patrem insurgere potuisset, qui vix quintum ætatis annũ excesserat, cùm Gregorium mori contigit? Natus enim est anno 1080. Gregorius autem è viuis excessit anno 1085. Nec eum patri bellum inferre nisi anno 1105. accidit. Sic enim Dodechinus. *Anno* 1105. *Henricus filius Henrici Imperatoris, inuaso regno, cepit regnare viuente patre. Voluit autem Henricus senior Saxoniam hostili manu inuadere propter quosdam Catholicos, quod minimè perficere potuit, quia filius eum detestabatur, quemadmodum & cuncti fideles, quoniam excommunicatus denunciabatur à tribus Apostolicæ sedis Præsulibus Gregorio, scilicet, Vrbano, & Paschali.* Otho Frisingensis. *Anno,*

Bertholdus Chronog. in Vrbano 2. anno 1093.

Auctor vitæ Hẽrici 4. circa medium.

Dodechin. in Append. anno 1105.

Otho Frising. Chron. lib. 7. cap. 8.

inquit, *iterùm sequente* (qui est 1105.) *Natale Domini Moguntiæ Imperatore celebrante, Henricus filius eius rebellionem contra patrem in Noricis partibus cõsilio* (nota) *Theobaldi Marchionis, & Berengarij Comitis, sub specie religionis, eò quod pater eius à Romanis Pontificibus excõmunicatus esset, molitur, ascitis sibi quibusdam ex Orientali Frãcia, Alemania, Baioaria Principibus, Saxoniam, terram, & gentem contra regnum facilè animandam ingreditur, vbi honorificè susceptus, vniuersos gentis illius Primates ad voluntatem suam inclinauit.* Nec ipse Author vitæ Henrici Imperatoris, defectionis filij à patre alium authorem memorat, quam eos qui

Auctor vitæ Henrici 4. post mediũ.

assueti rapinis, inquit ille, *mouendis iterùm bellis animum intendebant, ad quam rem filium eius maximè idoneum existimabant. Ideoque filius, eorum sermonibus illectus, & abstractus à concupiscentia, malignæ suggestioni (vt semper seductilis est adolescentia) nec voto defuit, nec facto. Igitur filius Imperatoris obseruans tempus recedendi à patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quosdam Saxonum rebelles repentè, abstractis ab eo multis, deseruit.* Quid quòd & ipse Henricus, in Epistola tunc temporis ad Paschalem 2. summum Pontificem ab eo scripta, nec Gregorium 7. nec aliquem alium ex summis Pontificibus, rebellionis huiusce auctorem

Baronius ad annum 1105. numero 6.

nominat? *Nunc quoque filius noster*, inquit, *quem tam vehementer dileximus, vt vsque ad solium regni nostri exaltaremus, eodem veneno infectus, consilio quorumdam perfidissimorum & periuratorum sibi adhærentium, insurgit in nos.*

OBIECTIO.

pag. 81.

Subditos à sacramento fidelitatis, quo iure di-

uino & naturali Dominis deuinciuntur, eo pretextu absoluit, quod ipsemet statuisset excommunicatis obsequi non oportere, can. Nos sanctorum. *15. quæst. 6.*

RESPONSIO.

Non tantùm eo prætextu, quòd excommunicatus esset Henricus, subditos eius à sacramento fidelitatis absoluit Gregorius, sed quòd reuera & hæreticus, imò & hæreticorum author esset & caput: Sic enim ad Herimānum Metensem Episcopum eundem Gregorium scribentem legimus. *Quod autem postulasti,* inquit, *te quasi scriptis nostris iuuari ac præmuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt, auctoritatem sanctæ & Apostolicæ sedis non potuisse regem Henricum, hominem Christianæ legis contemptorem, Ecclesiarum videlicet & Imperij destructorē, atque hæreticorum auctorem, & consentaneum, excommunicare, nec quemquam à sacramento fidelitatis eius absoluere, non adeò necessariū nobis videtur, cùm huius rei tam multa, ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur.* Quòd si nihilominus cōtentiosè quis eum negauerit hæreticum, quod hæresim non docuerit, iuxta tamen Imperatoris Theodosij cōstitutionem, qua *Hæreticorum,* inquit, *vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus debent succumbere, qui vel leui argumento, iudicio Catholicæ religionis à tramite detecti fuerint deuiare,* quis non Henricum tot summorum Pontificum iudicijs, tot Conciliorum sanctionibus, propter simoniacam hæresim condemnatum, verè hæreticum existimabit? *Licèt enim,* inquit Iuo Carnotensis, *ex-*

Gregor. 7. l. 8. epist. 24. & apud Baron. ad ann. 1081. numero 4.

Leg. 28. de hæret. lib. 16. Cod. Theodos.

Iuo Carnot. epist. 239. ad Ioan. Archiepisc. Lugdunens.

teriores inuestituras per Laïcos factas non satis propriè hæresis nomine censeamus, sentire tamen, ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est. Quòd si hæreticus, imò & hæreticorum Simoniacorum author, cur hæreticorum pœnis ex suprà citata Theodosij cõstitutione non subiacebit?

OBIECTIO.

pag. 81. *Hæc decreta totam Germaniæ Rempublicam funditus euerterunt, & Henricum vt bis & sexagies in aciem ciuilem armatus descenderet, Baptista Egnatio authore, coëgerunt.*

RESPONSIO.

Non Gregorius, nec Romanorum Pontificum aliquis, sed infidelitas duntaxat, ac perfidia Henrici, tot eum prælia committere coëgit. Ita enim dolosè cuncta agere consueuerat, vt cùm ei prosperè omnia procederent, ferox esset & crudelis: Cùm autem deprimeretur, tũc subdolè ad fallendum, laruam sibi pietatis induceret, quam mox deponebat, cùm, quod esset conatus, effeciſſet. Saxones appello testes, cum quibus toties agendum ei fuit, quique toties infidelitatẽ eius experti sunt. Sit mihi satis de Saxonici belli causa hæc pauca ex Mariano Scoto edicere. *His tẽporibus,* inquit, *orta est grauis, atque feralis discordia in regno Theutonico, inter regem Theutonicum, & Principes Saxoniæ, cuius causa, vt fertur, hæc erat. Rex Henricus omnes Saxones seruituti subijcere cogitabat, sed quia hoc tam facilè vt sperauerat, perficere non poterat, accepto consilio priùs Principes proposuit honoribus, ac dignitatibus suis despoliare, & sic reliquos Prouinciæ populos dominio suo subiugare.* Et post

Marianus Scotus lib. 3. Chronic. ad annum 1075.

pauca. *Othoni itaque Ducatum Boariæ abstulit, metuens eum quia genere Saxo erat, quem protinus Vuefoni ad iniuriam Saxonum contulit. Post hæc quadam die fertur dixisse, Saxonia regio pulcherrima, sed serui nequissimi, habitatores, videlicet, illo prænotans opprobrio. Quod audiens prædictus Otho Dux, grauius quam credi potest dictum regis suscepit, collocutusque Principibus Saxoniæ rebellare omnem simul fecit Prouinciam.* Non ergo Gregorius illius belli author fuit. Quin potiùs sequester pacis accedens, literas ad Saxoniæ Episcopos, & Principes dedit, vt ab armis quiescerent, donec legatos ad Henricum misissent, qui res componerét. Ibidem.

Inter cæteras, inquit idem Gregorius, *curarũ anxietates, ea nos maximè sollicitudo coarctat, quod inter vos & Henricum regem, vestrum videlicet Dominum, tantam discordiam, & tam inimica studia exorta esse cognouimus. Qua de re Regi misimus, exhortantes & ex parte Apostolorum Petri & Pauli eum admonentes, vt interim sese ab armis, & omni bellorum infestatione contineat, donec tales ad eum ab Apostolica sede nuntios dirigamus, qui tantæ dissensionis causas, & diligenter inquirere, & annuente Deo ad pacem, & concordiam valeant determinatione perducere. Atque itidem vos exoratos, & Apostolica auctoritate commonitos esse volumus, vt ex vestra parte, omni motione sopita, easdem pacis inducias obseruetis, nec aliqua occasione nobis cum Dei adiutorio astruendæ pacis impedimentũ apponatis.* Greg. 7. lib. 1. epist. 39. Baron. ad annum 1073. numero 77.

Quod ad bellá autem, quæ contra filios gessit, quæ sunt superiùs dicta, ipsum Gregorium, aliosque Romanos Pontifices satis, superque excusant. De Rudolpho autem, cum quo multa prælia commisit, illud ex Mariano Scoto constat, quod à Germaniæ Principi-

bus, ob iuramenti ab Henrico facti præuaricationem, electus Rex fuerit. Ita enim ait. *Saxones igitur ferociores ex damno, quod passi sunt effecti, adhuc rebellare nitebantur. Quos prædictus Dux Rudolphus compescuit, ne hoc facerent, dans eis consilium propter pacem & concordiam, vt in potestatem regis se traderent, in fide sua dicens se acturum, quod nihil eis noceret. Cuius sequentes consilium, veniente postmodum rege in Saxoniam, Principes Saxonum in potestatem eius se dederunt, quos omnes Rex custodiri præcepit. Videns ergo Rudolphus Dux, qui eis consilium dederat, & fideiussor extiterat, quod eos iuuare non poterat, dolorem inde habens non minimum, regi indignabatur nimiùm. Ipsi autem sine voluntate regis quomodocumque liberati de custodia, & ad sua tandem reuersi post Rudolphum miserunt, eumque super se regem fecerunt. Qui ductus Moguntiam consecratus est à Sigefrido Archiepiscopo in Regem. Qui statim congregato exercitu Vuertzeburg obsedit, quam continuò acceptam in deditionem accepit.* Maria. Stot. lib. 3. Chron. ad ann. 1077.

Totumque istud inconsulto Gregorio Pontifice factum est. Id enim apertè posteà idem Gregorius in decreto excommunicationis contra Henricum prolatæ, professus est his verbis. *Prædicti*, inquit, *Episcopi, & Principes vltramontani, audientes illum non seruare quod promiserat, quasi desperati de eo, sine meo consilio* (nota) *vobis Petro & Paulo testibus, elegerunt sibi Rudolphum Ducem in Regem. Qui Rex Rudolphus festinanter ad me misso nuntio indicauit se coactum regni gubernacula suscepisse, tamen sese paratum mihi in omnibus modis obedire. Interea Henricus cepit me precari, vt illum contra prædictum Rudolphum adiuuarem. Cui respondi me libenter facere, audita vtriusque partis ratione, vt scirem cui iustitia magis faueret. Ille ve-*

Gregor. lib. 7. post epist. 14. & apud Baronium anno 1077. numero 44.

rò putans suis viribus eum posse deuincere, meam contẽpsit responsionem. Ideoque vbi primùm ista in Germania facta cognouit Gregorius, ne malum iam cœptum vlteriùs crescceret, literas statim ad suos legatos iãpridem in Germaniam missos dedit, vt securum iter, ab vtroque rege, pro pace procurãda sibi impetrarent. *Monemus vos,* inquit, *& ex parte beati Petri præcipimus, vt fulti auctoritate huius nostri præcepti, nostraque vice ab eodem Apostolorum Principe accincti, vtrumque Regem Henricum videlicet, & Rudolphum commoneatis, quatenus viam nobis illuc securè transeundi aperiant, & adiutorium atque ducatum per tales personas, de quibus vos benè confiditis, præbeant, vt iter nobis, Christo protegente, pateat. Desideramus enim cum consilio Clericorum, atque Laïcorũ eiusdem regni, qui Dominum timent, ac diligunt, causam inter eos, Deo fauente, discutere, & cuius parti magis ad regni gubernacula, iustitia fauet, demonstrare.* Gregor. 7. li. 4. epist. 23. & Baron. ad annum 1077. numer. 49.

Henricus autem cum fautoribus schismaticis furore percitus, contra ius gentium legatos Apostolicos pacis sequestres capi iussit, vinculisque mancipari: Vt hinc appareat, non mirandum si tot bella, belli cupidus, & belli occasiones quærens, Henricus gesserit. Baron. ibid. numer. 53.

OBIECTIO.

Tum eò ventum est impietatis, vt Henrici Imperatoris cadauer sepultum, asylo sepulchri extraheretur, & in cloacam præcipitaretur iussu Henrici quinti eius filij, qui perfidiosè antea suum patrem exarmauerat. pag. 81.

RESPONSIO.

Nunquid & ad fallæ istius assertionis cumulum,

instigante Romano Pontifice hæc facta esse, quæ nunquam facta fuerunt, affirmabis? Licèt enim Henrici, vt pote excommunicati, & in excommunicatione defuncti, cadauer, antea Christiano more sepultum, effossum fuerit, non tamen insepultum, sed in lapideo sarcophago positum: nec in cloacam proiectum, sed extra Ecclesiam in loco non consecrato depositum, per quinquenniũ duntaxat mansit. Sic enim ea de re Abbas Vrspergensis. *Leodienses*, inquit, *Episcopus, cæterique Coepiscopantes inter cetera recipiuntur in communionem pœnitentiæ, hac conditione, quod cadauer ipsius excommunicati, per se pridie in monasterio tumulatum, effoderent, & absque vlla sepultura, vel exequiarum communione, in loco non consecrato deponerent, comprobantibus hu qui aderant Archiepiscopis, & Episcopis: Quia quibus viuis Ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare posit. Quo facto paulò post corpus ipsius Spirensi ciuitati est in sarcophago lapideo, regis consensu, delatum, sicque extra Ecclesiam ibidem per quinquennium mansit inhumatũ.* Quinquennio autem elapso cùm apud Paschalem Romanũ Pontificem sacerdotes Germaniæ iurati retulissent, Henricum hinc peccatorum suorum pœnitentem, extremum clausisse diem, Henrico filio id enixè postulanti, ab eodem Paschali, patrem suum Henricum in Ecclesia sepeliendi, eidemque Catholico more parentandi, libera est concessa facultas. Ita enim idem Abbas Vrspergensis testatur. *Igitur*, inquit, *Imperator Henricus, mense Augusto, quamplurimos Episcopos atque Abbates, nonnullos etiam Principes Spiram vocat, quorum assensu & cooperatione patris sui anniuersarium permagnificè*

Abb. Vrsper. in Chron. anno 1106.

Abb. Vrsper. anno 1111.

magnificè celebrat. Nam toto quinquennio suspensa communio sepulturæ, & orationum, Apostolica auctoritate, ab eisdem sacerdotibus, qui & Romæ coram Papa pœnitentiæ eius testimonium reddiderant, tunc testificantibus conceditur, & quibus nulli vnquam Imperatorũ (nota) *augustiores impensæ sint exequijs, iuxta maiores suos in Ecclesia sepelitur.* Vt quid ergo Simon hæc in vulgus effutit, quæ tanti scriptoris testimonio falsa esse comprobantur?

Obiectio.

Quis dicet hanc excõmunicationem à Gregorio iure emissam esse, cùm in iure prohibitum sit aliquem excommunicare, antequam causa probetur, propter quam excommunicare iubent Canones, can. De illicita. 24. *quæst.* 3. *Quis autem iudex censebitur causæ, Vtrum necne sit conformis canonibus? An Papa ipse inimicus, testis, accusator, & iudex?* pag. 82.

Responsio.

Ecquis verò nisi hæreticus, aut schismaticus, excommunicationẽ illam seruato iuris ordine, causaque probata à Gregorio nec inimico, nec teste, nec accusatore, sed iudice, in Hẽricum prolatam, non iure emissam asserere audebit? Ac si de inimicitia agitur, quid, quæso, non egit Gregorius, vt Henricum iam sub Alexandro 2. tantopere infamatum ob nundinationem Episcopatuum & Abbatiarum, aliaque crimina, ad meliorem mentem reuocaret? Audi quid super hoc antequam vlla ab eo excommunicatio proferretur ad plures

Gregor. 7. li. 1. epist. 9. Baron. ad annũ 1093. numero 41.

scripserit. Ad Godefridum quidẽ ducem, *De Rege*, inquit, *mentem nostram & desiderium plenè cognoscere potes, quod quantum in domino sapimus, neminem de eius præsenti ac futura gloria aut sollicitiorem, aut copiosiori desiderio nobis præferri credimus. Est enim hæc voluntas nostra, vt primùm nobis oblata opportunitate, per nuntios nostros super his, quæ ad profectum Ecclesiæ & honorem Regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur, paterna eum dilectione, & admonitione cõsentiamus. Quod si nos audierit, non aliter de eius quàm de nostra salute gaudebimus.* Ad Beatricem autem ducissam, & filiam eius Mathildem. *De Rege autem*, inquit, *hæc est*

Idem lib. 4. epist. 11. & Baron. ibidẽ numer. 42.

voluntas nostra, vt ad eum viros religiosos mittamus, quorum admonitionibus inspirante Deo ad amorem sanctæ Romanæ & suæ matris Ecclesiæ eum revocare, & ad condignam formam suscipiendi Imperij instruere & expolire valeamus. Quin & ipsi Henrico, quem animo ad Apostolicam sedem propensiore accepe-

Idem libr. 2. epist. 30. Baron. ad annum 1074. numer. 6.

rat, in hæc verba rescripsit. *Filiæ nostræ*, inquit, *fidelissimæ vestræ Beatrix Comitissa, & filia eius Mathildis, non modicè nos lætificauêre scribentes de amicitia & syncera dilectione vestra; quod libentissimè accepimus. Quamobrem licet peccator, memoriam tui inter Missarum solemnia super corpora Apostolorum & habui, & habebo, supplicìter obsecrans, vt Deus omnipotens & hæc tibi bona stabiliat, & ad profectum Ecclesiæ suæ ampliora concedat. Moneo autem te, fili excellentissime, & syncera charitate exhortor, vt in his rebus tales tibi cõsiliarios adhibeas, qui non tua, sed te diligant, & saluti tuæ, non lucro suo consulant.* Cùm autem nec sic Henricus à malis quiesceret, sed è contrario post obtentam contra Saxones victoriam, timore solutus, non ea

tantùm adimplere contemneret, quæ Legatis Apostolicis promiserat, sed & à Romano Pontifice excommunicatos, palàm foueret, atque reciperet, aliaque plurima Ecclesiæ maximè nociua perpetraret, mitiùs tamen cum eo adhuc agere cupiens Gregorius, literas ad eum querelis plenas in hæc verba dedit. *Considerantes*, inquit, *ac sollicitè pensantes, quàm districto iudici de dispensatione crediti nobis per beatum Petrum Apostolorum principem ministerij, rationem reddituri sumus, cum dubitatione Apostolicam benedictionem mandamus, quoniam iudicio sedis Apostolicæ, ac Synodali censura excommunicatis, communionem tuam scienter exhibere diceris.* Et post pauca. *Decuerat regiam dignitatem tuam, cùm te filium Ecclesiæ confitearis, honorabiliùs magistrum Ecclesiæ, hoc est, beatum Petrum Apostolorum principem intueri, cui si de dominicis ouibus es, dominica voce & potestate ad pascendum traditus es.* Et infra. *Quapropter prouidendum esset tuæ celsitudini, ne erga sedem Apostolicam in verbis & legationibus tuis aliqua inueniretur discrepantia voluntatis, & in his per quæ Christiana fides & status Ecclesiæ ad æternam salutem maximè proficit, non nobis, sed Deo omnipotenti debitam non denegares reuerentiam.* Et paulò post. *Quanquam hoc multùm desideremus, & te permaximè deceret, vt sicut cæteris gloria & honore, virtuteque potentior, ita esses & in Christi deuotione sublimior. Attamen ne hæc supra modum tibi grauia viderentur, per tuos fideles tibi mandauimus, ne praua consuetudinis mutatio te commoueret, mitteres ad nos, quos sapientes & religiosos in tuo regno inuenire posses, qui si aliqua ratione demonstrare, vel astruere possent, in quo, saluo æterni Regis honore & sine periculo anima-*

Gregor. lib. 3. epist. 10. Baron. ad annum 1076. numer. 2. & seqq.

rum nostrarum, promulgatam sanctorum patrum temperare possemus sententiam, eorum consilijs (nota) *condescenderemus. Quod quidem etsi à nobis tam amicabiliter monitus non fuisses, æquum tamẽ fuerat, vt prius in quo te grauaremus, aut tuis honoribus obstaremus, rationabiliter à nobis exigeres, quàm Apostolica decreta violares. Sed quia dum adhuc longa Dei patientia ad emẽdationem te incitat, crescente intelligentia tua ad obedientiam mandatorum Dei cor & animum tuum flecti posse speramus, paterna te charitate monemus, vt Christi super te Imperium recognoscens, honorem tuum eius honori præponere, quàm sit periculosum cogites, & libertatem Ecclesiæ, quam sponsam sibi cælesti consortio iungere dignatus est, non tam tua occupatione impedias, sed quò maximè crescat, Deo omnipotenti & Beato Petro, à quibus & tua mereatur amplificari gloria, auxilium tuæ virtutis fideli deuotione exhibere incipias.* Quid quæso mitius, quid amicabilius dici poterat? Vidisti certè & audisti pium patrem salutis monita filio impartientem, qui tamen contemptor numinis, perfidiæque cultor, statim vt has accepit litteras, salutis remedia indurato prorsus animo spernens, Vuormatiense Conciliabulum, de quo suprà egimus, aduersus Gregorium coegit, vbi inter alia. *Decretum est*, inquit Lambertus, *quòd Gregorius Papa esse non possit, nec vllam iuxta priuilegium Romanæ sedis ligandi aut soluendi potestatem habeat, vel aliquando habuerit, qui tantis vitam probris ac criminibus commaculauerit.* Postea ex nomine omnium, qui conuenerant Episcoporum & Abbatum plenæ contumeliarum litteræ Romam, vbi Synodum celebrandam didicerant, destinantur. Quid super hæc Gregorius? Au-

Lambertus Schafnab. de reb. german. anno 1076.

di ex eodem Lamberto. *Papa*, inquit, *nihil permotus atrocitate nuntij, postera die cum Clerus & populus ad Synodum frequens confluxisset, in auribus omnium literas recitari fecit & sic cunctis, qui conuenerant, Episcopis, id fieri decernentibus, Regem excõmunicat, & cum eo Archiepiscopum Moguntinum Sigefridum, Episcopum Traiectensem Vuilielmum, Episcopum Bambergensem Robertum.* His peractis, nunquid fortè Gregorius inimicè egit cum Henrico à fidelium communione iam præciso? Quinimmò omnem mouit lapidem, vt eum ad pœnitentiam reuocaret: Ideo omnibus Christi fidelibus in hæc verba rescripsit. *Quia*, inquit, *nostri est officij homines, non vitia diligere & prauis, vt resipiscant, resistere, & impietates, non homines abhorrere, auctoritate beati Petri Apostolorum principis monemus vos, & vt charissimos fratres rogamus, amodo studentes illum* (Henricum) *de manu diaboli eruere & ad veram pœnitentiam prouocare, vt eum possimus, Deo fauente, ad sinum communis matris nostræ, quam conatus est scindere, fraterna ducti charitate reuocare, ita tamen vt nulla possit fraude, recidiua clade Christianam religionem confundere, & sanctam Ecclesiam pedibus suis conculcare.* Quin & ad Germanos Episcopos & Principes eiusdem ferè argumenti Encyclicas literas dedit. *Monemus*, inquit, *vos in Domino Jesu & rogamus sicut charissimos fratres, vt eum* (Henricum) *benignè (si ex toto corde ad Deum conuersus fuerit) suscipiatis, & circa eum non tantùm iustitiam, quæ illum regnare prohibet, sed misericordiam, quæ multa delet scelera, ostendatis. Estote quæso humanæ memores conditionis & communis fragilitatis: Nec vos prætereat pia & nobilis memoria patris & matris eius, quibus non*

Idem ibid.

Gregor. 7. li. 4. epist. 1. Baron. ad annum 1076. numer. 41.

Idem ibid. epist. 3. & Baron. numero 41.

possunt nostra ætate ad Imperij gubernacula inueniri æquales, &c. Et hæc quidem de præsumpta, seu potiùs à Simone suppositia immicitia Gregorij erga Henricum, dicta sint. Quòd si accusatores, testesque in eiusdem Henrici causa quæsieris, iam ad Alexandrum 2. Gregorij prædecessorem, Saxones Henricum detulerant, vt testatur Abbas Vrspergensis, *Non cessat*, inquit, *gens Saxonum, vt est animo accerima, coniurationem aduersus Regem vnanimi conspiratione confirmare, accusationes blasphemas & inauditas ad sedem Apostolicam in illum referre, sociosque sibi ex omni Theutonico regno litteris & nuntijs adsciscere.* Idem quoque & plures Catholici viri egerãr, vt refert Marianus Scotus. Enarratis enim eiusdem Hẽrici facinoribus. *Hæc & his similia*, inquit, *nefanda & inaudita Henrici Regis flagitia videntes & audientes fieri Catholici viri, per id temporis in Ecclesia constituti, cum Propheta Elia domini Zelo Zelantes pro domo Israel directis Romam nuntijs ad Alexandrum Apostolicæ sedis Antistitem, hãc ei & alia quamplurima, quæ in regno Theutonico, insanientibus Simoniacis hæreticis, Rege Henrico authore & patrono, dicta & gesta sunt tam litteris, quàm viua voce gemendo & dolendo conquesti sunt.* Mortuo verò Alexandro, cùm Gregorius in eius locum suffectus esset, Henrico ab impietate sua non cessante, tandem, *Pontifex quærimonijs* (addit idem Marianus) *& clamoribus Catholicorum iustis aduersus Henricum & scelerum eius immanitatem auditis, zelo Dei accensus iam dictum Regem excommunicatum pronunciauit propter Simoniam.* Quidni verò omnes testificarentur, quod & ipsemet Henricus ad eundem Gregorium scribens

Abb. Vrsper. anno 1072.

Marianus Scot. lib. 3. Chronic. ad annum 1075.

Idem ibid.

contra seipsum testificatus est. *Heu*, inquit, *criminosi nos & infelices, partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestatiuæ nostræ & Imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum, quorum seductilia nimium secuti sumus consilia, seductoria deceptione peccauimus in cælum, & coram vobis, & iam digni non sumus vocatione vestræ filiationis, non solùm enim nos res Ecclesiasticas inuasimus, verùm quoque indignis quibuslibet & Simoniaco felle amaricatis & non per ostiũ, sed aliunde ingredientibus Ecclesias ipsas vendidimus, & non eas vt oportuit defendimus.* Quid ergo egemus testibus? ipsi enim ex ore eius iam audiuimus blasphemiã. Quòd ad iudicem autem spectat, quis Gregorium negabit iudicis officio functum, cùm viderit Henricum, *Depositio cultu Regio*, inquit Lambertus, *& nihil præferẽtem Regium, nihil ostentantem pompaticum, nudis pedibus ieiunum à manè vsque ad vesperam perstare Romani Pontificis sententiam præstolando, nec tantùm semel, sed secundò & tertiò ista facientem, quartoque demum die in conspectum eius admissum post multas hinc inde dictas sententias, his postremò conditionibus excommunicatione absolutum, vt die & loco quemcumque Papa designasset, euocatis ad generale Concilium Theutonicis Principibus præstò esset, & accusationibus quæ intenderentur, responderet, ipso Papa (si ita expedire videretur) cognitore causarum assidente, & ad eius sententiam, vel retineret regnum, si obiecta purgasset, vel æquo animo amitteret, si probatis criminibus, Regio deinceps honore indignus iuxta Ecclesiasticas leges decerneretur, nullam siue retento, siue amisso regno huius iniuriæ vindictam, à quopiam hominum in perpetuum exacturus.* Hæc Lambertus: Qui & Henricum conditione

Habetur inter epist. Gregorij 7. lib. 1. post epist. 29. citatur à Baron. anno 1073. numero 43.

Lambertus Schafnab. de reb. Germ. anno 1077.

Labert. ibid. gratanter accepisse, & seruaturum se omnia quàm sanctissimis poterat assertionibus promisisse, affirmat. Quod tamen non præstitit, sed quotidie in peiora ruens, euenit ei, quod dicit scriptura. *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Vnde propter multiplices excessus à tribus summis Pontificibus sibi inuicem succedentibus, à Fidelium communione repulsus fuit, manſitque excommunicatus vsque ad mortem, quæ quidem, teste Abbate Vrspergensi, ita cunctis fidelibus per vniuersum orbem dispersis, gratissima fuit. Vt *non altius*, inquit, *cõcineret Israël Domino, Pharaone demerso, nec augustiori ipsi Octauiano, siue vllo vnquam Augustorum applauderet Roma triumpho. Frænum quippe quod erat in maxillis populorum, versum est illis in cãticum, sicut vox sanctificatæ solemnitatis.* Et post pauca Panegyrici loco, in Henricum addit. *Hic finis, hic interitus, hæcque fors vltima Henrici, illo sub vocabulo 4. Romanorum Imperatoris à suis appellati, à Catholicis verò, id est, cunctis beato Petro, suisque successoribus fidem & obedientiam lege Christiana conseruantibus, Archipirata, simul & Hæresiarcha, necnon & Apostata, persecutorque plus animarum quàm corporum competenter dicebatur, vtpote qui nec naturalibus, nec consuetudinarijs contentus sceleribus, noua & à sæculis inaudita, ideoque nonnulla incredibilia excogitasse, & exercuisse infamabatur. Quæ si quis illorum arbitratu, qui tam perperam, quàm rectè ab Imperatoribus gesta, literis digna iudicant scribere velit, nos loco cedimus, maximè cùm aliqua ex his, obliuione potius, quàm memoria digna non dubitemus.* Candidus ergo iudicet lector, quid causæ fuerit Simoni tam impium, detestabilemque laudare Imperatorem,

Prouerb. 18.

Abb. Vrspergens. anno 1106. & Baron. eodem, numer. 23.

Idem ibid. & Baron. numero 24.

quem idem Abbas Vrspergensis Nabugdonosori, Iuliano Apostatæ, & crudeli Amanparem facit, vt Gregorium huius nominis septimum, sanctissimum vtique Pontificem, qui teste Lamberto *tam eximiè, tamque Apostolicè vitam instituebat, qui signa & prodigia per orationes frequentius faciebat, cuius zelus feruentissimus pro Deo, & pro Ecclesiasticis legibus.* Qui secundùm Othonem Frisingensem. *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit, ac fortis per omnia athleta, murum se pro domo Domini ponere non timuit, quique inter omnes Sacerdotes & Pontifices Romanos præcipui zeli & auctoritatis fuit.* Qui *cogitationes aliorum,* inquit Vuilielmus Malmesburiensis, *prophetico mentis intuitu pronunciabat,* qui viuus & mortuus, miraculis coruscauit, vt ex authore vitæ S. Anselmi Lucensis Episcopi, qui eodem tempore viuebat, liquet. Qui teste Platina. *Vir fuit Deo gratus, prudens, iustus, clemens, pauperum, pupillorum, viduarum patronus, atque vnicus Ecclesiæ Romanæ fortissimus, & acerrimus defensor.* Quem denique annua celebritate octauo Calendas Iunij sacrosancta recolit Ecclesia: Vt, inquam, tantùm Pontificem deprimeret, opprimeretque. Nec est quod Sigebertum obijciat, quem schismaticum fuisse, schismaticisque apprimè fauisse constat.

Lambert. Schafn. de reb. german. anno 1077.

Otho Frisin. in Chron. li. 6. c. 34. & 36.

Vuiliel. Malmesburiēs. de gest. reg. Angl. lib. 3. Aust. vitæ S. Anselm. Lucēs. apud Baron. anno 1085. numero 14. Plati. in Gregor. 7. Martyrolog. Rom. 25. Maij.

Obiectio.

Sed ne Sigebertum suspectum habeant aduersarij, audiant Canonem 2. Toletani 10. Concilij. pag. 83.

Responsio.

Rectè iudicasti: Sigebertum namque maximè suspectum habemus, vtpote schismaticum, schis-

maticisque apprimè fauentem, vt mox diximus, vnde tot eius deliria in Hildebrandum (ita enim per contemptum Gregorium septimum sanctissimum Pontificem appellat) in Chronico suo contra historiæ fidem prolata. Quòd verò ad Canonẽ Concilij Toletani attinet, illum libenter audio, ambabusque vlnis illum excipio. Libet tamen integrum eum proferre, vt maiori cum gratitudine ab omnibus recipiatur. Ita ergo se habet. *Frequentium molestiarum nocens impulsus contemni quidem magnitudine decentis poterit grauitatis, sed quia honesta sollicitudo cohibere properat, quod frequentata vsitatio vitare non curat, ideò & cùm quorumdam paternorum sanctionibus decretorum & institutionibus sit legalibus cautum, ne contra salutem Principum, gentisque, aut propriæ patriæ quisquam meditari conetur aduersum. Hoc vnum specialiter nunc depromitur obseruandum, vt si quis religiosorum, ab Episcopo vsque ad extremum ordinis Clericorum, siue Monachorum generalia iuramenta in salutem regiam, gentisque, aut patriæ data, reperiatur violasse voluntate profana, mox propria dignitate priuatus, & loco & honore habeatur exclusus, eo miserationis obtentu tantummodò reseruato, vt an locum, an honorem, an vtraque possideat concedendi, ius licentiamque principalis potestas obtineat.* Optimum certè, sanctissimumque decretum aureis literis exarandum, ne cuiquam priuato in salutem regis, gentis, aut patriæ quidquam moliri liceat. Quis mihi det, ex corde dixerim, vt exaretur Canon iste in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpatur in silice? Quid in silice inquam? Quin potiùs in intimo Francorum corde, vt iam quæ nostro infœlici sæculo in duo-

Concil. Tolet. 10. can. 2.

rum regum parricidio perpetrata sunt, à duobus impijs, nefandis, sceleratis parricidis facinora, nec ipsi videamus, nec posteri videant. Verumtamen quid Canoni Toletano ad excommunicationis sententiam, ab ipso summo Pontifice Gregorio, imò à tribus summis Pontificibus, non in vna, sed pluribus Synodis, causa cognita, post tot, tãtasque monitiones in perfidum Henricum Imperatorem, prolatam? Num quod de priuato cuiusque iudicio in Canone cautum, ad publicum iudicium iure poteris detorquere? Omitto futilem Henrico Spondano viro eruditissimo irrogatam à Simone calumniam, cùm in Apologia ab eo conscripta, his sibi obiectis, dilucidè satis, perdoctéque satisfecerit.

Hẽric. Spondan. Apolog. pag. 10. 11. & 12.

Obiectio.

Longè ab ipsis Nouatoribus cõtraria docet Augustinus in can. Imperatores. 11. *quæst.* 3. *Idem Ambrosius can.* Iulianus. *ead. quæst. quæ confundunt quæcumque dici possunt de Rege hæretico, apostata, aut administratione tyranno.* pag. 84.

Responsio.

Itane? Vide quæso ne plùs nimium Nouatoribus istis quos sugillas, hos citando Canones, tribuens, debiliorem vtique causam tuam reddas. Mihi non credis? Agedum ergo integrum perscrutemur Canonem, videamusque vtrum ex eo subditi regi hæretico, vel apostatæ fidelitatem seruare, vel obedire teneantur. *Imperatores*, inquit Canon, è S. Augustino depromptus, *si in errore essent (quod absit) pro errore suo contra veritatem leges darent,*

Can. Imperatores. 11. quæst. 3. ex S. August. epist. 166.

per quas iusti, & probarentur, & coronarentur, non faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohiberet: Sicut iusserat Nabugdonosor, vt aurea statua adoraretur, quod qui facere noluerunt, Deo talia prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipsa contra errorem iubent. Quod quisquis contempserit, ipse sibi iudicum acquirit. Et infrà. *Iulianus extitit infidelis Imperator: Milites Christiani seruierunt infideli Imperatori: vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in cælo erat. Quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, præponebāt illi Deum. Quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem; statim obtemperabant.* Huc spectat & Canon præcedens. *Qui resistit,* inquit, *potestati, Dei ordinationi resistit. Sed quid si illud iubeat, quod non debeas facere? Hic sanè contemne potestatem, timendo potestatem. Ipsos humanarum legum gradus aduertite. Si aliquid iusserit Curator, nonne faciendum est? Tamen si contra Proconsul iubeat, non vtique contemnis potestatem, sed eligis maiori seruire, nec hinc debet minor irasci, si maior prælata est. Rursus si aliquid ipse Proconsul iubeat, & aliud iubeat Imperator, nunquid dubitatur illo contempto, illi esse seruiendum? Ergo si aliud Imperator, & aliud Deus, quid iudicatis?* Ex his ergo varios esse personarum gradus, quibus obedientia debetur, atque tempus esse obediendi, & tempus non obediendi, tempus in fidelitate perseuerandi, & tempus à fidelitate recedendi comperimus. Quid enim aliud est non obedire, nisi à fidelitatis obsequio aliàs debito se subtrahere? Hinc Canon, *si is qui præest,* qui est 101. eadē quæst. *Si is qui præest,* inquit, *fecerit, aut cuiquam quod à Domino prohibitum est facere iusserit, vel quod præceptum*

Can. Qui resistit. 11. quæst. 3. ex S. Augustin. serm. 6. de verb. Dñi.

Can. Si is qui præst. ibid.

est præterierit, aut præterire mandauerit, sancti Pauli Apostoli sententia ei ingerenda est, dicentis. Etiamsi nos, aut Angelus de cælo euangelizauerit vobis, præterquam quod vobis euangelizauimus, anathema sit. Et infrà. *Si quis prohibet vobis quod à Domino præceptum est, vel rursus imperat fieri, quod Dominus prohibet, execrabilis sit omnibus qui diligunt Deum.* Quòd si exteipso, & ex citatis à te Canonibus, cuique priuato, habito priuatæ salutis respectu, in casibus ibidem positis, obedientiam, fidelitatemque iure debitam denegare licitum, quidni pro communi bono, vniuersitati? Quòd ad Canonem autem *Iulianus*, priori simile: Ad glossam ibi positam te reuoco, quæ cùm Canonem *Nos sanctorum*, 15. quæst. 6. tanquam isti contrarium (eò quòd ibi dicatur, quòd si Dominus est nominatim excommunicatus, vel hæreticus, statim vassallus eius absolutus est à sacramento) obiecisset, ita respondet. *Iulianus*, inquit, *adhuc tolerabatur ab Ecclesia, ne suscitaret scandalum aduersus Christianos. Hoc autem verum est, quia excommunicatio non tollit obligationem, qua est vassallus obligatus Domino, sed tantum effectum obligationis: vnde Domino absoluto statim ei tenetur obedire.*

Ibid. ex cap. 14. S. Basilij de Instit. Monachor.

can. Iulianus 11. quæst. 3.

Gloss. in can. Iulianus. super verbo. obediebant.

OBIECTIO.

Hunc locum Ambrosij, ad confirmandam potestatem & auctoritatẽ Regis Apostatæ, vt fortissimum adducit D. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 2. cui opponit duntaxat Gregorij 7. cõstitutionem dicto can. Nos sanctorum. *Cæteræ rationes D. Thomæ sunt puræ euasiones à petitione principij, quo pro certissimo asserit, quod maximè est controuer-*

pag. 84.

sum & solummodo decretis Gregorij 7. nititur.

RESPONSIO.

Hunc equidem S. Ambrosij locum S. Thomas profert, sed vt refuret. Nec solum contrariæ assertioni prædictam Gregorij 7. constitutionem, sed & firmissimum rationis è iure diuino, & humano & sacra scriptura petitæ, propugnaculum opponit. Euasionem puram, si libeat, Simon vocitet, illius tamen soliditatem bene sensatus homo cogetur admittere. Illum ergo differentem audiamus. *Infidelitas*, inquit ille, *secundùm seipsam non repugnat Dominio, eò quòd Dominium introductũ est de iure gentium, quod est ius humanum. Distinctio autem fidelium, aut infidelium est secundùm ius diuinum, per quod non tollitur ius humanum. Sed aliquis per infidelitatem peccans potest sententialiter ius dominij amittere, sicut etiam quandoque per alias culpas. Ad Ecclesiam autem non pertinet punire infidelitatẽ in illis, qui nunquã fidem susceperunt, secũdùm illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. Quid mihi de his qui foris sunt iudicare? Sed infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt potest sententialiter, punire, & conuenienter in hoc puniuntur, quod subditis fidelibus dominari non possunt. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem, quia vt dictum est, homo Apostata prauo corde machinatur malum, & iurgia seminat, intendens homines separare à fide.* Hucusque S. Thomas. Vtinam Angelico doctori Simon catheg oricè respondisset, euasionemque illius, si quæ sit, feliciùs euadendo repressisset.

S. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 2.

OBIECTIO.

pag. 85. *Bonifacij 8. præceps in vindictam animus, in*

iura, quæ Rex habet in Clericos inuasit, cùm Rex necessitatibus regni postulantibus, subsidia clericis sine consensu Pontificis imperasset, can. Clericis *ē. de immunitate Eccles. in 6.*

RESPONSIO.

Si Bonifacij in Regem Philippum vindicta, ex eo tantùm dignoscitur, quod per hunc Canonem vetuerit ne subsidia à Clericis exigerentur absque consensu Romani Pontificis, idem prorsus & de Clemente 5. (quem tamen eidem Regi addictissimum nemo est qui nesciat) erit dicendum. Nam in cap. vnico de immunitat. Ecclesiar. in Clement. hæc habet. *Volentes*, inquit, *& firmiter statuentes illud (contra quoscumque laicos exigentes seu extorquentes ab Ecclesijs Ecclesiasticisque personis tallias, seu collectas, aut exactiones quascumque & contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium, vel fauorem, necnon & circa præstandas subuentiones laicis ab Ecclesiarum prælatis, ac alijs viris Ecclesiasticis) inuiolabiliter obseruari, quod super his à prædecessoribus nostris in Lateranensibus & generali comitijs salubriter est prouisum.* Per prædecessores autem, vt ibi notat glossa, intelligit Alexandrum 3. & Innocentium 3. quorum Alexander vt refertur cap. *Non minus* ē. de immunitat. Eccles. laicis onera Ecclesiis imponere sub anathematis districtione inhibuit. *Nisi Episcopus*, inquit, *& Clerus tantam necessitatem, vel vtilitatem aspexerint; vt absque vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Innocentius autem cap. *Aduersus*, eodem tit. Cle-

cap. Vnico ē. de immunitatib. Eccles. in Clement.

Gloss. ibidē in verb. Prædecessorib'.

cap. Non minus ē. de immunitat. Eccles. iar.

ricos noluit neceſſitatibus, ſeu vtilitatibus ciuitatum, ſeu aliorum locorum, etiam vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubuenire, niſi priùs Romanus Pontifex conſuleretur. *Aduerſus*, inquit, *Conſules & Rectores ciuitatum, vel alios, qui Eccleſias, & Eccleſiaſticos viros taillijs, ſeu collectis, & exactionibus alijs aggrauare nituntur, volens immunitati Eccleſiaſticæ Lateranenſe Concilium prouidere, præſumptionem huiuſmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit, tranſgreſſores & fautores eorum excommunicationi ſubiacere præcepit, donec ſatisfactionem impleuerint competentem. Verùm ſi quando Epiſcopus cum Clericis tantam neceſſitatem, vel vtilitatem perſpexerit, vt abſque vlla coactione ad releuandas vtilitates, vel neceſſitates communes, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia duxerit per Eccleſias conferenda, prædicti laici humiliter, ac deuotè recipiant eum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs conſulatur, cuius intereſt communibus vtilitatibus prouidere.* Quod ſi nec Romanos Pontifices, vt pote ſibi ſuſpectos, audire velit Simon, audiat ſaltem Feraldum, quem paulò infra tanquam idoneum teſtem in ſui fauorē adducet. Licèt enim in quarti Regum Franciæ priuilegij titulo poſuiſſet, Regem Franciæ ſub nomine mutui, doni, aut charitatiui poſſe ſubſidia Eccleſiaſticis viris, ſeu Eccleſijs pro defenſione regni imponere, in fine tamen hæc addit. *Bonifacius illud ius extendit pro redemptione perſonarum Regis, Reginæ, & filiorum & licèt quidam doctores, vt narrat Panormitan. dicto cap. non minus voluerint, hoc poſſe fieri iure communi, fauore reipublicæ, & patriæ (quia quilibet tenetur patriam ſuam defendere)*

cap. aduerſus ē. eod. tit.

Ferald. lib. de iur. & priuileg. Reg. Franc. in 4. priuileg.

defendere) alij tamen doctores multis rationibus fulciti contrarium sanxerunt. Ideo bonum finit super hoc declarationem sedis Apostolicæ habere, nec culpandi sunt qui tale negotium prosecuti fuerunt, quia bonarum mentium est timere, vbi culpa non est.

OBIECTIO.

Hoc decretum licèt inseruerit in corpus Canonum Bonifacius, reuocauit bullis datis 2. Calend. Augusti anno 3. quæ apud Feraldum lib. de iurib. & priuileg. Reg. Franciæ leguntur, eaque reuocatione certum est non sensisse omnes decretales Pontificum esse infallibiles. pag. 85.

RESPONSIO.

Quid si Bonifacium per posteriorem bullam, nec priorem reuocasse probauero, numquid posthac decretales Pontificum infallibiles esse censebis? Vidisti equidem apud Feraldum Bullã illam Bonifacij, sed non legisti quæ ad marginem sub stellulæ asteriſco Carolus Molinæus ibidem annotauit. *Tenor Bullæ*, inquit, *sed fictæ, sed suppositæ, tum quia nulli Bonifacio ante Bonifacium 8. & multo minus post eum adaptari potest. Bonifacius autem 8. erat acerrimus hostis Regis Philippi & regni. Tum quia hic fit mentio de anno 13. Pontificatus Bonifacij, sed dictus Philippus sedulo prohibuit eum implere nonum annum Pontificatus: Captus enim Papa, Romamque perductus ibi miserrimè periit.* Molinæum ergo cum Feraldo conciliet Simon, antequam contrà Pontificum decretales sententiam ferat. Carol. Molinæ. in annotat. marg. ad Ferald. in 4. priuileg.

OBIECTIO.

Collationes Regaliorum ab omni memoria ho- pag. 85.

minum in Gallijs vsitatas turbauit Bonifacius.

RESPONSIO.

Qui de Regaliorum iure scripsêre, non ita illud ab omni hominũ memoria seiunctum dicunt, vt Simon asserit. Ac Arnulphus quidem Ruzæus vir doctissimus ex Guillielmo Benedicti Thole-sano præside refert, successisse illud in locum inuestituræ Præsulum, quam *retroactis annis*, inquit, *Adrianus Pontifex maximus regibus contulerat can. Adrianus 63. distinct.* quod vix crederem posse subsistere, cùm & eiusdem Canonis fides admodum dubia & suspecta (vt quæ nullo veterum, præterquam vnius Sigeberti testimonio nitatur) nullam vim, auctoritatemque apud doctos tribuere possit. Vnde alia eorumdem Regaliorum origo ab eodem Ruzæo producta magis mihi arridet, ratione nempe dotationis. *Si enim*, inquit, *inferiores ratione fundationis, aut dotationis habent ius præsentandi, à fortiori principes superiores, qui maiora contulerunt, debent in remunerationem habere ampliorem prærogatiuam, vt nempe conferãt pleno iure.* Idque probat ex capit. *dilectus*, quod est Honorij 3. summi Pontificis, ẽ. *de præbend.* in quo decanus Andegauensis ex donatione Regis, præbendarum eiusdem Ecclesiæ collationem habuisse memoratur. Et ex Ioanne Parisiensi dicente, quod Regi superexcellenti debetur in remunerationem maior honor, scilicet collationum beneficiorum, quia licèt iura spiritualia non cadant in Laicum, tamen iura spiritualia largo modo, ratione annexionis, vel antecedentis possunt cadere in Laicum. Rationemque diuersitatis inter principes & inferio-

Arnulphus Ruzæus in 1. part. præfat. tract. de iur. Regal. numer. 4.

Idem ibid. num. 6. & 7.

res reddens, addit, quòd inferiores præsentant duntaxat, quia non habent peritiam discernendi capacem à minus idoneo, & ideo traduntur præsentati examinandi Episcopo diœcesano, vt conferat. Secus in Principibus, qui habent omnem peritiam in scrinio pectoris. Confirmatum autem hoc ius Franciæ regibus asserit à Clemente 4. Gregorio 9. & Vrbano 4. Itidemque in Concilio Lugdunensi tempore Gregorij 10. & in Concilio Basileensi. Feraldus quoque se vidisse testatur Bullam Innocentij 3. pro Episcopatu Abrincensi, Clementis 4. pro præbendis & dignitatibus Rhemensis Ecclesiæ & Gregorij pro Ecclesia Senonensi. Idem ibid. numer. 8. & seqq.

Obiectio.

Bonifacius tanquam mundi Dominus, non tanquam prælatus, rescripsit Regi de consilio fratrum Cardinalium, Regem & regnum in temporalibus subesse summo Pontifici, & aliter sentire esse hæreticum. pag. 12.

Responsio.

Vt quid veritati fucum ingeris? Vbinam gentium in literis à Bonifacio, non iam summi Pontificis ex Cathedra decernentis, sed priuati duntaxat hominis animum nimia passione obnubilatum habentis, personam gerente, ad Philippum Regem missis, inuenies, quod eam de consilio fratrum Cardinaliũ rescripserit? Nihil minùs. Hæc enim tantùm in eis (si verè tamen Bonifacij sint & non potius in eius odium suppositæ, vt Paulus Æmilius non vana coniectura asseruit) scripta re- Paul. Æmil. hist. Frãc. li. 8. in Philipp. Pulchro.

periuntur. *Deum time & mandata eius obserua. Scire te volumus, quòd in spiritualibus & temporalibus, nobis subes.* Et post pauca vbi nullà prorsus nec consilij, nec fratrum Cardinalium fit mentio, *aliud autem credentes hæreticos putamus. Datum Laterani nonis Decemb. Pontificatus nostri anno septimo.*

Acta inter Bonifac. & Philipp. Pulchrũ pag. 11.

OBIECTIO.

pag. 86. *Regem ipsum excõmunicauit, atque etiam regno priuauit, illudque Alberto Imperatori dono dedit.*

RESPONSIO.

Qui temporum illorum historiam texuêre, de excõmunicatione quidem consentiunt, de regni autẽ in Alberti fauorem facta donatione, prorsus reticent, etsi dicant eumdẽ Albertum à Bonifacio incitatum, sicut & Flandrenses, vt è Germania & Flandria bello Franciæ Regem adoritentur. Ioannes Villanus Italicus scriptor in actis inter Bonifacium & Philippũ citatus Italicè sic habet. *Dopo la detta discordia medesima nata tra Papa Bonifatio è il re Philippo di Francia, ciascuno di loro procaccio d'abbatere l'vno l'altro per ogni via, è modo che potesse: il Papa da grauare il Re di Francia di scommunichè & altri processi per priuarlo del reame & con questo fauorana i fiaminghi suoi rebelli & tenea trattato con loro, Alberto d'Alamagna studiaua che passasse à Roma per la diuotione Imperiale & per fare leuare il regno à Carlo consorte del re di Francia, & al re di Francia fare muouere guerra à confini del suo reame dalla parte d'Alamagna.*

Ioann. Villa. l. 8. hist. c. 63. in actis inter Bonifac. & Philipp. fol. 153.

Idem quoque testatur S. Antoninus. *Bonifacius,* inquit, *vtroque gladio vtebatur, excommunicationes,*

S. Anton. 3. part. hist. tit. 20. c. 8. §. 20.

& alios processus terribiles contra regem fulminans, Albertum confirmatum in regem Romanorum ad sumendam coronam Imperij sollicitans, vt postea ex illa parte Alemaniæ, quæ Franciam respicit, bellum contra regem moueret, & Flandrensibus inimicis regis faueret.

OBIECTIO.

Postremò ad illam priuationem & donationem confirmandam decretum scripsit quo Reges Romano Pōtifici subesse definiuit Extrauag. vnā sanctam *de maiorit. & obedient. Quam extrauagantem velut fide Catholica amplexandā idem Bonifacius nobis vēditat. Aut igitur statuendum, Bonifaciū maximopere errasse, aut Reges nostros esse vassallos & ministros Romani Pontificis, itaut ad eius nutum gladium distringere, aut recondere debeant, & nisi id præstent, posse ab illo deponi.* pag. 86.

RESPONSIO.

Nec Bonifacius errauit, nec Reges Franciæ vassalli sunt Romani Pontificis. Vnde tibi quæso ista conclusio? Extrauagantem allegas, vbi nec de Rege, nec de regno Franciæ quidquam habetur. Quid pro regni iuribus te ita sollicitum exhibes, quæ Bonifacius per eam nec euellere, nec abrogare præsumpsit? Illic certè trepidasti timore, vbi non erat timor. Si verba attendis, quid nocent? Si mentem consideras, quid præiudicat? Sufficit illi malitia sua. Sepoñantur odia, non memorentur dissidia inter Bonifacium & Philippum Regem olim exorta, quid Bonifacius extrauagum in extrauagante dixit, quod antea viri sanctissimi

è Francia quoque oriundi non asseruerint? Tria sunt, ni fallor, quæ tibi extra te vaganti stomachum in extrauagante mouent, & quod definitum Romano Pontifici omnem subijci creaturã, & quod assertum vtrumque gladium Petro concessum, & quod declaratum terrenam potestatem à spirituali non quidem deponi (vt malè infers) sed iudicari. Quid de primo dubitas, cùm Petro dictum à Christo generaliter non ignores, *Pasce oues meas*? Num & ipsi Reges de ouibus Christi sunt? Quod si de ouibus, vtique & de vnico illo ouili, cuius vnicus debet esse pastor, summus inquam, & supremus, sicut vnum caput non multiplex vnico corpori congruit. Mihi non credis? Audi S. Bernardum Francum doctorem. *Habent*, inquit, *alij sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi* (Petro) *vniuersi crediti, vni vnus, nec modo ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Cui non Episcoporum dico, sed & Apostolorum sic absolutè & indiscretè tota cõmissæ sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas, Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? oues meas, inquit, Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes: Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.* Quòd autem districtum Petri gladium, quasi Malchus esses, reformidas, ex eiusdem S. Bernardi depromptum officina, quod à Bonifacio dicitur, velim non ignores. Auscultа ergo illum ita summum affantem Pontificem Eugenium. *Dracones*, inquit, *me mones pascere, & scorpiones, non oues. Propter hoc, inquam, magis aggredere eos, sed verbo, nõ ferro. Quid tu denuo vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? Quem tamen qui tuum negat, non sa-*

Ioann. 21.

S. Bernardus lib. 2. de Cõsiderat.

Idẽ lib. 4. de Considerat.

tis mihi videtur attendere verbum Domini; dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, & si non tua manu euaginadus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret, & is dicentibus Apostolis, ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus; Satis est, sed, minus est: Vterque ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum sacerdotis, & iussum Imperatoris. De iudicio vero spiritualis potestatis anne dubitas? Attende Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, post S. Gelasium, de Rege, seu Imperatore, quem alloquitur, talia præsumentem. *Nosti*, inquit, *fili clementissime, quod licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine, potius quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.* Attende & Hugonem de S. Victore Germanum quidem natione, sed Galliæ nostræ alumnum, ijsdem planè verbis, quibus Bonifacius vsus est, eadem asserentem. *Spiritualis*, inquit, *potestas terrenam iudicat, ipsa verò à Deo solo instituta est, & cum deuiat à solo Deo iudicari potest.* Quidni? Cùm & Carolus Caluus Rex vtique Franciæ & Imperator, eadem in sua aduersus Vuenilonem proclamatione, professus fuerit. *A qua*, inquit, *consecratione, vel regni sublimitate supplãtari, vel proïci à nullo debueram, saltem sine audientia & iudicio Episcoporum, quorum ministerio in Regem sum consecratus, & qui throni Dei*

Hincmar. epist. 6. c. 34.

Hugo de S. Victore part. 2. de Sacrament.

In proclamat. Caroli Calui cap. 3.

sunt dicti, in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit iudicia, quorum paternis correptionibus & castigatorijs iudicijs, me subdere fui paratus, & in præsenti sum subditus. Et hæc quidem de Episcopis dicta. De summo verò Pontifice quid sentiat, audi illum Ioannem 8. sic compellentem in Epistola ad eum scripta. *Necessarium,* inquit, *duximus pandere sanctissimæ vestræ paternitati, & summæ auctoritati, quatenus ab huius sanctæ sedis auctoritate nostra sana, vt credimus, intelligentia confirmetur, à qua fidei & religionis sumpsit exordium, & quotidie gratias Deo sumit augmentum. Et si quid malè in agro dominico pullulat, decreti vestri falce recidatur. Si etiam quorumcumque negligentia, vel præsumptione à præstitutis regulis est discessum, vestræ auctoritatis industria sit reformatum.* Et de seruandis summorum Pontificum statutis agens. *Quanta,* inquit, *Vicarijs beatissimi Petri iudicabitur esse reuerentia, si quæ in Sacerdotio præcipiunt, ea ijsdem transeuntibus dissoluantur. Hæc igitur seruemus nostris temporibus tanto gratius, quanto Ecclesiæ & Imperio erit capacius,* &c. Quin & cùm accusaretur idem Carolus, ad Hadrianum antea scripserat. *Iubete,* inquit, *& iudicate priuilegio magni Petri, iuxta æquitatis eius iudicium, quæ iubenda & iudicanda sunt, ne, vt dicit eius Coapostolus, vituperetur ministerium vestrum, quæ & nos secundum regium ministerium nostrum, quantum ex nobis est cupimus seruare, quod scriptum est, filij obedite parentibus vestris in Domino.* Et post pauca. *Pro vestri honore priuilegij vobis dicimus, quia vobis sicut reuera Vicario B. Petri Apostolorum Principis, in omnibus debitè, ac competenter obedire desideramus.* Cuius submissionis hoc & Hincmarus testimonium ad eundem Hadrianum

Habetur inter epist. Hincmari cap. 3.

Ibid. cap. 25.

Carolus Calnus in epist. ad Hadrianū edit. Cordes. pag. 562.

Ibidem pag. 564.

scribens, perhibuit. *Ipse Rex*, inquit, *se Catholicũ, & in pace Ecclesiastica manere & permanere velle demonstrat, & secũdum Leges & Canones præsens in iudicio, aut ad obiecta respondere, aut obiectis consimei se non refugere dicit.* Adde quod & Hugo Capetus alter etiã Franciæ Rex, in Epistola ad Ioannẽ 15. summũ Pontif. scripta, se idem credere ingenuè profitetur. *Hoc*, inquit, *ex integro affectu dicimus, vt intelligatis & cognoscatis, nos & nostros vestra nolle declinare iudicia.* Vt quid ergo sic aduersus Bonifacium, quasi errauerit, oblatras? Cùm si animo benè pacato, nec tetra passionis caligine occæcato, exponatur, nihil nisi quod ab omnibus etiam Francis probabatur, definisse reperiatur. Hinc que factum existimauerim, quòd Clemens 5. eiusdem Bonifacij successor, à Philippo rogatus, non quidem Extrauagantem abrogauerit, aut irritam esse decreuerit, sed duntaxat malignæ quorumdam interpretationi (quæ simultates inter summum Pontificem, Regemque Franciæ fouere poterat) remedium adhibens, ita pronuntiauerit. *Hinc est*, inquit, *quod nos regi & regno Franciæ per definitionem, & declarationem beatæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui prædecessoris nostri, quæ incipit, Vnam sanctam, nullum volumus, vel intendimus præiudicium generari, nec quod per illam Rex, regnũ, & regnicolæ, amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quàm antea existebant: sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem prafatam, tam quantùm ad Ecclesiam, quàm etiam ad Regem, regnum, & regnicolas superius nominatos.* Inanem ergo pone metum, nec zelo minùs discreto accẽsus, zelotypiam posthac in nostrorũ regum animis aduersus sum-

Hincmar. in epist. ad Hadrianũ edit. Cordes. pag. 576.

Hugo Capet. in epist. ad Ioann. 15. apud Baron. anno 994. numero 2. & Masson. l. 3. Annal. Frãc.

Cap. Meruit. de priuileg. extrauag. in communib.

Gelas. tom. de vincul. anathemat.

mum Pontificem ingerere velis. *Memor nãque Christus fragilitatis humanæ* (vt S. Gelasij verbis vtar) *quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus intercipi, vt & Christiani reges pro aterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum, imperialibus dispositionibus vterẽtur, quatenus spiritalis actio à carnalibus distaret incursibus, & ideo militans Deo minimè se negotijs secularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus diuinis præsidere videretur, qui esset negotijs secularibus implicatus, vt modestia vtriusque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque suffultus, & competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur.*

Obiectio.

pag. 89.

Quid hîc dicere opus est post promulgatam à Clemente V. extrauagantem Meruit, Ioannẽ 22. Clementis successorem in extrauagantib. Communibus nulla mentione facta Clementinæ, idem asserere cum Bonifacio, nimirum. Super gentes & regna Pontificem Romanum à Deo constitutum, hanc potestatem à Deo non ab homine recepisse.

Responsio.

Dic sodes, quam religionem profiteris? Si Catholicam dixeris, an dubitas vniuersitatis fideliũ curam per Petrum summo Pontifici à Christo cõmissam? Num S. Ambrosium legisti asserentem Christum trina interrogatione Petro commendasse primo ἀρνία agnos, secundò προβάτια ouicu-

S. Ambros. in cap. vlt. Luc.

las, tertiò πρόβατα oues, vt intelligeremus omnes omnino, qui in Ecclesia sunt, fideles, Petri curæ commendatos? Nec verò S. Ambrosij tantùm, sed & communis est omnium veterum sententia, cui nullus nisi hæreticus refragari potest. *Cùm*, inquit S. Chrysostomus, *magna dominus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset.* S. Chrysost. in 21. c. Ioan.

Et alibi. *Ieremiam*, inquit, *vni genti pater, Petrum autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.* Idē Homil. 11. in Matth.

Theophylactus. *Finito prandio præfecturam ouium totius mundi Petro Christus commendabat, non autem alij, sed huic tradidit.* Theophyl. in cap. 21. Ioan.

S. Cyrillus Alexandrinus. *Sicut Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, dux ex Israël egrediens super omnem principatum & potestatem, super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur: Sic & Petro, eiusque successoribus plenissimè commisit & nulli alij quàm Petro Christus, quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit.* S. Cyrill. Alexandr. in thesaur. apud S. Thomā in Opusc. cōtra Græcor.

Hugo Etherianus. *Ex ipsa*, inquit, *rei euidentia liquidò apparet, quod Petrum eiusque successorem Christus principem & caput non modo Latinorum & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuersi, verùm etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum & totius Orientis & Meridiani climatis in perpetuum constituit.* Hugo Etherian. lib. 3. de Processu Spiritus sancti cap. 17.

S. quoque Bernardus Galliæ nostræ decus. *Petrus*, inquit, *instar domini gradientis super aquas vnicum se Christi vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, siquidem aquæ multæ, populi multi. Quid istud? Nempe signum singularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quisque suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum; mare enim sæculum est, naues Ecclesiæ.* S. Bernard. lib. 2. de consideratione.

Et alibi ad Eugenium scribens. *Locus*, inquit, *in quo stas ter-* Idem epist. 237.

ra sancta est, locus Petri est, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius: Locus illius est, quem constituit dominus dominum domus suæ & principem omnis possessionis suæ. Quod si à Christo, vtique à Deo, cùm Christus sit Deus, non autem ab homine, hanc Petrus eiusque successor Ioannes 22. potestatem accepit.

OBIECTIO.

pag. 85. *Quæ Extrauagans præcipuè regnum Galliæ pungit.*

RESPONSIO.

Genebrard. l. 4. Chronolog. in Ioanne 22. Quis credat Ioannem 22. (auctore Genebrardo, Franciæ Cancellarium, antequam Pontifex fieret: Ludouici Hutini Francorum Regis opera ad summum Pontificatum euectum: Auenioni, quæ vrbs Galliæ est, sedentem, quique vt ex Paulo Æmilio constat, Philippo Longo etiã Franciæ Regi petenti ius decimæ, ad sacram militiam, à sacerdotibus exigendæ, concesserat) in Regis, regnique Galliæ præiudicium quidquam decernere voluisse? Cùm præsertim non paruum ei negotium tunc temporis intercederet, cum Ludouico Bauaro Imperatore, quem anathemate percusserat. Vnde ergo coniectura tibi est, quod per Extrauagantem suam regnũ Galliæ pungere voluerit Ioannes Pontifex, cùm nec de eo mentio ibi fiat, nec aliquis vmquam ex Pontificijs legatis toto illo rempore, quo Pontificatum ille tenuit, repulsam in Gallia à Galliæ regibus passus fuerit, vnde decretum huiusmodi promulgare necessitate compulsus fuerit.

Paul. Æmil. hist. Franc. lib. 8. in Philipp. Longo.

OBIECTIO.

Irenæus lib. 5. Cuius iussu homines nascuntur, huius iussu & reges. pag. 91.

RESPONSIO.

Quid amplius? *Huius iussu*, addit S. Irenæus, *& reges constituuntur, apti his qui in illo tempore ab ipsis regnantur.* Quorsum ista? Vt S. Irenæus diabolum in eo mendacij conuinceret, quod Christo dixerat ostendens ei omnia regna mundi, *hæc omnia mihi tradita sunt, & cui volo do ea*, pluribus differit reges à Deo, non autem à diabolo constitui. *Non enim*, inquit ille, *diabolus determinauit huius sæculi regna, sed Deus.* Et infra. *Ad vtilitatem ergo gentilium terrenum regnum positum est à Deo, sed non à diabolo.* Quid ergo? Anne Bonifacius reges à diabolo constitutos aliquando asseruit, vt ad eum arguendum istud S. Irenæi testimonium contra eũ proferre opus fuerit? Licèt enim Bonifacius vnum principium duntaxat esse, non autem duo Manichæorum instar dixerit, vt falsò ei imponis, non tamen ad huius mundi, sed ad ipsius tantùm Ecclesiæ constituendæ, de qua paulò antè disseruerat, statum respexit: In qua equidem non esse nisi vnum caput visibile nemo est, nisi hæreticus, qui contradicat. *De toto mundo*, inquit S. Leo, *vnus eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regit Petrus quos principaliter regit & Christus*, vel vt S. Hieronymus. *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

S. Irenæ. lib. 5. aduers. hæres. cap. 24.

Luc. 4.

S. Irenæus ibidem.

S. Leo serm. 3. de assumpt. sua ad Pontificat.

S. Hieron. l. 1. aduers. Iouinian.

OBIECTIO.

pag. 91. *Tertulianus ad Scapulam.* Colimus Imperatorem sic & quomodo nobis licèt & expedit, vt hominem à Deo secundum, & quidquid est, à Deo consecutum.

RESPONSIO.

Ad quid verò hæc Tertulianus intimauit? Audi quæso. *Circa maiestatem,* inquit ille ibidem, *Imperatoris infamamur, tamen numquam Albiniani, nec Nigriani, nec Cassiani inuenirí potuerũt Christiani. Christianus nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens à Deo constitui, necesse est vt & ipsum diligat, & veneretur, & honoret, & saluum velit cum toto Imperio Romano, quousque sæculum stabit, tandiu enim stabit.* Quia ergo Christiani tanquam læsæ Majestatis rei apud Imperatores à Paganis infamabantur, Tertulianus vt crimen auerteret, Christianos & Imperatores colere & pro ijs etiam apud Deum preces fundere protestatus est, nec tantùm hoc, vel illo tempore, sed *quousque*, inquit, *sæculum stabit, tandiu enim stabit.* Quare hoc? Quia nempe veteribus illis Christianis ex textu Epistolæ D. Pauli 2. Thessal. 2. ad Thessalonicenses, vbi de discessione Paulus loquitur, talis innata erat de Antichristo opinio, vt eum non venturum ante ruinam & dissolutionem Imperij Romani arbitrarentur, & propterea Deum pro Romano Imperio orare consueuerãt, in cuius incolumitate stam quodammodo esse Ecclesiæ stabilitatem, quę per Antichristum concutienda erat, sentiebant. *Est & alia* (inquit alibi idem Tertulianus) *maior necessitas nobis orandi pro*

Tertull. in lib. ad Scapulam sub initium.

Tertull. in Apologet. aduerſ. gẽtes.

Imperatoribus, etiam pro omni statu Imperij, rebusque Romanis, quod vim maximam vniuerso orbi imminentem, ipsamque clausuram seculi, acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperij commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati fauemus. Hinc ergo existimarem Tertulianum in citato textu, de Imperatoris cultu loquentem hæc vsurpasse verba. *Colimus Imperatorem sic & quomodo nobis licet & expedit*, eodem planè sensu quo & clariùs alio in loco dixit. *Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum & potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis*, quasi Romani Imperij integer status, ante aduentum Antichristi vtique destruendus, obstaret, quominus ille veniret. Sic enim eundem D. Pauli locum exponens in libro de resurrectione carnis vbi Apostolus ait, *qui nunc tenet teneat, donec de medio fiat. Quis*, inquit, *nisi Romanus status, cuius abscessio in decem Reges dispersa Antichristum superducet.* Quòd verò in citato textu idem auctor Imperatorem à Deo secundum dicat, ne mireris. Cùm enim ad Ethnicum præsidem scriberet, qui nullam aliam potestatem præter temporalem Imperatoris nouerat, aliam ei subinferre, vel præponere, spiritualem nempe, seu Ecclesiasticam, tanquam Deo proximiorem, non par erat: Ideoque de temporali tantùm, non autem de spirituali verba fecit, spiritualis locum temporali tribuens, vt pagano intellectui spiritualis potestatis ignaro, scriptum suum accommodaret: Nisi malueris secundū dici, respectu, scilicet, regiminis tēporalis. Adde etiam, quod antea cum restringente clausula præmiserat.

Ibidem aliquantò pòst.

2. Thessal. 2.

Tertull. in lib. de resurrect. carnis.

Colimus Imperatorem, sic, inquit, *& quomodo nobis licet, & expedit*, vt non omnimodum cultum, sed eum tãtùm quem Christiana eis religio (quæ spiritualem potestatem, tanquam potiorem agnoscebat) permitteret, à Christianis ei exhiberi profiteretur.

OBIECTIO.

pag. 91. *Optatus Mileuitanus lib.* 3. Nullus est super Imperatorem nisi solus Deus.

RESPONSIO.

Non ita absolutè Optatus loquitur, vt asseris. Ad germanum eius textum te reuoco, vbi licèt dicat super Imperatorẽ non esse nisi solũ Deum, nullum tamen esse super Imperatorem nisi solum Deum, aliquem speciatim excludendo, non asseuerat. At quid discriminis est, dices fortè, inter vtramque propositionem? Multùm per omnem modum. In prima namque, etsi rerum, personarumque vniuersitas excluſa deprehendatur. In secunda tamen cum illa vniuersitate specialis etiã quędam indiuidua persona excluſa dignoscitur. Per primam generalia; per secundã verò & cum generalibus quędam specialia excluduntur: Per primam in vniuersalibus excluſio terminatur: per alteram verò & cum vniuersalibus quoddam particulare secluditur: Ideoque quod de vna dicitur, nec de altera dici conuenit. Libet verò integrum Optati textum proferre. *Miserat*, inquit, *Constans ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. Cur ergo insanijt? cur iratus est? cur quod missum fuerat repudianit?* Et post pauca.

S. Optat. Mileuit. lib. 3. aduers. Parmenia.

Quid

Quid de leuitate & furore laborauit tantis pauperibus impedire? Carthagini se principatum tenuisse crediderat, & cùm super Imperatorem non sit nisi solus Deus, qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, iam quasi hominum excesserat metas, vt se vt Deum, non vt hominem æstimaret, non verendo eum qui post Deum ab hominibus timebatur. Vides ergo non fideliter, vt decebat, citatum à Simone Optati textum. Quidquid sit tamen, absoluta licèt concederetur propositio, cùm de temporali tantùm Imperatoris regimine Optatus loquatur, nihil est quod spirituali summi Pontificis præfecturę super vniuersum Christi ouile præiudicet.

OBIECTIO.

Gelasius ad Anastasium Imperatorem, Duo sunt quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas. pag. 91.

RESPONSIO.

Rectè equidem: Rectiùs tamen si vltrà progressus fuisses, ipsamque periodum terminasses. Noluisti fortè, ne veritati manus dare compulsus, palinodiam canere ipsa veritas coëgisset: Mihi verò cui simplex admodum placet veritas, gratum certè erit, illud ad finem vsque perducere, quod à limine tantùm salutasti. *Duo sunt*, inquit Gelasius, *quibus mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum & regalis potestas, in quibus tantò grauius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum, in diuino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim fili clementissime, quòd licèt præsidias generi humano digni-* Gelas. lib. 1. epist. 4. ad Anastas. Imperat. can. Duo sunt. 96. distinct.

tate, rerum tamen præsulibus diuinarum, deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis cœlestibus sacramentis, eisque vt competit disponendis, subdi te debere cognoscis, religionis ordine potius, quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Talibus igitur institutis, talibusque fulti auctoritatibus, plerique Pontificum alij Reges, alij Imperatores excommunicauerunt: Nam si speciale aliquid de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius Papa Arcadium Imperatorem (quia consensit, vt S. Ioannes Chrysostomus è sua sede pelleretur) excommunicauit, &c. Quid plura? Ibidem quoque idem Gelasius, ex Hincmari relatione, testatur, *obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare.* Nũquid planè hæc sufficiunt ad verè dignoscendam ipsius Gelasij mentem?

Hincmar. epist. 6. c. 33.

OBIECTIO.

pag. 91. *Ioannes Papa can.* Si Imperator 96. *distinct.* Habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est.

RESPONSIO.

Vt quid mediam tibi viam in isto Canone citando elegisti? an quia scriptum est, *medium tenuêre beati?* Quinimmò, beatiorem te omnibus prædicassem, si vel principio, vel fini huiusce Canonis inhæsisses. Vis ea scire quæ forsitan non legisti? Integrum Canonem accipe. *Si Imperator, Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ, quod ad re-*

Can. Si Imperator. 96. distinct.

ligionem competit, discere ei conuenit, non docere. Habet priuilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis diuinitus consecutus est, vt eius beneficiis non ingratus, contra dispositionem celestis ordinis nil usurpet. Ad sacerdotes enim Deus voluit quæ Ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus (nota) *voluit esse subiectas.* Et post pauca. *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas Ecclesiasticis præsulibus, non præferre.* Idem in fi.

OBIECTIO.

In libello monachorum Apameæ, lecto in quinta Synodo Oecumenica, Qui *(Imperator)* est post Deum vniuersi orbis dominus. pag. 91.

RESPONSIO.

Quis quæso Simonem bonum Francum (ita enim hoc infelici sęculo vocitantur, qui Romano Pontifici quàm maximè sunt infensi) dixerit, qui, vt detrahat summo Pontifici, Imperatorem post Deum vniuersi orbis dominum constituere non veretur? Nunquid vnquam Guilielmum Benedicti Præsidem Tholosanum legisti asserentē, *Ipsum quidem Imperatorem totius esse orbis dominum, excepto tamen regno Francorum, quod tanquam verum alodium ei non subest, sed soli Regi.* Quid præterea tuus Feraldus? Nonne *primum Liliorum ius altum & præcipuum coronæ Franciæ*, esse dixit quod *regnum, non est feudum, vel si feudum debet dici, quod nullum est, ita francum, sicut regnum Franciæ, quia nullam fidelitatem debet, quod est signum libertatis magnæ: nam omnis fidelitas est libertati contraria.* Et infra. *Imperator*, inquit,

Guiliel. Bened. in cap. Rainutius E. de testamēt. in verb. vxorem nomine Adaleſiam numer. 309. Ferald. lib. de iur. & priuileg. Reg. Franc. in 1. priuileg.

in regno Franciæ non habet territorium, seu districtum, & nos Francos nunquam potuit neque potest tenere, & sic extra territorium impunè ei non paretur. Vt quid ergo eum vniuersi orbis Dominum, absque vlla prorsus limitatione ita audacter asseris? Quòd si Imperator nec vniuersi orbis dominus, respectu Franciæ, quæ ad eum nullo modo spectat, dici potest, quomodo poterit, respectu totius Ecclesiæ, cuius gubernacula non alij, quàm Petro, eiusque successoribus Christus commisit? Adde quod & Imperator orbis dominus propter temporale dominiũ, quod obtinet, eodem iure vocari potest, quo & Rex noster dominus Franciæ, propter idem temporale dominium, nuncupatur.

OBIECTIO.

pag. 91. *Iustinianus nouella 6. quomodo oporteat Episc.* Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei, à suprema collata clementia, Sacerdotium & Imperium, & illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex vno eodemque principio vtraque procedentia humanam exornant vitam.

RESPONSIO.

Hoc tam verum est, quàm contrarium asserere falsum. Quid inde? *Licèt enim,* vt ait Glossa, *à populo Romano videatur esse Imperium, vt institut. de iure natural. §. sed & quod principi, vbi, lege, inquit, regia, quæ de Imperio eius lata est, populus ei, & in eum omne Imperium suum & potestatẽ contulit: tamen,* addit eadem

Gloss. in nouell. 6. tit. quomodo oport. Episc.

Glossa, *illud Dei dispositione factum fuit, sine quo factum est nihil.*

OBIECTIO.

Gregorius Turonensis lib. 5. cap. 18. Ad hæc ego *(Gregorius)* si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis, si autem nolueris, quis te cõdemnabit, nisi is qui se pronuntiauit esse iustitiam? pag. 91.

RESPONSIO.

Nunquid ergo ex hoc Gregorij textu potestatem Regibus esse in Episcopos animaduertendi, quandocumque voluerint, concludes? Quantò meliùs Constantinus Imperator, qui in Nicæna Synodo Episcoporũ accusationes audire noluit? Certum est enim, vt ex Gelasio refert Hincmarus Rhemensis Episcopus. *Non inueniri vnquam de Pontificibus nisi Ecclesiam iudicasse, & non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam absque Ecclesiæ principaliter constitutis Pontificibus, obsequi etiam solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem, Episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus iudicare. Et in lege Valentiniani, Theodosij, & Arcadij* (addit idem Hincmarus) *decretum est de Episcopis. Habent*, inquiunt illi, *iudices suos, nec quicquam his publicis commune cum legibus; Quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi.* Quidni de Episcopis, cùm & Ruffin. lib. 1. hist. Eccles. cap. 2. Hincmar. epist. 2. cap. 33. Hincmar. ibid. cap. 34.

ſos Clericos lex Honorij & Theodoſij, non niſi apud Epiſcopos accuſari decreuerit? Quid quod Carolus Caluus Imperator, & Rex Franciæ in Synodo Tullenſi non ſe Epiſcoporum iudicem, ſed Epiſcoporum potiùs ſe iudicio ſubiectum palàm profeſſus eſt? *Epiſcopi*, inquit, *throni Dei ſunt dicti, in quibus Deus ſedet, & per quos ſua decernit iudicia, quorum paternis correptionibus, & caſtigatorijs iudicijs me ſubdere fui paratus, & in præſenti ſum ſubditus.* Quòd autem à Gregorio refertur dictum Chilperico, non tam regi, quàm tyranno, iniuſtè Prætextatum eximiæ ſanctitatis Epiſcopum perſequenti, cùm de abſoluta, ſeu tyrannica potiùs poteſtate loquatur, quam de facto reges habere poſſunt quãdocumque voluerint, ad cogendos, iniuſtè etiam aliquando, particulares homines, & quam particulares homines non habent ad cogendos reges, quid inde elici poteſt, quod Eccleſiaſticę poteſtati præiudicium ferat? Vbi enim violẽtia dominatur, nec iuſtitiæ, nec iuri locus eſſe poteſt. Ideò autem hac dicendi libertate vſus eſt Gregorius, vt Chilperico, tyrannicè ab eo cõſenſum in eiuſdem Prętextati innocentis condemnationem, iuſtitiæ velo palliatam, extorquere volenti oſtẽderet, ſi cuncta ei ex ſententia non ſuccederent, nec iuſtitia ab eo expetita redderetur, hoc non ipſis iudicibus in Synodo congregatis, ſed cauſæ minùs iuſtæ aſcribendum: Cùm fieri non poſſit, vt aliquis regi iuſta petenti iuſtitiam facere nolit, cùm Rex abſoluta poteſtate ſua poſſit eũ cogere, vt iuſtitiam faciat: Sicut & è cõtrario fieri poteſt, vt Rex alicui, iuſta petenti iuſtitiam facere nolit, cùm nemo poſſit

In proclamat. Caroli Calui cap. 3.

eum cogere, vt iustitiam faciat, & ita diuinum tunc super hoc expectandum esse iudicium. Dixerat enim eidē Gregorio antea Chilpericus. *O Episcope iustitiam cunctis largiri debes, & ecce ego à te iustitiam non accipio, sed vt video consentis iniquitati.* Et post pauca vt minis eum ad consentiendū adduceret, addit: *Cum omnibus inueni iustitiam, & tecū inuenire non possum, sed scio quid faciam, vt noteris in populis, & iniustum te esse omnibus perpatescat.* Quod ergo respondit Gregorius, eò tantùm spectat, vt regis tyrannicam aduersus Prætextatum persecutionem notet, non vt ei quidquam iuris in cuiuscumque Episcopi condemnatione tribuat. Alioquin vt quid Episcoporum Synodum pro Prętextati condemnatione Chilpericus congregasset, si hoc sibi iure competere existimasset? vel cur, audita eiusdem Prætextati cōfessione, coram pedibus Sacerdotum prostratus, vt idem testatur Gregorius, in hæc verba erupisset, vt ab eis condemnationem eliceret? *Audite, ô pijssimi Sacerdotes, reum crimen execrabile confitentem*; si non eosdem Episcopos legitimos Prætextati iudices reputasset? Gregor. Turonens. lib. 5. hist. Franc. cap. 15. Idem ibid. Idem paulò pòst.

OBIECTIO.

Carolus Caluus Rex Galliæ & Imperator Germaniæ ad Adrianum Papam. Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum vicedomini hactenus fuimus computati. Et vt Leo ac Romana Synodus scripsit, Reges & Imperatores, quos terris diuina prouidentia præcepit præesse, ius distinguendorum negotiorum Epispag. 92.

copis sanctis, iuxta diualia constituta permiserunt, non autem Episcoporum villici extiterunt. Et S. Augustinus dicit: Per iura Regum possidentur possessiones, non autem per Episcopale Imperium Reges villici fiunt: Et Dominus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo reddi præcipit, qui etiam censum reddidit.

RESPONSIO.

Mirum certè, quomodo tam citò mutatus Caroli Calui animus fuerit, quem tantopere non Apostolicam tantùm sedem, sed & omnes Episcopos hucusque coluisse cognouimus. Testor Epistolam ab eo ad Nicolaum Hadriani prædecessorem scriptam, vbi: *Deuotio*, inquit, *nostra erga sanctã sedem Apostolicam, omniumque Ecclesiarum matrem, atque magistram & erga sancti Apostolatus vestri honorem in istis Cisalpinis regionibus longè latèque, gratias Deo cognoscitur.* Testor & quoad Episcopos, proclamationis querimoniam ab eo coram Episcopis in Synodo Tullensi factam, in qua se eisdem subditum, vt paulò ante vidimus, ingenuè profitetur. Quòd si Regis animum quibusdam Epistolæ Hadriani verbis offensum, quis dicat: Cur non ergo & Nicolai literis, in quibus non dissimilia prorsus verba legebantur, olim offensus fuerat? *Tanquam deuoto filio* (dixerat Nicolaus) *præcipiendo fideliter mãdamus, vt dictũ Rothaldum vestro adiutum solatio ad nos vsque misericorditer dirigatis.* Hadrianus verò, *Volumus*, inquit, *& authoritate Apostolica iubemus, ipsum Hincmarum Laudunensem Episcopum*

Baron. ad annum 863. numer. 56.

Proclamat. Caroli Calui cap. 3.

Nicol. epist. 30. tom. 3. epist. Pontif. Roman. Baron. ad annum 871. numer. 96. Baron. ibid. numer. 95.

vestra fretum potentia ad limina sanctorum, nostrámque venire clementiam. Par quippe erat causa: Rothaldus enim & Hincmarus Laudunensis sedem Apostolicam appellauerant, eadem Papæ iussio, eidem Regi facta, vt curaret vtrumque Episcopum Romam mitti ad dicendam causam. Ad quid ergo de posteriore magis, quàm de priore iussione Carolus irritatur, cùm ab eadem sede Apostolica, diuersis licet Pontificibus, vtraque emanarit? Nunquid satiùs multò illi fuisset, prudentissimo sui Aui, Caroli, inquam, magni consilio aurem libenter accommodare, quàm adulatorum verbis deceptum in verba furoris erumpere? Esto: austerior nimiùm fortasse fuerit in præcipiendo Hadrianus; Audi nihilominus quid super hoc consulat Imperator ille magnus. *In memoriam*, inquit, *beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est & dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum* (nota) *ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Hinc ergo videas, in quod barathrum, semel conceptũ aduersus Hincmarum Laudunensem Episcopum (Caroli opera in Synodo Duziacensi depositum, eò quòd pro litteris Apostolicis agens, nullo modo excommunicationi ab Hincmaro Rhemensi Episcopo contra Carolomaunũ Caroli filium, quem pater persequebatur, latæ, consentire voluisset) odium, eundem Carolum Regem præcipitem dederit, vt filiationis, quam in ipso Epistolæ principio professus fuerat, oblitus,

Concil. Triburiens. can. 30. distinct. 19. can. 3.

in patrem insurgeret, eidemque plura improperaret, quæ in eiusdem Hadriani Epistolis numquam lecta fuerant. Ac vt de multis pauca proferam, vbi-nam quæso Hadrianus Carolum, alioſque Reges Episcoporum vicedominos, aut villicos appellauit? Quin potius videre erat Hadrianum, eũdem Carolum in Epistola ad eum scripta maximopere extollentem. *Proculdubio*, inquit, *donum sapientiæ diligimus in te diuinitus collatum. Prædicatur enim de te, longè lateque diffunditur, quòd sis sapiens & Dominum timens. Narratur etiam quòd sis iustus, quod congruit Regiæ potestati. Annunciatur etiam à pluribus probis, quòd sis amator, exaltator & illustrator specialis in orbe terrarum & maximè Ecclesiarum Dei, itaut nullus sit Episcopatus, nullum Monasterium in regno tuo, quod non auxeris rebus proprijs, & restitueris suis perplurimum, optareſque feruenter & desiderares hanc principis Apostolorum primam sedem exaltare, honorare, multisque muneribus Vicarium eius, & Clerum sibi commissum ditare & ab omnibus hostibus, prout posse & tempus dictauerit, defensare.* Et hæc quidem, paulò antè quam Epistola illa, de qua præsens est sermo, à Carolo mitteretur. Ea vero recepta, tãtùm abest vt Hadrianus excãduerit, vt potius aliam humanitatis, ac humilitatis plenissimam ad eum direxerit Epistolam, vbi de correptione priùs ab eo facta, & de Regis reprehensione agens. *Quia*, inquit, *literis vestris Apostolicæ correptionis apices membratim retexendo aduersus paternitatem nostram quoddam indebitæ reprehẽsionis murmur, & tumultuosorum nobis clamorem misistis, nec sanè Pontificij nostri monita & correptiones audisse comperimus, liquidò patet vos adhuc*

Baron. ad annum 871. numer. 77.

Baron. ibid. numer. 98.

perfectæ aliquid charitatis minùs duntaxat habere. De illa enim dicit Apostolus Charitas patiens est, benigna est, non inflatur, non irritatur, &c. Et post pauca. *Ideo magis omnipotenti Domino immensas gratias agere, nobisque deinde paternæ laudis gratanter debetis præbere obsequium, & non reprehensionis vel murmurationis mordicæ verba dirigere: Nam nos nullius zelo liuoris, nullius subdolæ calliditatis dolo, vel etiam fauore alicuius transitoriæ laudis clarissimam vestræ nobilitatis & magnitudinis prudentiam & dilectionem modò affabiliter mouere, modò autem pro Regiæ potestatis gloria vobis quoties necessaria temporis res, vel proximi deposcit necessitas humilis precator assistere, aliquando vero verbis seueritibus fidentes corripere, vt Christi gratia in melius semper proficiatis, studemus.* Ibidem.

OBIECTIO.

Regna enim à Deo stabilita docet Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 1. non à Pontificis auctoritate. pag. 92.

RESPONSIO.

Quis nisi paganus fati assertor, aut Atheus, non regna tantùm, sed nec aliud quidpiã in hoc mundo, absque diuina prouidentia, fieri vnquam, aut stabiliri negabit? Istudque est quod S. Augustinus aduersus gentiles Philosophos fusè in citato loco disputat, causam nempe Romani Imperij, omniumque regnorum, nec fortuitam esse, nec in stellarum positione consistere, sed à Dei voluntate, qui ad beneplacitum cuncta disponit, emanare. Ideoque cùm dixisset. *Causa ergo magnitudinis Imperij Romani nec fortuita est, nec fatalis, secundùm eorum sententiam, siue opinionem, qui ea dicunt* S. August. lib. 5. de Ciuitat. Dei c. 1. in princip.

esse fortuita, quæ vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes, & ea fatalia, quæ præter Dei & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingunt. Postea subiungit. *Prorsus diuina prouidentia regna constituuntur humana.* De Pontificis autem auctoritate, nullum nec negatiuum, nec affirmatiuum habet verbum idem doctor: nec etiã instituti illius ratio patiebatur, vt quidquam ibi super hoc definiret.

Ibidem.

OBIECTIO.

pag. 92. *Regna transferuntur de gente in gentem Dei solius nutu, Ecclesiastici cap.* 10.

RESPONSIO.

Quid ergo? Non sufficiebat ex proprio cerebro Augustinianæ sententiæ aliquid addidisse, nisi etiam ipsam sacram scripturam noua additione corrumperes? Vbi quæso hæc verba (*Dei solius nutu*) reperies, quæ sacræ scripturæ loco nobis venditas? Sic enim se habet germanus Ecclesiastici textus. *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias & diuersos dolos.* Nihil præterea.

Eccles. 10.

OBIECTIO.

pag. 92. *Deus solus est Rex & Princeps Regum, Apoc.* 1. *Per Deum Reges regnant, non per Papam, Prouerb.* 8.

RESPONSIO.

Quid in citandis veterum sententijs non audebit Simon, quando in ipsa citanda diuina scriptura tantumdem impingit, dum contra Dei præceptum, quo ei aliquid addere cauetur, agens, illi

Apocal. 22. Deuter. 4.

ad libitum ex suo impunè addit? Sic enim absque vlla exclusiua particula habetur Apocal. 1. *Gratia vobis & pax à Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum & princeps Regum terræ.* Quod ad textum autem ex Prouerbijs desumptum, ita se habet. *Per me Reges regnant & legum conditores iusta decernunt.* Quæ sunt non Dei simpliciter, seu sapientiæ increatæ, sed sapientię etiam creatæ (si Lyrano credimus) verba, quam Salomon omnibus loquentem, eosque ad sapientiæ studium exhortantem introducit, vt & ex ipsius capitis initio patet, vbi hæc leguntur? *Nunquid non sapientia clamitat & prudentia dat vocem suam, dicens ô viri ad vos clamito & vox mea ad filios hominum.* Et post pauca. *Ego sapientia habito in consilio & eruditis interfum cogitationibus: meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant & legum conditores iusta decernunt.* Quibus verbis præcipui ipsius sapientiæ ab hominibus acquisitę effectus exhibentur. Ita enim Lyranus. *Per me*, inquit, *Reges regnant id est iustè regnant.* Et S. Hieronymus. *Reges dicit Apostolos; siue alios sanctos, qui & seipsos primum, & deinde Ecclesiam sibi subditam bene regere sciunt, qui vtique non nisi per sapientiam, vt essent aliquid, habent.* Et ideo ex hoc loco, non tam potestas regibus à Deo data, quàm sapientia regibus necessaria, vt ficut oportet, regnent, meritò colligitur.

Apocal. 1.

Prouerb. 8.

Lyran. in c. 8. Prouerb.

Prouerb. 8. in princip.

Ibidem.

Lyran. in c. 8. Prouerb.

S. Hieron. in Prouerb. cap. 8.

OBIECTIO.

A Deo solo Reges puniuntur 3. Reg. cap. 14. non à Pontifice. pag. 92.

RESPONSIO.

Vt quid rursus sacrę paginæ imponis, excludentem particulã inserens, quæ in ipso textu non reperitur? Licèt enim in citato capite habeatur, quomodo Ahias Propheta ab vxore Ieroboam
3. Reg. 14. super filio Abia ægrotante interrogatus, filium moriturum & domum Ieroboam penitus euertendam prędixerit, non tamen quòd à Deo solo Reges puniantur, textus habet. Quod equidem à Deo Reges puniantur, exemplum Ieroboam ibi positum manifestat, quod autem à Deo solo puniantur, nullatenus in sacro textu legitur.

OBIECTIO.

pag. 32. *Deo soli dicere non licitum est, Cur ita facis? licet subuerterit gẽtem quam creauit, Sapient.* 12. *non Pontifici, quidquid dicant adulatores. can.* si Papa 40. *dist. cum gloss. in extrauag.* 1. *ne sede vac.*

RESPONSIO.

Nisi equidem te vxoratum nossem, hominumque consortia, cùm de aleis præsertim agitur, quęrentem, monachum vtique te (cui *solus* vox tantopere cordi est, vt inter modicum quatuor linearum spatium quater repetere & in sacræ scripturę textum, non absque pręuaricatione, inserere, non erubueris) reputassem. Quid ergo? An non quia dicis Deo soli non licitum, mihi quoque non licebit tibi dicere, cur ita facis? cur sacram scripturam ad libitum peruertis? cur ei ex tuo cerebro noua superaddis? *Deo soli*, inquis, *dicere non est licitum, cur ita facis? licet subuerterit gentem, quam crea-*

uit: Hæc tua scriptura, quam tamen loco sacrę tu nobis exhibes. Ita namque sacer ipse textus habet. *Quis enim dicet tibi, quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis tibi imputabit, ſi perierint nationes quas tu feciſti?* Vbinam quæſo particula illa (*ſoli*) limitans & excludens? Vbinam Deo aſcripta gentium ſubuerſio? Non enim ſacer textus habet ſi ſubuerterit nationes, ſed ſi perierint nationes, cauſam vtique perditionis nationū non Deo, vt vult textus Simonis, ſed illis ipſis aſcribens. Denique nouæ ſcripturæ, nouus interpres dum accedit. *Non Pontifici*, inquit, *quidquid dicant adultores canonis, gloſſæq; auctores.* Ergo-ne adulator S. ille Bonifacius Epiſcopus & martyr Moguntinus, qui Pipinum in Francorum Regem conſecrauit iſtius Canonis auctor? Quando *Romanū Pontificem cunctos iudicaturum, à nemine iudicandum niſi deprehendatur à fide deuius*, edixit? Ergone adulatorū fuco inquinabitur Cōcilium Sinueſſanum, in quo dicūt Patres quod *prima ſedes à nemine iudicatur*? Concilium Romanum 280. Epiſcoporum ſub S. Silueſtro ſummo Pontifice, vbi Canone vltimo. *Neque*, inquit, *ab Auguſto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo iudicabitur prima ſedes.* Et Concilium aliud Romanum plurium Epiſcoporum à Carolo Magno in cauſa Leonis 3. ſummi Pontificis congregatum, in quo *Epiſcopi*, inquit Paulus Æmilius, *magis ſacroſanctæ poteſtatis, quàm Regiæ majeſtatis memores, conſentienti ore reclamauêre, ſummum, optimúmque Regem eſſe Carolum, ſed cui non tandem de Pontifice maximo iudicium facere, fas eſſet. Suſciperet Leo in gremium cauſam ſuam, quique in cæteros clauium ius haberet, de*

Sapient. 12.

can. Si Papa. 40. diſtinct.

S. Anton. 1. part. hiſt. tit. 7. c. 8. §. 16.

Concil. Roman. ſub Syl. ueſt. can. vlt.

Paul. Æmil. hiſt. Franc. in Carolo Magno.

se quoque ipse incorruptè iudicaret, solo numine, vel teste conscientiæ, vel vindice. Ergone adulator Ennodius Diaconus, qui ingenuè testatur, quod *aliorum hominũ causas Deus voluit per homines terminari sed sedis Romanæ præsulum suo sine quæstione reseruauit arbitrio.* Ergone adulator Hugo de S. Victore, dum ait: *Spiritualis potestas iudicat terrenam, ipsa verò à Deo primùm instituta est, & cùm deuiat à solo Deo iudicari potest.* Quòd si ad glossam me reuocas, quæ quidem non in extrauag. *ne sede vacante*, vt ais, sed in præcedente, quæ est *de concess. præbend.* reperitur, dic sodes quænam verior, tua, inquam, an illa? Vetus est adagiũ, *quæque Simia catulos suos & miratur, & amplectitur*, sat tibi sit ea, quam miraris, & amplecteris, nobis autem alia iucundior erit, cùm nihil habeat quod calumniari possit. *Licèt*, inquit, *inferiores Prælati iura vnius Ecclesiæ in aliam sine certa solemnitate transferre non possint: Papa tamen gaudet plenitudine potestatis, & hoc facere potest, nec est qui audeat dicere: Domine, cur ita facis? Cum in his quæ sunt de iure positiuo, possit pro libito super his dispensare.*

Ennod Diacon. apud Isidor. post 4. Synod. Roman. sub Symmacho.

Hugo de S. Victore part. 2. de Sacrament.

Gloss. in extrauag. de cõcess. Præb.

OBIECTIO.

Quòd verò Decretum Innocentij 3. in Concilio Lateranensi obtendunt, si vis & auctoritas Concilij, atque Pontificis ad temporalia se extenderet, responderi posset, hoc Decretum factum non esse Synodicè, allatis & discussis vtrimque rationibus, quod erat necessarium in re tanti momenti, quæ ad statum & vitam regum pertinet.

pag. 94.

RESPONSIO.

Quis porrò genius tibi suggessit Decretũ istud, quo

quo de agitur, non esse Synodicè in Concilio Lateranensi factum? In Concilio, inquam, illo non vniuersali tantùm, sed & vniuersalissimo omnium, quæ vnquam in tota Europa celebrata fuerunt, celeberrimo, in quo *Ex quatuor orbis terrarum nobilissimis Patriarchis*, inquit Paulus Æmilius, *duo interfuêre Byzantiorum, Ierosolymitanorum. Antiochensis excusatione morbi vsus, Sacerdotes sanctos viros Legatos misit, & Alexandrinus ab Ægyptijs vetitus ipse proficisci, è suis oratores misit: Quadringenti Episcopi, septuaginta Archiepiscopi, Monachorum sacri Patres vndecim: Primores sacrorum cœnobiorum octingenti consedêre: Nescio an omnis memoriæ celeberrimum fuerit Concilium.* Quid plura? *Oratores*, addit ille, *Cæsaris Latinorum Fœderici, simul Oratores Græcorum Augusti, ac Legati Regum omnium, Principumq; nominis nostri.* Vnde ergo hęc nosti? Vnde didicisti? quis sæculi illius scriptor hęc asseruit? Quis euulgauit? Anne tam parui momenti hæc tibi res videtur, vt eam, te solo auctore, absque alia cautione, audeas affirmare? Si patronus exploditur, qui sine lege loquitur, quid de Iurisconsulto, ne dicam Regis consiliario, antiquitatis studiosissimo (vt sibi videtur) qui tanti ponderis decretum in corpus Canonum iampridem insertum, sine auctore non veretur impugnare? Dic age, quî fieri potest, vt in tantorum Patrum consessu tam graue decretum, non priùs allatis & discussis vtrimque rationibus sanciri potuerit? Cur de hoc potiùs, quàm de sexaginta nouem alijs in eodem Concilio constitutis, subdubitas? Si de vno, cur non de alijs quæstio erit? Quòd si minùs in hoc adhibitam fuisse cõsuetam in tan-

Paul. Æmil. lib. 6. in vita Philipp. Aug.

Concil. Later. cap. 3. ẽ. de hæret. cap. excommunicamus, §. moneãtur.

ciendis decretis solemnitatem asseras, cur non & idem de alijs asserere liberum erit? Cùm nihil in alijs sit, quod potiore nos ratione ad ea credenda, seruandaque obliget. Et si omnium fides est dubia, ad quid ergo amplissimus ille Parisiēsis Senatus tempore Ludouici vndecimi Francorum Regis, huiusce Concilij decretis innixus, pro electionibus iuxta regulas in eo præscriptas ordinandis, apud eumdem Regem, referente Bochello, perorauit? Vel si de hoc eodem decreto, quod tu calumniaris, quæstio vertitur, vnde quæso Comitatus Tholosanus Raïmundo ereptus, & Simoni Montisfortis Comiti adiudicatus, vt beneficiarij titulo, fidelitatis iureiurando Regi Franciæ obstrictus, eum teneret? Numquid ex eiusdem decreti promulgatione ab omnibus recepta, omniumque calculis cōprobata? *Tholosatum Comitatus ius*, inquit Paulus Æmilius, *Raïmundo Comiti abrogatum Cōcilio Lateranensi, quod habuit Innocentius.* Et post pauca. *Vniuersi Concilij decreto ius Comitatus Tholosatum Simoni dono datum est, ob recentem memoriam meritorum. Is ad Regem Francum profectus, eius Comitatus nomine se beneficiarium professus, se ei iureiurando fidelitatis sanctissimè obstrinxit.* Facessant ergo futiles prorsus, atque inanes Simonis rationes coniecturis suis tantummodo fultæ, tantique Concilij à Rege Franciæ approbati, ab Augustissimo Senatu vindicati, ab omnibus denique vniuersi orbis incolis maximo cum applausu excepti, decretis, per quàm fideliter inhæreamus.

Bochell. l. 4. decret. Eccles. Gallic.

Paul. Æmil. lib. 6. in Philippo Aug.

OBIECTIO.

pag. 96. *Benè est quod Christus in medio eorum se futu-*

rum dixit, qui in eius nomine congregati essent, non vt de rebus temporalibus agerēt.

RESPONSIO.

Quare ergo Christus antequam hæc verba proferret, generaliter dixit: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis est.* An non sub omnis rei nomine, & temporalia intelliguntur? Qui dicit totum, nihil excipit: Nunquid pro spiritualibus tantùm in nomine Christi congregari possumus? Vacent ergo illa opera misericordiæ, quæ corporalia vocantur: Nunquam enim, si credamus Simoni, ad ea exercēda duorum, vel trium cōgregatio licita erit: Vel si licita, Christus saltem in medio eorum non erit, quia, inquit Simon, ibi de temporalibus agitur. Vbi scriptum? Attende igitur, quod Christus se in medio eorum futurum prædixit, non qui de temporalibus, vel spiritualibus agerent, sed qui in nomine eius congregarentur, spiritualia, vel etiam temporalia, non tamen simpliciter, sed quatenus ad spiritualia bona consequenda conducerent, petituri, aut de ijsdem etiam acturi, seu deliberaturi. Ideoq; licet in Concilio Lateranensi etiam de temporalibus, quatenus tamē ad spiritualem cuiusque salutem, vel ad vniuersalis Ecclesiæ commune bonum, communemq; vtilitatem spectabant, actum fuerit, quia in nomine Christi, id est, vt ait Oecumenius, *propter Christum*, vel vt sanctus Hilarius, *pari spiritu, ac voluntate*, tanti patres collecti erant, in medio eorum Christum fuisse iure meritoque credendum est.

Matthæ. 18.

Oecumen. in Matth. c. 18. S. Hilar. Cōmēt. in Matthæ. can. 18.

OBIECTIO.

pag. 90. *Ad Cathedram & forum Ecclesiasticum spectat tantùm soluere homines à peccatis, aut eosdem propter peccata ligare. Et Hieronymus in cap. 16. Matthæi ad hunc locum,* Et tibi dabo claues, *&c.* Istum locum, *inquit*, Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. *Ad cathedram igitur & forum Ecclesiasticum spectat vt peccatores soluantur spiritualiter, aut ligentur, non autem vt à sacramento fidelitatis absoluantur subditi.*

RESPONSIO.

Ad Cathedram & forum Ecclesiasticum, cuius summus, supremusque principatus cum potestatis plenitudine Petro commissus est, spectat, non ea tantùm exhibere, quę sunt ad communem vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem necessaria, sed & remouere ac eradicare, quæ eidem nocere posse dignoscuntur. Cùm enim ipsa sponsa, quæ est Ecclesia, horto concluso reperiatur assimilata, vbi semper aliquid aut plantandum, aut euellendum occurrit, congruum æquè fuit, vt diuina prouidentia (quæ à fine vsque ad finem fortiter attingit, suauiterque omnia disponit) Ecclesiam suam, seu potius electum ab eo supremum Ecclesiæ hor-

tulanum, ad id exequendum salutaribus adiuuaret remedijs, ne aut bonę sementis radix humore deficiente aresceret, aut zizania luxuriantia ipsum hortum depopularentur. Ideoque clauis à Christo, ipsam Cathedram stabiliente, assumpta similitudo (quæ non aperiendo tantùm thesauro pro subleuanda indigentium inopia, sed & illi, ad arcendos latrones, ne ab ijs diripiatur, recludendo, maximè est necessaria) vt supremam illius, cui ipsam committebat, declaratet potestatem. Ita namque in Isaiæ vaticinio electum olim à Deo Heliachim filium Helciæ in Pontificem, loco Sobnæ, supremamque eidem collatam à Deo potestatem, per eandem clauis dationem, legimus. *In die illa*, inquit, *vocabo seruum meum Heliachim filium Helciæ & induam illum tunica tua & cingulo tuo confortabo eum, & potestatem tuam dabo in manu eius. Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius, & aperiet & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiat.* Quin & summ° Christi principatus per eiusdem clauis similitudinem noscitur designatus, sic enim in Apocalypsi legitur. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clauem Dauid, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Cùm igitur idē Christus se clauem Petro daturum promiserit, quis non eamdem illam fuisse, quam ipse in sacro textu habere perhibetur, negare audebit? hinc S. Cyrillus. *Sicut*, inquit, *Christus accepit à Patre sceptrum Ecclesiæ gentium dux ex Israël, egrediens super omnem principatum & potestatem super omne quodcumque est, vt ei cuncta curuentur, sic & Petro & eius successoribus plenissimè commisit & nulli alij quam Pe-*

Isai. 22.

Apocal. 3.

S. Cyrill. Alexandr. in thesaur. apud S. Thomā in Opusc. contra Græcos.

tro, Christus quod suum est plenum, sed ipsi soli dedit. Et S. Leo ex persona Christi Petrum alloquẽtis. *Cùm ego*, inquit, *sim inuiolabilis petra, ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, vt quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia.* Vt quid ergo Simon supremam hanc Petri potestatem, ad spiritualem solam peccatorum solutionem, aut ligationem (quæ ei cum alijs Ecclesiæ Episcopis communis est) restingere conatur? Numquid Petro, *cui* secundùm S. Epiphanium *credebatur ouile:* qui secundùm S. Chrysostomum, *vniuerso terrarum orbi præponebatur*, qui secundùm S. Augustinum, *Magister omnium disponebatur: Sicut enim*, inquit, *in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur, quem constituit caput eorum, vt pastor esset gregis dominici:* Nunquid, inquam, Petro tot priuilegijs exornato, par est credere aliud nihil quàm cæteris non dico Apostolis, sed & Episcopis, prærogatum? Quòd ad citatum autem spectat S. Hieronymi locum, vtinam Simon non in media hæsisset sententia, vlteriùs namque progrediendo, necessariam obiectioni solutionem inuenisset. Sanctus quippe Hieronymus non de Cathedræ Petri potestate ibi loquitur, sed quorumdam tantùm Episcoporum, seu Presbyterorum sugillat arrogantiã ex mera ignorantia prouenientẽ, qui innocentes in conscientiæ foro condemnantes, vel noxios absoluentes se aliquid apud Deum agere arbitrabantur, cùm tamen, *apud Deum*, inquit, *non sententia sacerdotis,*

S. Leo serm. 3 de assumpt. sua ad Põtif.

S. Epiph. in Ancorat.
S. Chrysost. in Ioan c. 21.
S. August. quæst veter. & noui Test. quæst. 73.

sed reorum vita quæratur. Proinde aliud nihil Euangelico sacerdoti pro officio suo incumbere ait, quàm vt instar Mosaici, qui lepram à lepra discernere habebat, peccatorum audiens in eodem conscientiæ foro varietates, sciat qui ligandus sit, quive soluendus. Sed præstat ipsum audire S. Hieronymum, vbi enim dixit. *Apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæritur,* hęc addit, *Legimus in Leuitico de leprosis, vbi iubentur vt ostendant se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc à sacerdote immundi fiant, non quò sacerdotes leprosos faciant & immũdos, sed quò habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus, quive immũdus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum, vel immũdum facit: sic & hic alligat, vel soluit Episcopus, & presbyter non eos qui insontes sunt, vel noxij: sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, sciat qui ligandus sit, qui soluẽdus.* Malè ergo citatur iste S. Hieronymi locus, qui non de potestate sacerdoti ad ligandum, vel soluendum concessa, loquitur, sed tantùm de discretione sacerdori necessaria, vt absque culpa sua bene ligare, vel soluere, secundùm sibi datam à Deo potestatem, possit. S. Hieron. in Matth. c. 16.

OBIECTIO.

Audi Cyprianum de Baptismo Christi: Scribæ & Pharisæi in Cathedra Moysi sedendes, dum agunt, quæ ad Cathedram pertinent, per omnia plenitudine potestatis vtuntur, & officium, non vita tantis effectibus honoratur. At è contra cùm agunt, quæ ad Cathedram non pertinent, nullo pag. 96.

modo eis obtemperandum.

RESPONSIO.

Eraſm. in annotat. ad S. Cyprian. tom. 2.

Ex Eraſmo conſtat iſtum ſermonem falsò S. Cypriano aſcribi. Quidquid ſit tamen, qua fronte vtique non erubeſcēte potuit Simon ſua ipſius verba pro auctoris, quem citabat, verbis nobis ſupponere? Nuſquam enim apud Anonymum illum authorem legitur, quod tanquam germanus eius fœtus ab eo ita nobis obtenditur. *At è contra*, inquit Simon, *cùm agunt quæ ad Cathedram non pertinent, nullo modo eis obtemperandum.* Hęc enim verba prorſus ſuppoſititia eſſe, his, qui eumdem authorem inter opera D. Cypriani inſertum legere voluerint, clarè patebit. Quo iure autem alia eiuſdem auctoris verba protulerit, ipſe viderit, cùm nihil in eis reperiatur, quod vel tantillum plenitudini poteſtatis Cathedræ Petri collatæ officiat. Quinimmò quæ de Cathedra Moyſis ibidē dicta leguntur, cùm veritas nobilior multò ſit vmbra, rectiùs equidem, potiorique titulo Cathedræ D. Petri aſcribi poſſunt, quòd nempe ſummi Pontifices in ea ſedentes cùm agunt, quæ adipſius Cathedræ Petri authoritatem pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis vruntur: Vnde planè colligendum nullo pacto licitum eſſe eorum mandatis, aut aduerſari, aut refragari, cùm ex plenitudine poteſtatis, quam habent, ipſa prodeant, nec etiam dicere, Cur ita facis? quod tamen paulò ante Simon arguit.

OBIECTIO.

pag. 97. *Auguſtinus* 18. *in Ioannem.* Sedendo Ca-

thedram Moysi legem Dei docent. Ergo Deus per illos docet. Sua vero si velint docere, nolite audire, nolite facere. *Et glossa interlinearis*, ad Cathedram pertinentia facite.

Responsio.

Sanctus Augustinus in toto illo tractatu 18. in Ioānem nihil prorsus de Cathedra Moysis loquitur. Alibi vero etsi plura ab eo de illa dicta repererim, nusquam tamen citatum textum inuenire potui. Sit ita nihilominus: Hæc sanctus dixerit Augustinus, quid nostræ præiudicant assertioni? Ingenuè namque fatemur Scribas & Phariſæos, qui super Cathedram Moysis sedebant, legem Dei per se, Deum autem per illos suam legem docuisse. Nec enim aliter Christus ea facienda, quæ ijdē Scribæ & Phariſæi dixissent, docuisset. Imò vt ex eodem S. Augustino patet, illa Moysis Cathedra tanta virtute prædita erat, *vt eos cogeret*, inquit ille, *bona dicere, etiam non bona facientes.* Quod autem in citato textu additur, non audienda, nec facienda ea quæ super Cathedrum Moysis sedentes tanquam sua docere vellent, non mirandùm. Cùm enim Cathedra illa potestatem docendi secundùm traditionis à Moyse emanantis fixam, stabilemque regulam præberet, si qui, cùm alioqui potestatem haberent interpretandi, non tamen interpretarentur secundùm traditionem Moysis, meritò equidem explodebantur, nec audiebātur, exemplo domini, quem aliquando Scribis, Phariſæisque exprobrasse legimus. *Quare vos transgre-*

S. Augustin. lib. 4. de doctrin. Christ. cap. 27.

Matthæ. 15.

dimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Quòd si & ad Cathedram Petri hæc referenda Simon vrgeat, non diffitemur, nec si Pontifex, vel etiam Angelus de cælo euãgelizaret nobis prætet id quod euãgelizatum est à Christo, non audiendum eum esse, nec id faciendum quod præciperet. Istud autem nec factum aliquando fuisse, nec fieri vnquam posse, cùm præsertim non tanquam priuata persona, sed tanquam Pontifex decernit, constanter asserimus.

Obiectio.

pag. 98. *Vrbanus 2. sicut successor Gregorij in dignitate Pontificia, sic & odij in Henricum Imperatorem, quem cum omnibus qui illi obtemperabant, iteratò excommunicauit.*

Responsio.

Vis ergo legitimam nosse causam, non ex odio vtique prouenientem, excommunicationis ab Vrbano 2. in Henricum decretæ? Accipe eam à Dodechino illius sæculi scriptore. *Henricus Rex*, inquit, *Adelheidem Reginam, quam duxerat vxorem, odio cepit habere, ideo incarcerauit eam, & concessit* (nota horrendum facinus) *vt plerique vim ei inferrent, imò hortans Cõradum filium, vt eam subagitaret. Quo recusante patris polluere stratum, eum Rex non suum, sed peregrini filium esse affirmauit cuiusdam Principis de Suecia. Regina autem post plurima & inaudita malorum genera sibi innocenter illata, de custodia, qua tenebatur, quoquo modo Dei miseratione liberata, ad potentissimam tunc temporis fœminam Mathildem nomine, fugiendo peruenit. Quæ susceptam Reginam ad venerabilem virum perduxit Vr-*

Dodechin. in Append. ad Maria. Scot. anno 1093.

banum Apostolicæ sedis Antistitem, cuius prostoluta pedibus, profusis lacrymis, ac intimis singultibus omnē suæ, quam pertulerat, calamitatis intimauit miseriam. Papa autem agnita Reginæ calamitate, humanitatis miseratione compassus, facta concione Catholicorum, denuo Henricum Regem excommunicauit pro illicitis, ac nefandis, omnibúsque sæculis inauditis rebus in legitima vxore sua perpetratis. Vis & ampliùs hæc illicita, ac nefanda, omnibusque sæculis inaudita à Dodechino commemorata cognoscere? Accipe ea ex Ludouici Comitis ad Vualtramum Epistola ab eodem Dodechino relata. *Miror*, inquit, *si in te, vel gutta sanguinis est, quòd non erubescis dominum Henricum Regem dicere, vel ordinem habere. An ordo tibi videtur ius dare sceleri, fas, nefasque, diuina & humana confundere? An ordo tibi videtur, in corpus suum peccare? Videlicet proh dolor! proh nefas! vxorem propriam scelere omnibus sæculis mundi inaudito lupanar facere? An ordo tibi videtur, cùm Dominus dicat: Defendite viduam, viduas iudicij æquitatem postulantes, nefanda contaminatione prostituere? Vt autem illa, quæ sine numero sunt taceamus, videlicet concremationes Ecclesiarum, depræda tiones, homicidia, incendia, truncationes, & his similia, quæ ille potest, nos enumerare non possumus, ea quæ maximè Ecclesiam Dei grauant, laquamur. Audi ergo vera, non fucata, audi fortia, non facēta, dominus Henricus, quem Regem dicunt, Episcopatus, & Abbatias vendit: Etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios pro pecunia, Ratisponensem, Augustensem, Strasburgensem pro gladio, Abbatiam Fuldēsem pro adulterio, Monasteriensem Episcopatum (quod dicere, & audire nefas est) pro sodomitica immunditia vendidit. Pro quibus* (addit ille)

Idem ibidē anno 1090. circa mediū.

nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus est. Num ergo legitimam tibi causam habuisse videtur Vrbanus, vt Henricum, iam à Gregorio 7. excommunicatum, pro tam nefandis sceleribus anathemate denuò feriret?

OBIECTIO.

pag. 98. *Atque amplius proh dolor! decretum edidit, quo illos omnes pro homicidis haberi vetat, qui zelo fidei excommunicatos trucidarint, can.* Excommunicatorum. 23. *quæst.* 5. Non enim homicidas arbitramur, quos aduersus excommunicatos zelo Catholicæ matris Ecclesiæ ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit.

RESPONSIO.

Quare ergo ijsdem excommunicatorum interfectoribus pœnitentiam iniungi præcepit Vrbanus, si eos homicidas non reputauit? Præsupponit enim, pœnitentia iniuncta, peccatũ aliquod commissum. Quòd si peccatum est, cuius tandem generis censebitur, si homicidium esse denegetur? Ita verò se habent verba, quæ allegatum Canonis textum immediatè præcedunt. *Excommunicatorum interfectoribus, prout morem sanctæ Ecclesiæ nostri, secundùm ipsorum intentionem modum congruæ satisfactionis iniunge.* Quæ autem eumdem sequuntur textum, hæc sunt. *Ne tamen eiusdem Ecclesiæ matris disciplina deseratur, eo tenore, quem diximus, pœnitentiam eis iniungito congruentem, qua diuinæ simplicitatis oculos aduersum se complacare perualeant, si forte aliquid dupli-*

can. Excommunicatorũ, 23. quæst. 5.

citatis pro humana fragilitate in eodem flagitio contraxerint. Vides itaque quomodo & flagitium interfectionem illam nominet, & pœnitentia congruente expiari debere decernat. Quòd verò non homicidas se eosdem interfectores arbitrari asserit, de ijs planè loquitur, qui in bello iusto publica auctoritate indicto, excommunicatos Ecclesiam deuastantes, & in eius perniciem conspirantes, interficiunt. Sicut enim bellum iustum non prohibetur, sic nec interfectio, quæ in eodem peragitur, dummodo interficientis intentio actum ipsum non vitiet: ideoque Canon ex intētione ipsa perpendendum satisfactionis modum edicit.

OBIECTIO.

At quis non facilè videat ex dicto Canone Excommunicatorum. *si fortè est infallibilis nullo modo permissum fuisse Gallis animaduertere in Clementem, Barrerium, Chastellum, & Rauaillacum, non dicam velut in parricidas, sed tanquam in simplices homicidas?* pag. 99.

RESPONSIO.

Quis verò, nisi mente captus, non facilè videat ex dicto Canone, licet infallibili, nullo modo sequi, quin iustè, imò iustissimè fuerit à Gallis in nefandissimum illum sceleratissimorum parricidarum quaternionem animaduersum? Quorum vtinam memoria cum sonitu perijsset, & velut cum iustis scriptos illos non credimus, sic & delera fuissent de libro viuentium execranda eorum nomina. Verùm enimuerò quid pijssimis nostris regibus duobus Henricis (quorum memoria in benedi-

ctione est) cum excõmunicatis simoniaca hæresi contaminatis, in quorum perniciem decretus est ille Canon? Nunquid beatis tãtorum Regum manibus te adeò sæuum, crudelemque vis exhibere, vt extra Catholicam communionem extremum illos diem obijsse, nullo suffusus rubore, audeas affirmare? Quòd si, veritate ipsa testante, coactus istud fatearis: Vt quid ergo eos, cùm de excõmunicatis tantùm agitur, memorare non dubitas? Vt quid in hæreticorum numerum Catholicos istos Principes allicis? Vt quid pretiosam in conspectu Domini eorum mortem, etsi violentam, subitaneamque, cum iustissima excõmunicatorum punitione confers? Quæ conuentio lucis ad tenebras? Lucidam dico mortem, quæ immortalitate, luciscque veræ fruitione compensatur, alioquin tenebras dicerem, in luctuoso prorsus duorum istorum luminum occasu. *Quis talia fando, temperet à lacrymis?* Maledicti equidem, ter, quaterque maledicti tanti parricidij auctores, fautores, approbatores! Quidni & de iterata sæpius eiusdẽ commemoratione plùs æquo sollicitis, iteranda maledictio? Iustissima certè illius legis facta olim promulgatio, quæ nequissimum illum celeberrimi Dianæ templi incensorem, nec nominari inter mortales voluerit. Quid non & eadem animaduersione scelestissimi illi illustrium Regum interfectores plecterentur? Quare ergo Simon in repetendis toties nebulonum istorum nominibus, tantopere delectatur? Prædicanda equidem eorum detestatio, etsi non sufferenda eorumdem, sicut nec tyrannorum commemoratio. Ea est enim

natūræ nostræ velut innata corruptio, vt in vetitum semper nitamur, cupiamusque negata, & propterea multo plura super his nescire, quàm scire satius esse ducerem. Hæc & hæc dixerint, vt ais, inquisitionum directorij collectores, Bellarminus, Suares, quid ad te? quid ad nos? Quid ad Reges nostros Christianissimos summi Pontificis, sedisque Apostolicæ amantissimos? Desiderassem vtique, vt quæ de tyrannicidio disseruêre illi, obscura fuissent silentij perpetui tecta caligine, nec vnquam in membranis, ne dicam & in mentibus hominum locum, sedemque reperissent. Quia tamen & in quibusdam Codicibus scripta, quid opus est, & in vulgus emittere? Si detestanda, vt Simoni placet, ea est doctrina, ad quid eā euulgat? Si malus est odor, vt quid ab eo ita diffunditur? Quot, quæso, Bellarminum, Suaremque ignorantes, quid tamen super hoc illi sentiant, à Simone, aliisque eiusdem factionis hominibus didicerunt? Ad quid verò tanta verborum, librorumque copia, cùm sacrosanctum Constantiense Concilium tam religiosè super hoc definierit, & quæ ab omnibus Christi fidelibus tenenda essent, Spiritu sancto dictante decreuerit? Illius ergo decretis fideliter inhæreamus, nec si Angelus de cælo aliud nobis euangelizauerit, ei credamus.

Concil. Cōstanc. Sess. 15.

OBIECTIO.

Amplissimè docet Ambrosius, cùm iussu Imperatoris quidam armati Basilicam quàmdam occupassent, vt eam Arrianis traderent. Coactus, *inquit*, repugnare non noui, dolere potero, pag. 107.

flere potero, gemere potero: aduersus arma & milites, Gothos quoque, meæ lacrymæ mea arma sunt. Talia enim sunt munimẽta Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere. Si patrimonium petitur, inuadite: si corpus, occurram, vultis in vincula rapere? vultis in mortem? volũtas est mihi, pro altaribus gratis immolabor. *Hæc ille Epist. ad Marcellam sororem in Canones, relatam, can.* Conuenior. *& can.* Non pila. 23. *quæst.* 8.

RESPONSIO.

Non omnia quæ hîc recitantur ex Epistola S. Ambrosij ad Marcellinam (non autem Marcellam) sororem desumpta fuêre, sed eorũ pars quædam ex eiusdem oratione contra Auxentium, pars verò altera ex eâdem citata Epistola. Interim verò candidus notet Lector, ipsâ eiusdem S. Ambrosij verba. Quod enim se coactum dicit, volenti opponit: Dixerat enim paulò antè. *Quid turbamini? volens numquàm ius deseram*, deinde subiungit, *Coactus, repugnare non noui.* Quid sibi vult itaque, volens non deseram, & coactus non repugnabo? Nonne per hoc Imperatoris violentiam sanctus Ambrosius sugillans, se nec ei sponte obtemperaturum, nec coactum etiam repugnaturum, ideò asserit, vel quia vires ad resistendum non suppetebant, vel quòd metueret, ne dum *Basilicam*, inquit ille, *Christiani vindicarent, aliqua strages fieret, quæ in perniciem totius vergeret ciuitatis*, & ita cedere satius, quàm

Can. Conueniot. 23. quæst. 8.

quàm resistere ad vitandum maius malum tunc duxit. Quòd verò Simon vrget à S. Ambrosio dictum, *aliter nec debeo resistere*, his non aduersatur. Audi namque quid super hoc Glossa edisserat. *Nec debeo: Consulendo*, inquit, *ex nimia perfectione loquitur, & est argumentum pro opinione H. sed non de facto hic posset resistere Imperatori, nec de iure debebat, quia timebat maius malum.* Glossa ibid. super verb. Nec debeo.

OBIECTIO.

Gladius est principis, excommunicatio est mucro Pontificis can. Visis 16. *quæst.* 2. pag. 107.

RESPONSIO.

Quis dubitat? Ad quid verò citatus à Simone Canon, vt Pontificiæ excõmunicationi opponat? Cùm nec de Principis gladio quidquã loquatur, & de excõmunicatione (quam Pontificis mucronẽ vocat) hæc tantùm habeat. *Iudicio*, inquit, *Synodi si contra sacerdotum agere præsumpserint, mulctentur, & felici mucrone Episcopi sacerdotum piacula resecentur.* can. Visis. 16. quæst. 2.

OBIECTIO.

Optimè Gratianus. §. sicut. 2. *quæst.* 7. Sicut non sine ratione iudex portat gladium, ità non sine causa claues Ecclesiæ sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malorum, laudem verò bonorum. Illi habent claues ad exclusionem excõmunicandorum & reconciliationem pœnitentium. pag. 107.

RESPONSIO.

Quid inde? Paulò antè dixerat Gratianus. *Sic*

Gratian. post can. Nos si incompetenter. 2. quæst. 7. §. Sic & beatus.

& beatus Ambrosius Theodosium & beatus Innocentius Arcadium excommunicauit & ab Ecclesiæ ingressu prohibuit. Deinde citatum in obiectione textum addit, quo equidem vnum gladium cum altero per claues designato, conferens, vnum eumdemque vtriusque finem, effectumque demonstrat, adeò vt quemadmodum per materialem gladium vindicantur mali, sic & per spirituale excluduntur excõmunicati. Quid verò est excluduntur? Vide, quæso, ne per hoc excommunicatos, non tantùm ab Ecclesiæ ingressu & Christianorum consortio prohiberi, sed & omni prorsus dominio, aut iurisdictione excludi Suares, alijque quos redarguis, non ineptè concluserint. Sicut enim princeps materiali gladio ad vindictam malorum vti perhibetur, cùm eos non tantùm ob perpetrata facinora punit, sed & ne diutius ad Reipublicæ perniciem malè agant, cohibet. Ita & Prælatus spirituali gladio non ad corripienda tantùm crimina iam commissa, vti posse videtur, sed & ad resecanda ea omnia, quæ non leui toti Ecclesiæ detrimento esse posse conspexerit.

OBIECTIO.

pag. 108. *Spondanus commiscitur Clodoueum Regem Galliæ aurea corona, quam Romano Pontifici obtulit, regnum Gallicanum Ecclesiæ Romanæ oppigneraſſe.*

RESPONSIO.

Optimè. Si hæc Spondanus asseruit, commiscitur: Si autem non asseruit, nunquid iure dicam, Simon eruditissimo viro, ac de Republica

Christiana benè merito talia imponens, commiscitur? Consulendus itaque Spondani liber, qui mentem illius nobis aperiat. Ibi ergo de corona aurea Romano Pontifici Hormisdæ à Clodoueo missa, agens, *Eoque munere*, ait ille, *visus est Rex Clodoueus oppigneraſſe regnum ſuum in Eccleſiæ Romanæ præſidium, deoque dicare, atque in perpetuum ſupra firmam Petram, Petrique confeßionẽ ſtabilire.* Quid meliùs? Quid ſanctiùs? Quid veriùs? Si Clodoueus igitur hoc munere regnum oppignerauit, non iam certè vt ſub præſidium Romanæ Eccleſiæ tanquam feudum eſſet, hoc effecit, ſed in præſidium dũtaxat illius, vt nempe ſummum eſſet ſecurumque afflictis Pontificibus ſuffugium: Hincque plures eiuſdem regni Reges Protectorũ, Defenſorumque Romanæ Eccleſiæ titulis nobilitati reperiuntur.

Spondan. in epito. Baron. ad annũ 514. pag. 523. & in Apolog. pag. 4. & 5.

Carolus Magnus, Ludouicus Pius, & alij.

OBIECTIO.

Ex his patet hanc coronam pietatis ergò à Clodoueo oblatam, non Pontifici, non ſedi Romanæ, ſed vt ſepulchro B. Petri eſſet ornamento. pag. 109.

RESPONSIO.

Imò ex Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, alijſque auctoribus, qui huius coronæ meminerunt, patet, à Clodoueo Rege, S. Petro, ſeu potius Hormisdæ Pontifici, qui eiuſdem S. Petri ſedem tenebat, auream ipſam coronam, quæ *regnum*, ait Sigebertus, *appellari ſolet*, cum gemmis ſancto Remigio Rhemenſi etiam Archiepiſcopo id ſuggerente, directam fuiſſe, non tam vt ipſius S. Petri ſepulchro eſſet ornamento, quàm vt Hormiſ-

Hincmar. in vita S. Remigij apud Sur. tom. 1. die 13. Ianuarij.

Sigebert. in Chron. ad annum 510.

dæ Pontifici Pontificalia exercenti, inseruiret. Iam enim ab Apostolorum temporibus præclarum fuisse capitis Pontificis ornamentum, vtpote auro, gemmisq; ornatum, satis ex sanctis Epiphanio & Hieronymo, qui laminæ seu bracteæ aureæ, quam S. Iacobus Apostolus in capite gestare consueuerat, meminerũt, liquet. Quin & Ammianus Marcellinus de Sacerdotali corona à Firmo in Africa tyrãno, qui eam suffuratus fuerat, Theodosio restituta, vt eum sibi aliquo modo reconciliaret, apertum satis testimonium his verbis exhibet, *Militaria*, inquit, *signa, & Coronam sacerdotalem cum ceteris, quæ interceperat, nihil cunctatus restituit, vt præceptum est.* Constantinum etiam Imperatorem diadema seu coronam ex auro puro & margaritis inæstimabilibus intextam S. Siluestro Pontifici maximo donasse, ex eiusdem Constantini decreto à Balsamone in Photij nomocanonem tit. 8. de Parochijs relato, apparet. *Imò non defuerunt*, inquit Durantus præses Tholosanus, *qui coronæ Pontificalis originem Clodoueo acceptam ferrent:* Vt inde Simonem arguas, qui in odium Pontificis, dum præclarum Clodouei donum, summum quippe pietatis eiusdem, ac in sedem Apostolicam reuerentiæ indicium, laudare se putat, minuere potiùs deprehenditur. Atque equidem quod Sigebertus missam à Clodoueo Romam sancto Petro coronam illam auream cum gemmis dicit: Paulus Æmilius, vt eam non tam vt S. Petri sepulchro, quàm vt summo Pontifici esset ornamento, donatam demonstraret, eam ad templum Lateranense, vbi tunc Romanus Pontifex morabatur, non au-

S. Epiphan. contra. hæres. lib. 1. hæres. 29.

Ammianus Marcellinus lib. 29.

Theodor. Balsa in Phot. Nomocan. tit. 8. de Parochijs.

Durant. de rit. Eccles. Cathol. lib. 2. cap. 9.

Sigebert. in Chron. anno 510.

Paul. Æmil. hist. Franc. in vita Clodouei.

tem ad S. Petri ædem eiusdem sepulchro nobilitatam, quæ est in Vaticano, missam perhibet. *Coronam*, inquit, *eamdem gemmis, margaritisque distinctam Romam Rex ad templum Lateranense misit.*

OBIECTIO.

Quoniam legimus Gregorium 3. & post eum Leonem 3. claues Confessionis beati Petri & Vexillum Vrbis Romæ, non in sepulchri ornamentum, sed ad Regem ipsum Galliæ misisse, quid aliud est quam Pontificatum & Imperiū Vrbis Regi Galliæ subijcere, & in possessionem eorum, clauium traditione, Regem nostrum inducere? pag. 110.

RESPONSIO.

Quid si nec Gregorium 3. nec etiam Gregoriū 2. Romanos Pontifices, claues confessionis B. Petri ad aliquem ex Francorum Regibus, sed ad Carolum Martellum, qui non Rex, sed maior domus Regum Franciæ erat, misisse probauerim, quò tandem progredietur ex eo ducta Simonis cōsequentia? Ac de Gregorio quidem 2. hæc habet Appendix ad Gregorium Turonensem. *Eo*, inquit, *tempore bis à Romana sede S. Petri Apostoli, beatus Papa Gregorius claues venerandi sepulchri, cum vinculis S. Petri & muneribus magnis & infinitis legationem memorato Principi Carolo Martello destinauit.* De Gregorio autem 3. sic Anastasius. *Vir Dei*, inquit, *Gregorius Papa vndique dolore constrictus, sacras claues ex Confessione beati Petri Apostoli accipiens, direxit nauali itinere ad partes Franciæ Carolo sagacissimo viro, qui tunc regnum regebat Francorum.* Et in eiusdem Gregorij Epistola ad eundem Carolum Martellum tunc

Append. ad Greg. Turonens. cap. 110.

Anastas. in Gregor. 3. & Baron. ad annum 740. numer. 19.

missa, cuius titulus est, *Domino excellentissimo filio Carolo Subregulo Gregorius Papa*, hæc reperiuntur. *Conjuro te per Deum vnicum & verum, & per sacratissimas claues Confessionis Beati Petri, quas vobis ad regnum direximus*, &c. Fuit porrò antiqua hæc consuetudo, vt pro maximo munere Romani Pontifices claues sepulchri beati Petri mitterent, non ad Reges tantùm, sed & ad Principes, & ad Episcopos. Ac de Principibus quidem si agatur, præter ea quæ de Carolo Martello dicta sunt, inuenimus easdē claues à S. Gregorio Papa ad Theotistem & Andream viros clarissimos ex aula Mauritij Imperatoris missas, vt ex eiusdem S. Gregorij Epistola ad eos scripta, apparet. *Præterea*, inquit, *benedictionē S. Petri Apostoli clauem à sacratissimo eius corpore transmisi, de qua videlicet claui, hoc est gestum, quod narro miraculum*, &c. Et post pauca. *Ipsam verò excellentiæ vestræ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem & perfidum hominem peremit, vt per eam vos, qui eum timetis & diligitis, & præsentem salutem & æternam habere valeatis.* Quòd ad Episcopos verò spectat, idem S. Gregorius easdem claues S. Petri cum ramētis de eiusdem Apostoli catena in eis inclusis ad Columbum in Prouincia Numidiæ Episcopum transmisit; Ita enim in Epistola ad eum directa testatur. *Præsentem*, inquit, *portitorem Victorinum fraternitatis tuæ Diaconum, quem tuum reor imitatorem existere, & cum charitate suscepi, & ad remeādum citius relaxaui, per quem etiam claues B Petri, in quibus de catenis ipsius inclusum est, tibimet pro benedictione transmisi.* Si ergo Regibus aliquando à Pontificibus transmissæ sunt claues istæ,

Idem Baron. ibid. numer. 20. & 22.

Gregor. lib. 6. epist. 23.

Idem lib. 2. epist. 47. indict. 11.

id factum est, vel in pietatis eorum testimonium, vel vt inde spiritualem gratiam consequerentur. Ita enim idem S. Gregorius eisdem S. Petri claues ad Childebertum Francorũ Regem misit. *Claues S. Petri,* inquit ille in Epistola ad eum scripta, *in quibus de vinculis catenarũ eius inclusum est, excellentiæ vestræ direximus, quæ collo vestro suspensæ, à malis vos omnibus tueantur.* Ita denique Leo 3. Carolo Magno eisdẽ claues cum vexillo misit, eò quòd potentissimus esset Romanæ Ecclesiæ defensor. Quin & claues, non tantùm confessionis S. Petri, sed & aliorum etiam locorum sanctitate insignium transmitti consueuisse legimus. Sic enim Ioannes Ierosolymitanus Patriarcha ad eumdẽ Carolum Magnum claues sacrosancti sepulchri Dominici misit, vt habetur in eiusdem Caroli vita. *Ierosolymitanus Patriarcha,* inquit auctor, *Legatos ad Regem misit, qui benedictionis causa claues sepulchri Dominici, ac loci Caluariæ: Claues etiam ciuitatis, ac montis Olineti cum vexillo detulerunt.* Sileat ergo Simon, seque perperam talem ex malo principio elicuisse conclusionem, ingenuè fateatur.

Idem lib. 5. epist. 6. indict. 14.

Auctor vitæ Caroli Mag. anno 796. Baron. ad annum 796. numer. 16.

Apud Pithœum auctor incert. vitæ Caroli Magni anno 800.

OBIECTIO.

Multum inter fortunam priuatam principis, & regale culmen interest, vt verissimè, ait Zeno Leg. vlt. Cod. de quadr. præscript. Quæ sunt priuatæ fortunæ & substantiæ principis alienari possunt, quæ sunt Reipubliçæ, & regalis culminis minimè. pag. 111.

RESPONSIO.

Itane? Quid si Iustinianum Legis Zenonis cor-

rectorem huic distinctioni nullatenus acquiescẽtem, sed quascumque alienationes ab Imperatore factas, firmas fore statuentem, per eandem legem monstrauero, quod tandẽ erit Simonis effugium? Audi ergo Casum in glossa positum. *Si aliquis*, inquit, *emebat à fisco statim securus erat, vt in lege superiori: Non ita erat quando aliquis emebat ab Imperatore aliquod prædium de proprio patrimonio suo, sed idem de cætero debet obseruari de eo qui emit à Principe, quia statim securus erit, & si procurator Imperatoris, vel Augustæ venderet, non habet necesse promittere de euictione, sed sufficit si facit instrumentum, & Imperator ponit ibi signum suum. Item si antè legem istam Imperator dederit aliquam rem alicui loco religioso de cætero erit securus.* Quòd si eiusdem legis textum inspiciamus, hæc habet. *Per hanc*, inquit, *generalem, & in perpetuum valituram legem sancimus, omnes alienationes de aula procedentes siue à nostra clementia, siue à serenissima Augusta coniuge nostra, siue ab his qui postea digni fuerint nomine Imperiali, siue iam alienatum quiddam est, siue posteà fuerit, sine omni inquietudine permanere, siue res eis per nosmetipsos, siue per Procuratores (ex Epistalmate tamen nostro) fuerint assignatæ. Et nemo audeat eos, qui res accipiunt per quemcumque titulum alienationis siue mobiles, siue immobiles, siue se mouentes, vel iura incorporalia, vel panes ciuiles, iudicijs adficere, vel sperare aliquam contra eos esse sibi viam apertam, sed omnis aditus præcludatur.* Et post pauca de alienationibus Ecclesijs factis loquens subdit. *Quia igitur multa scimus, tam nosmetipsos, quàm serenissimam Augustam coniugem nostram varijs personis iam donasse, & vendidisse, & per alios titulos assignasse, & maximè sacrosanctis Ecclesijs,*

Gloss. in L. vlt. C. de quadrien. præscript.

& Xenonibus, & Ptocotrophijs, & Episcopis, & Monachis, & alijs innumerabilibus personis, & eamdem liberalitatem ex nostra substantia, siue serenissimæ coniugis nostræ esse cõfectam: sancimus etiam eos firmo iure habere, quod cõsecuti sunt, ita vt contra illos quidẽ nulla moueatur actio. Miror certè Iurisconsultũ hanc legem ex nomine tantùm, non autẽ ex illius sensu cognouisse.

OBIECTIO.

Superest vt de Childerico Rege dicamus. Consilium Papæ satis fuit Gallis vt religio eos non impediret, quominus, Childerico in Monasterium detruso, Pipinum secundùm morem in Regem eligerent, non quidem iubente, aut decernente Pontifice, sed tantùm consulente. pag. 113. & 114.

RESPONSIO.

Quid est hoc? *Galli*, inquis, *secundùm morem Pipinum in Regem eligerent:* quasi Gallorum Reges ex electione, & non potiùs, vt ait Carolus Caluus ex S. Gregorij relatione, & consuetudine Olitana, ex genere prodeant. An non legitimus Rex erat Childericus? Vnde ergo attonsus & Pipinus in eius locum suffectus? Non iubente, ais, nec decernente Romano Pontifice, sed tantùm consulente, id factum fuit. Quid si ex omnibus fermè historicis, etiam synchronis, qui rei gestæ meminerunt, id peractum non consulente tantùm, sed & iubente, atque decernente ipso summo Pontifice, probauero, numquid veritati, vel coactus, tandem manus dabis? Accipe ergo, non duorum, vel trium, sed viginti quatuor probatissimorum auctorum irreprehensibile testimonium. Libell. proclamat. Caroli Calui, cap. 1.

I. Vetustissimi Annales à P. Pithœo viro clarissimo in lucem editi. *Pipinus*, inquiunt, *missa Romam legatione orat sibi decerni, quis eorũ iustè Rex debeat dici & esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni, & omnium negotiorum molestias sufferat. Zacharias Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli,* (nota) *mandat populo Francorum, vt Pipinus qui potestate regia vtebatur, nominis quoque dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex, qui vltimus Merouingorum Francis imperauit depositus, & in Monasterium missus est. Pipinus verò in ciuitate Suessionum à sancto Bonifacio Archiepiscopo in Regem vnctus regni honore sublimatus est.*

Annal. incerti auct. apud Pithœũ anno 751. & 752.

II. Eginhartus qui eodem sæculo viuebat, in vita Caroli Magni. *Gens Merouingorum*, inquit, *de qua Franci Reges sibi creare soliti erant vsque in Hildericum Regem, qui iussu Stephani* (nota) *Romani Pontificis depositus, atque in Monasterium trusus est, duraſſe putatur.* Et post pauca. *Pipinus per auctoritatem Romani Pontificis ex præfecto palatij Rex constitutus.*

Eginhart. in vita Caroli Magni in princip.

III. Theophanes. *Stephanus veniens Pipinum prouehit in regnum, virum probatissimum.*

Theophan. lib. 22.

IV. Aimoinus. *Zacharias Pontifex mandauit, melius esse illum vocari Regem, apud quem summa potestas consisteret, dataque auctoritate sua* (nota) *iussit Pipinum Regem instituì: hocque anno secundùm Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est.*

Aimoin. de gest. Franc. lib. 4. cap. 61.

V. Regino. *Zacharias, ne perturbaretur Christianitatis ordo, per auctoritatem Apostolicam* (nota) *iussit Pipinum Regem creari, & sanctæ vnctionis oleo inungi.*

Regino in Chron. lib. 2. anno 749.

VI. Hermannus Contractus. *Pipinus auctoritate Stephani Papæ* (nota) *depositio ac detonso Hilderico Rege Rex Francorum factus est.*

Hermannus Contract. in Chron. anno 750.

VII. Lambertus Schafnaburgensis. *Pipinus decreto* (nota) *Zachariæ Papæ, per vnctionem sancti Bonifacij Archiepiscopi Rex appellatus est, qui antea maior domus vocatus est, & Hildericus Rex tonsoratus in Monasterium mittitur.* Lambertus Schafnab. de reb. Germ. anno 750.

VIII. Marianus Scotus. *Zachariæ Papa ex auctoritate S. Petri Apostoli* (nota) *mandat populo Francorum, vt Pipinus qui potestate regia vtebatur, etiam nominis dignitate frueretur. Ita Hildericus Rex qui vltimus Merouingorum Francis imperabat depositus, & in Monasterium missus est.* Marianus Scot. lib. 3. Chron. anno 750.

IX. Sigebertus. *Pipinus princeps auctoritate Apostolica* (nota) *& Francorum electione à sancto Bonifacio in Regem consecratur.* Sigebert. in Chron. anno 750.

X. Siffridus Presbyter in Epitome. *Pipinus pater Caroli vnctus est in Regem à sancto Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, iubente* (nota) *Papa Zacharia.* Siffrid. Epitom. lib. 1. anno 750.

XI. Compilatio Chronologica. *Sub hoc Papa Zacharia anno 750. Pipinus pater Caroli in Regem inunctus est à sancto Bonifacio, iubente Papa* (nota) *& Hildericus Rex Francorum factus est monachus.* Compilat. Chronol. tit. de ortu Carol. Imperat. anno 750.

XII. Otho Frisingensis. *Anno Domini 752. reuersis à Roma nuncijs auctoritate Zachariæ Papæ* (nota) *Pipinus à beato Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque regni Principibus in Sueßiona ciuitate ad regnũ eligitur.* Et capite sequenti. *Anno Domini 754. Pipinus à Stephano Papa primò à fidelitatis sacramento, quod Hilderico promiserat cum alijs Regni Francorum primoribus absoluitur, ac detonso Hilderico, & in Monasterium detruso postmodum in Regem vngitur.* Otho Frisingens. lib. 5. Chron. c. 22. Idem ibidem cap. 23.

XIII. Abbas Vrspergensis. *Zacharias Papa, data auctoritate sua* (nota) *Pipinum Regem constitui iussit.* Abb. Vrsper. in Chronic. anno 750.

Anno Domini 752. *Pipinus per auctoritatem Zachariæ Papæ* (nota) *more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacij Archiepiscopi eleuatus est in regni solium.* Et paulò pòst. *Pipinus ex præfecto palatij auctoritate Apostolica* (nota) *sublimatus & vnctus in sedem regni, posteà regnauit annis quindecim, absolutus per Papam Stephanum à iuramento, quod Regi Hilderico cum cæteris regni Primoribus fecerat.*

Godefr. Viterbiēs. part. 17. Chron. anno 754.

XIV. Godefridus Viterbiensis. *Pipinus auctoritate Papæ Zachariæ* (nota) *à Bonifacio Moguntino Archiepiscopo, aliisque regni Principibus in ciuitate Sueßiona in regnum eligitur.* Et infrà. *Anno* 754. *Pipinus per Stephanum Papam à fidelitate Hilderici prædicti Frā corum Regis, cum omnibus Francicis Principibus est absolutus.*

Fasciculus Tempor. in Zacharia.

XV. Fasciculus Temporum. *Zacharias Regem Franciæ scilicet Hildericum deposuit, & in locum eius Pipinum instituit, quia vtilior fuit.* Et paulò pòst. *Hinc patet potestas Ecclesiæ, quanta fuerit hoc tempore, quæ Regnum illud famosißimum transtulit de veris hæredibus ad genus Pipini, propter legitimam causam.*

Iuo Carnot. in Chronic. fol. 258. ſſ.

XVI. Iuo Carnotensis in Chronico. *Interea Pipinus Francorum regnum defeciße videns, iußu Zachariæ Papæ* (nota) *eleuatur in Regem.*

Recapitulat. de orig. Reg. Francorum à Pithœo edita fol. 397.

XVII. Recapitulatio de origine Regum Francorum à Pithœo edita. *Hilderico*, inquit, *à Francis reprobato, & in Monasterium detruso Pipinus auctoritate Apostolica* (nota) *& electione Francorum in Ecclesia S. Dionysij in Francia à Papa Stephano, cum vxore, & filijs in Regem vngitur, eorumque generatio in hæreditatem regalis successionis in perpetuum benedicitur, & omnis alienigena ab eius inuasione Apostolico anathemate interdicitur.*

XVIII. Cuſpinianus in vita Caroli Magni. *Pipinus, in Monaſterium detruſo Hilderico, iuſſu Stephani Pontificis* (nota) *Rex cunctorum conſenſu eligitur.* Cuſpinian. in Carolo Magno.

XIX. Chronicon Laurishamenſe. *Pipinus ex ſententia Zachariæ Papæ* (nota) *depoſito Hilderico per beatum Bonifacium Moguntinæ ſedis Archiepiſcopum & martyrem, ex præfecto palatij in regiam dignitatem eſt vnctus, ac poſteà per Stephanum Papam Apoſtolica vnctione confirmatus.* Chron. Laurishamenſ. in princip.

XX. Albertus Krantzius. *Meritò,* inquit, *ſummus Pontifex & Gallorum Rex mutuis ſe attollunt fauoribus, quando ab initio hæc ſedes domui Caroli hoc præſtitit, vt regiam haberet dignitatem.* Albertus Krantz. lib. 1. Metrop. cap. 14.

XXI. Mutius in Chronico Germaniæ. *Zacharias Pontifex auctoritate Eccleſiaſtica ſua* (nota) *iuſiurandum remiſit illis, qui Childerico obnoxij erant, & inclinauerunt ſe ad partes Pipini.* Mutius lib. 6. Chronic. German.

XXII. Paulus Æmilius. *Pipinus Buchardum Viſiburgenſium Epiſcopum ad Zachariam Pontificem maximi oratorem miſit, vt Franci ſoluerentur iuriſiurandi religione, quo ſe Childerico deuinxerant. Is Romam profectus ac ad Pontificem maximum admiſſus, poteſtate dicendi facta locutus eſt.* Et infrà. *Oratione Epiſcopi motus Zacharias initio minimè audebat tam magni momenti cogitationem ſuſcipere. Deinde cùm Francos proceres mira cõſenſione animorum Pipino adeſſe, cupereque compertum, exploratúmque habuiſſet, Francos ſacramento Regi Childerico dicto, ſoluit. Hique conuentu habito Pipinum Regem ſalutauêre.* Paul. Æmil. hiſt. Franc. lib. 2. in Childer. 3.

XXIII. Nicolaus Gillius ita Gallicè. *Icelui Pape, dis vouloir des François, donna ſa ſentence que ledit Pepin fuſt couronné Roy de France.* Et poſt pauca curioſiori Nicol. Gill. in Annal. in vita Pipini in princip.

quorumdam inuestigationi satisfacere satagens, qualiter fieri potuerit, vt Pipinus statura breui, qui nec regni hæres, sed Childerici vassallus, subditusque erat, tam citò nihilominus ad tanti regni fastigium euectus fuerit, hæc addit. *L'excuse est, quant au monde l'élection du peuple, & quant à Dieu l'auctorité, translation, & confirmation du Pape Zacharie.* Et infrà. *Par ladite translation il appert, comme la puissance de l'Egliſe est grande, & comme elle estoit lors bien obeye, veu que par elle le regne d'vn si grand Royaume, fut translaté & mis hors de la lignée des vrays & droicts heritiers de la generation des Roys, ce qui fut fait pour cause legitime, comme il appert 15. quæst. 4. can. Alius.*

Idem ibidē.

Ioan. Tillius in Chronic. abbreui. ann. 751. & 752.

XXIV. Ioannes Tillius, ita quoque Gallicè. *Pepin enuoya Bonhard Eueſque de Virtzbourg deuers le Pape Zacharie, pour luy faire donner ſentence contre le Roy Childeric, comme indigne du tiltre de Roy, & adminiſtration du Royaume. Le Pape luy accorda ce qu'il demandoit, toutefois ſelon aucuns il mourut deuant que la ſentence fuſt executée. Le Pape Eſtienne luy ſucceda, qui confirma le tout, & luy meſme vint en France pour ſacrer le Roy, & pour rendre Childeric Moine.* Num ergo ſatis tibi facient viginti quatuor iſti teſtes, per vigintiquatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedent in ſedibus ſuis, deſignati, vt iam credas, non tantùm conſulente, ſed & iubente, ac decernente ipſo ſummo Pontifice Pipinum, Hilderico in Monaſterium detruſo, in regem electum, atque inunctum?

Apocal. 19.

Obiectio.

pag. 113.

Regino lib. 2. Pipinus ſecundùm morem Francorum electus in Regem & vnctus

per manus sanctæ memoriæ Bonifacij & eleuatus est à Francis in regno in Suessionis ciuitate.

RESPONSIO.

Ita equidem Regino: Dixerat autē paulò antè, quod tu data opera omisisti. *Zacharias Papa mandauit Pipino melius sibi videri illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum, qui sine regali potestate manebat. Et ne perturbaretur Christianitatis ordo per auctoritatem Apostolicam* (nota) *iussit Pipinum Regem creari, & sancta vnctionis oleo inungi.* Quod ergo Pipinus electus & vnctus in Regem fuit, id auctoritate Apostolica factum ex ipso Reginone satis superque constare, nemo est qui non videat. Regino lib. 2. Chron. anno 749.

OBIECTIO.

Certè omine fœliciori sacratissima Capeuingiorum familia, quæ per sexcētos viginti quinque annos fœliciter imperauit, in regium fastigiū euecta est, licet id inconsulto Pontifice factum fuerit. pag. 115.

RESPONSIO.

Quid si Hugo Capetus familiæ caput ex eiusdē Caroli magni progenie ortus demonstretur, vnde quæso ominis illius fœlicitas erit, vt non per sexcentos tantùm, sed & per nongentos fermè annos Carolinum genus imperare dignoscatur, nisi ex benedictione, quam Apostolica auctoritas (vt paulò ante ex Recapitulatione de Francorum Regum origine à Pithoeo edita, vidimus) Pipinō impartiuit? Accipe ergo quæ Vuilielmus Nangius scriptis prodidit. *Regum*, inquit, *Francorum caput* Vuiliel. Nāg. in Chronic. anno 987. apud Pithœū.

Hugo Capucij Comes Parisiensis, & dux Francorum, filius Hugonis Magni, Comitis quondam Parisiensis, ex Haoinde sorore Othonis primi Imperatoris. Sic vt aliqui dicunt, translatum est regnum Francorum de progenie Caroli in progeniem Comitum Parisiensium. Alijs tamen, nec sine causa, videtur, quòd in Hugone isto non defecit progenies Caroli magni. Arnulfus siquidem Romanorum Imperator filius Carolomanni filij Ludouici Germanorum regis fratris Caroli Calui Regis Francorum & Imperatoris, genuit Ludouicum iuniorem Imperatorem, qui Ludouicus duas tantùm habuit filias Placidiam & Mathildem. Quarum primogenita Placidia nupsit Conrado filio Conradi Comitis, qui post Ludouicum iuniorem imperauit. Mathildis verò data est vxor Henrico filio Othonis ducis Saxonum. Qui Henricus mortuo Conrado & eius vxore Placidia sine hæredibus imperauit cum vxore sua Mathilde, de qua genuit primum Othonem Imperatorem, & duas filias Gerbergam vxorem Ludouici Regis patris istius Ludouici sine hærede mortui, & Haoindem matrem istius Hugonis Capucij. Per quæ patet, quòd ipse descenderit de progenie Caroli magni. Hoc etiam attestatur Innocentius Papa dum in decretali sua Ludouicum 6. qui descendit ab isto Hugone Capet, astruit processisse de progenie Caroli magni, quod stare non posset, si iste Hugo de eadem progenie non descendisset. Eadem quoque habet & sancti Arnulphi genealogia ab eodem Pithœo edita.

Genealog. S. Arnulph. Metes. Episcop. apud Pithœ. pag. 303.

OBIECTIO.

pag. 115. *Neque aliter id consuluisse Pontifex videtur, nisi quòd Pipino, aduersus Longobardos pro animi sui arbitrio, vteretur.*

RES-

RESPONSIO.

Vt quid historiæ ordinem confundis, & cùm de Zacharia Pontifice (cuius auctoritate Pipinus Regium titulum est consecutus) agatur, ea nihilominus quæ sub Stephano 3. itidem Pontifice (qui primus ab eodem Pipino iam Rege facto contra Longobardos Romanum solum inuadentes auxilium postulauit) per acta sunt, in medium profers? Nusquam enim legimus Zachariam Pontificem, licèt aliquanto tempore à Longobardorum Rege Rachis infestatum, ad aliquem ex Frãcorum Regibus seu Principibus confugisse: Quin potius ex Anastasio discimus, eumdem Pontificem, datis tunc muneribus, ipsum Regem non sibi tantùm conciliasse, sed & salutifera exhortatione ad nuncium sæculo mittendum induxisse; adeò vt paulò post in Cassinensi monasterio, monasticam vitam professus fuerit. *Ipsis temporibus*, inquit Anastasius, *Rachis Longobardorum Rex ad capiendam ciuitatem Perusinam, sicut cetera Pentapolis oppida, vehementi profectus est cum indignatione, quam & circundãs fortiter expugnabat. Hoc audiens sanctissimus Papa Zacharias continuo spe diuina fretus, assumptis aliquantis ex suo clero optimatibus, quantocyus ad eamdem peruenit ciuitatem, impensisque eidem Regi pluribus muneribus, atque oppido eum deprecans, opitulante domino obsidionem ipsius ciuitatis amouit. Cui & salutifera prædicans, Deo auctore valuit animum eius ad spirituale studium inclinare. Et post aliquantos dies idem Rachis Rex relinquens regalem dignitatem, deuotè cum vxore & filia ad beati Principis Apostolorum coniunxit limina. Acceptaque à præfato sanctissimo Papa oratione, Clericus factus, mona-*

Anastas. in Zacharia. Baron. ad annum 750. nnmer. 1. & seqq.

chico indutus est habitu cum vxore & filia. Quomodo ergo Zacharias Pipino, vt ais, aduersus Longobardos pro animi sui arbitrio vsus fuisset, quando eo ipso tempore, quo legationem Pipinus pro Regio consequendo titulo ad Zachariam direxit, qui fuit annus 751. ipse Longobardorum Rex religiosam vitam in monasterio profitebatur.

OBIECTIO.

pag. 115. *Ingratis Romanæ curiæ adulatoribus occasionem præbuit fingendæ donationis Constantini, qui tantum beneficium Constantino fabulosè, potiùs quam Gallis reuera acceptum ferre maluerunt.*

RESPONSIO.

Nunquid Romanæ curiæ adulator Theodorus Balsamon tibi videtur? quem non in Latinos tantũ, à quibus sua Ecclesia pulsus fuit, sed maximè in ipsum summum Pontificem, cuius auctoritate ista fieri certò sciebat ita pessimè affectum omnes norunt, vt pluries in responsionibus, ac meditatis suis, eum iure apud Græcos execrabilem, à quatuor Patriarchis Orientalibus excommunicatum, nullaque commemoratione in sacris dignum pronunciarit. Et tamen omnium Græcorum primus, Constantinianæ donationis decretum euulgauit.

Theod. Balsam. in Photii Nomocan. tit. 8. de Parœch.

OBIECTIO.

pag. 116. *Suares imperitissimè Ludouicum & Carolum Caluum, Episcoporum regni decreto regnum Lotharij occupasse narrat. At certè Lotharium Imperio à fratribus priuatum falsissimum est. Ludouicus, ac Carous in consilium ascire quosdã Epis-*

copos solebant, qui cùm viderent Lotharium debellatum regno excessisse, putarentque nunquam reuersurum, dixerunt, ob suam nequitiã vindictam Dei illum eiecisse, regnumque fratribus melioribus se, iustè ad regendũ tradidisse. *Hæc Nithardus testis oculatus; cui multò magis, quam Baronio, aut Suari credendum.*

RESPONSIO.

Optimè, Nithardo testi oculato, vt credamus, ratio persuadet. Illius ergo testimonium perquiramus: Illius textum perscrutemur, vt quæstionis controuersæ veritas innotescat. Textum autem dico integrum, non præcisum. Vt quid tam pauca ex Nithardi libro desumpsisti? Solerter equidem, captiosè tamen id fecisti: quia minùs tibi fauere reliquum deperiebas. Audi ergo quæ Nithardus ipse, post citatum à te textum, immediatè subiungens, de decreto ab Episcopis Ludouico & Carolo fratribus dato, super regni Lotharij non inuasione tantùm, sed & partitione testetur. *Veruntamen,* inquit, *haudquaquam Episcopi illis hanc licentiam dedere, donec palam illos percontati sunt, vtrum illud per vestigia fratris electi, an secundùm Dei voluntatem regere voluissent. Respondentibus autem in quantum nosse, ac posse Deus illis concederet, secundùm suam voluntatem se & suos gubernare ac regere velle: Aiunt: Et auctoritate diuina* (nota) *vt illud suscipiatis, & secundùm Dei voluntatem illud regatis, monemus, hortamur, atque præcipimus.* Deinde de eiusdem regni Lotharij partitione, in vim illius decreti inter vtrumque fratrem facta loquens, hæc subdit. *Hinc autem vter-*

Nithard. histor. lib. 4. in princip.

Ibidem paulò post.

que illorum duodecim è suis ad hoc opus elegit, quorum vnus extiti, & sicut illis congruum, vt inter illos hoc regnum diuideretur, visum est, contenti sunt. In qua diuisione non tantum fertilitas, aut æqua portio regni, quantùm affinitas & congruentia cuiusque aptata est. Euenitque Ludouico omnis Frisia, &c. Vnde colligas quam ineptè Suarem Simon imperitiæ arguat.

OBIECTIO.

pag. 116. *At lubenter vellem rescire, vtrum potuerit Lotharius indicta causa à consilio Ludouici & Caroli inimicorum iudicari & regno priuari?*

RESPONSIO.

Vis ergo multiplices, iustissimasque priuationis regni causas, contra Lotharium ab Episcopis Aquis tunc congregatis, iudicatas nosse? Accipe eas ab eodem Nithardo teste oculato. *Episcopis*, inquit, *ab initio gesta Lotharij considerantibus, quomodo patrem suum regno pepulerit, quoties populũ Christianum periurũ sua cupiditas effecerit, quoties idem ipse hoc, quod patri, fratribusque iurauerat, frustrauerit, quoties post patris obitum fratres suos exhereditare, atque delere tentasset: quota homicidia, adulteria, incendia, omnigenaque facinora vniuersalis Ecclesia, sua nefandissima cupiditate, perpessa sit. Insuper autem neque scientiam gubernandi Rempublicam illum habere, nec quoddam vestigium bonæ voluntatis in sua gubernatione quemlibet inuenire posse, ferebant. Quibus de causis non immeritò, sed iusto Dei omnipotentis iudicio, primùm à prælio, & secundò à proprio regno fugam illum iniisse, aiebant.*

Nithardus hist. lib. 4. in princip.

OBIECTIO.

pag. 117. *Tantùm abest vt Lotharius regno priuatus sit,*

Vt in medio exercituum fratres conuenerint, & totum Imperium Gallicanum partiti sint, atque Lothario Imperatori Lotharingia, Prouincia, cum tota Italia, & Vrbe Roma contigerint.

RESPONSIO.

Quinimmò ex Nithardo iam vidimus Lothariũ Episcoporum decretò verè imperio priuatũ, atq; inter duos fratres idem regnũ partitũ fuisse. Cùm verò, necessitate compellente, in se tandem reuersus Lotharius, legatos ad fratres pro pace misisset, ille equidem qui paulò antè regno suo minimè contentus, fratrum regna ambiebat, vel vt aiunt Annales incerti auctoris, ille qui sibi Monarchiam vindicabat, aliquid suprà tertiam regni paterni partem propter nomen Imperatoris, vel saltem tertiam eiusdem regni partem, absque Longobardia, Baioaria, & Aquitania sibi à fratribus concedi per eosdem legatos humiliter petijt. *Egbertus*, inquit Nithardus, *vnà cum cæteris à parte Lotharij ad fratres venerunt, dicentes quod Lotharius cognouisset se in Deum, & illos deliquisse, nolletque amplius, vt altercatio inter illos & Christianum populum esset. Si vellent aliquid illi suprà tertiam partem regni propter nomen Imperatoris, quod illi pater illorum concesserat, & propter dignitatem Imperij, quam auus regno Francorum adiecerat, augere facerent. Sin aliter tertiam tantummodò partem totius, absque Longobardia, Baioaria, & Aquitania illi concederent, regeretque quisque illorum, Deo fauente, portionem regni sui, prout melius posset.* Dic ergo: Quomodo Lotharius in tertiam regni partem recipi postulasset, si regno suo nequaquam priuatus fuis-

Annal. incert. author. anno 842.

Nithardus hist. lib. 4.

set? Quoad verò regni partitionem, non quidem in medio exercituum, vt malè Simon ait, inter eos facta fuit, etsi tentata fuerit, sed *Dilato placito*, aiunt Annales, *cùm in Confluente castello, eorum missi conuenientes, de eadem regni partitione concordare non potuissent, anno tandem sequente, qui fuit 843. descripto regno à primoribus, & in tres partes diuiso, apud Viridunum Galliæ ciuitatem, tres reges mense Augusto conuenientes, regnum inter se dispertiunt.*

Annal. incert author. anno 842. & 843.

OBIECTIO.

pag. 119. *Ex superioribus patet omnia capita Decretalium pro articulis fidei habenda non esse. Quo in genere Innocentij 3. decretalis* Nouit. *ẽ. de iudicijs reponenda est, qua quidem sibi indirectè attribuere conatur iurisdictionem in Regem & Regnum Galliæ.*

RESPONSIO.

Quis verò tibi vnquam dixit omnia capitula Decretalium, vel pro articulis fidei à Pontificibus posita, vel pro articulis fidei ab omnibus tenenda? Licet enim infallibilem asseramus summum Pontificem ex Cathedra decernentem: Pro articulis tamen fidei ea omnia esse tenenda, quæ in Decretalium corpus plurimorum Pontificum collecta sunt Decreta, nemo est inuentus, qui id hactenus asseruerit. Plura namque consultus sæpe decernit Pontifex, ad quæ, tanquam de fide tenenda, cæteros obligare non intendit Christi fideles, qui per hoc, sicuti nec peccant, ijs non adhærendo, sic nec fallibile Pontificis decretum ex eo deprehenditur, cùm omnia ex eiusdem Pontificis decernentis

intentione dependeant, cui incumbit obligationis nexum apponere, vt nempe aliquid, vel tanquam de fide credatur, vel non tanquam de fide teneatur. Quòd autem spectat ad cap. *Nouit.* ē. de iudicijs, Innocentius ipse satis ingenuè fatetur se nec directè, nec indirectè temporalem iurisdictionem Regis Francorum impedire velle. *Non putet aliquis*, inquit, *quod iurisdictionem illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cùm ipse iurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire.* Et post pauca. *Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura.* Quin & Rigordus illius temporis scriptor de eodem Innocentio testatur, quod *Consuetudines & iura Regni Francorum nolebat infringere, aut in aliquo reuocare.* Guaguinus quoque. *Pontifex*, inquit, *Francorum consuetudini, quæ de temporalium rerum gubernaculis introducta esset, detrectare nihil tentauit.*

cap. Nouit ē. de Iudicijs.

Ibidem.

Rigord. de gest. Philipp. August. anno 1209.

Guaguin. hist. Franc. lib. 6. in Philipp. August.

OBIECTIO.

Pace composita inter Philippum Augustum Regem Galliæ, & Ioannem Regem Angliæ, hic Arturum Britanniæ Armoricæ Ducem nepotem suum, qui, vt beneficiarius Regis Galliæ, partes eius secutus fuerat, ab insidiante Anglo contra pacis fœdera, captum in Pictonibus necari curauit. pag. 120.

RESPONSIO.

Qui de nece Arturi scripsêre historici, rem gestam aliter narrant, Arturumque ipsum non insidijs circumuentum, sed in bello, quod ipsemet contra patruum Ioannem Angliæ Regem indis-

cretè mouerat, captum, testantur. Matthæus Paris cùm de obsidione Reginæ Alienoris matris eiusdem Ioannis Angliæ Regis in castro Mirebello, & eidem præstito ab eodem Ioanne auxilio verba fecisset, hæc addit. *Cùm dispositis aciebus, hinc inde concurrissent, Rex Joannes superbis Francorum conatibus viriliter resistens, omnes in fugam coëgit, atque tam pernici cursu equorum fugientibus institit inimicus, vt vnà cum illis castellum intraret. Factus est autem intra præfati ambitum castri conflictus durissimus, sed virtute Anglorum laudabili in breui finitus. Nam in illo conflictu capti sunt ducenti milites regni Franciæ, & cum ipso Arturo omnes nobiles Pictauienses, & Andegauenses.* Rigordus quoque de gestis Philippi Augusti agēs. *Paucis*, inquit, *reuolutis diebus, quia terram regis Angliæ nimis audaciter cum paucis* (Arturus) *intrauerat, Rex Angliæ cum infinita multitudine armatorum ex insperato superueniens, Arturum cum suis confecit, ipsumque cum Hugone Bruno, & quamplurimis alijs militibus cepit.* Paulus Æmilius. *Leonora*, inquit, *Mirabellum occupat. Eò Arturus è vestigio ducit, idque oppidum defendente auia oppugnat: magno conatu mulierem ferox adolescens vicit: oppidum captum, ipsa in potestatem venit nepotis. Ita omnia violat sacra cupiditas imperandi. Joannes cum expeditissimo milite profectus prius Arturum oppressit, quàm Franci auxilio venire possent.* Quod verò ad eiusdem Arturi necem spectat, etsi de ea Ioannem Anglum infamatū historici narrent, non tamen conuictum asserunt. Matthæus Paris enarrata Ioanni ab Arturo iam apud Falesiam captiuo, cum multa indignatione, & comminatione facta responsione. *Audiens*, inquit, *hæc Rex Ioannes perturbatus est valdè,*

Matth. Paris in vita Ioan. anno 1201.

Rigord. de gest. Philipp. Augst. anno 1201.

Paul. Æmil. hist. Franc. in vita Philipp. August.

Matth. Paris in vita Ioan. anno 1202.

præcepitque vt apud Rothomagum Arturus mitteretur, & ibi in arce noua reclusus, sub arctiori custodia seruaretur. Sed non multò post idem Arturus subitò euanuit modo fere omnibus ignoto, vtinam non vt fama refert, inuidia. Guaguinus denique. *Erat Arturus Britonum Comes Angli Regis nepos, quem Philippi partes sequentem Joānes Anglus cùm cepisset, eum occidisse diffamatus est.* Guaguinus lib. 6. histor. Frác. in Philipp. August.

Obiectio.

Rex Angliæ vt se contra Philippum muniret, regnum suum in feudum contulit Ecclesiæ Romanæ, hac conditione, vt Innocentius Philippo imperaret Normaniam, Aquitaniam, cum alijs dynastijs Anglo restitui. pag. 110.

Responsio.

Vt quid falsum pro vero ingeris? Ad quid historias ipsas confundis? Non pudet diuerso tempore acta, quasi eodem fuissent, representare? Dic sodes, legisti aliquando Anglicos scriptores? Vidisti multiplices causas, quæ regnum Angliæ Ecclesiæ Romanæ feudatarium reddiderunt? Si legisti, vt quid veritati fucum inducis? Si non legisti, vnde tot mendacia in vnum congesta? Non enim Ioannes Angliæ Rex, vt se contra Philippum Augustum muniret, regnum suum in feudum contulit Romanæ Ecclesiæ, sed vt Deum, Innocentium Pontificem, totam deniq; Ecclesiam, quam varijs sceleribus, criminibusque offenderat, propter quæ multoties ab eodem Innocētio excommunicatus fuerat, hac qualicumque satisfactione placaret. Licèt enim tunc temporis idem Philippus ab Innocentio persuasus & incitatus maxi-

mùm haberet paratum ad occupandam Angliam exercitum, audi nihilominus quid de Ioannis Angli exercitu ad Philippo resistendum comparato, Mathæus Paris testetur. *Omnibus*, inquit, *congregatis ad pugnam æstimati sunt in exercitu apud Barhamdonam inter milites electos & seruientes strenuos & benè armatos sexaginta millia virorum fortium, quibus si erga Regem Angliæ & defensionem patriæ cor vnum fuissent & anima vna, non fuisset Princeps sub cælo, contra quem regnum Angliæ se non defenderet.* Et paulò post de nauali etiam exercitu ab eodem Ioanne congregato, agens. *Constituit præterea Rex*, inquit, *cum aduersarijs nauale prælium conserere, vt eos pelago submergeret, antequam terram occuparet: Habebat namque classem vberiorem, quàm Rex Francorum, vnde*, addit ille, *maximam securitatem concepit hostibus resistendi.* Vt hinc intelligas Ioannem istud feciſſe, non vt se muniret contra Philippum, cui tanta resistendi securitas in animo insidebat, sed potius vt tot peccata ab eo commissa, à Mathæo Paris, alijsque historicis proposita, expiaret. Mihi adhuc fortassè non credis? Audi ipsum Ioannem Regem hæc ipsa testantem in charta super hoc confecta, quam ad verbũ recitat idem Mathæus Paris. *Ioannes Dei gratia Rex Angliæ, &c. omnibus Christi fidelibus hanc chartam inspecturis, salutem in Domino. Vniuersitati vestræ per hanc chartam sigillo nostro munitam volumus esse notum, quod cùm Deum & matrem nostram sanctam Ecclesiam offenderimus in multis, & proinde diuina misericordiâ plurimùm indigeamus, nec quid dignè offerre possimus pro satisfactione Deo & Ecclesiæ debita facienda, nisi nosmetipsos humiliemus & regna nostra, volen-*

Matth. Paris in vita Ioan. anno 1213. pag. 224.

Ibidem pag. 225.

Idem ibid. pag. 225.

tes nosipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliauit vsque ad mortem, gratia sancti Spiritus inspirante, non vi interdicti, aut timore (nota) coacti, sed nostra bona, spontaneaque voluntate, ac communi consilio Baronum nostrorum conferimus, & liberè concedimus Deo, & sanctis Apostolis eius Petro & Paulo & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, & Domino Papæ Innocentio, eiusque Catholicis successoribus, totum regnum Angliæ, & totum regnum Hyberniæ cum omni iure & pertinentijs suis, pro remissione omnium peccatorum nostrorum, &c. Quæ si non sufficiant, accipe ampliùs quæ Anglus historicus idē Mathæus Paris enarrata Pandulphi Legati Apostolici ad eumdem Ioannem graui facta exhortatione, refert. *His auditis*, inquit, *ac medullitus intellectis, confusus est valde Ioannes Rex, & mente nimis perturbatus, videns vndique sibi periculum imminere. Erant enim quatuor causæ principales quæ ipsum ad pœnitentiam simul, & satisfactionem compulerunt. Prima quod iam per quinquennium excommunicatus permansérat, Deumque & sanctam Ecclesiam in tantum offenderat, quòd de salute animæ penitus desperabat.* Idem ibidē.

Anglum historicum audiuisti, en tibi Gallum offeram, qui breuiori stylo totam huiusmodi causam accuratè satis prosequitur. *Ioannes*, inquit, *Rex ad hoc infestus sacerdotibus ditionis suæ, simul ira succensus, quòd ob non receptum in sacram Cantuarien sem sedem Stephanum Pontificem declaratum, & ipse à Pontifice maximo cœtu piorum motus, & Angliæ sacrificijs penitus interdictus fuerat, diuitias templorum in vsum suum verterat, fulmen Pontificis, execrationes sanctorum despicere ferox animus poterat, vim numinis perspicuam tot rebus aduersis respicere coactus, nullas conditiones, nul-* Paul. Æmil. hist. Franc. lib. 6. in Philipp. August.

las leges à Pontifice, à sacerdotibus suis iniunctas, nulla luendi sceleris piacula imposita abnuit: Aduenientem Romanum Legatum obseruātissimè excepit, ad eius pedes regia insignia posuit. Priuatus & animo suspensus quis se tandem exitus maneret quinque dies egit, sexto vt ingens munus & prope desperatum beneficium à Romano accepit diadema, seque beneficiarium, Angliamque ac Hyberniam vectigalē sacrosanctæ potestatis professus, Stephanum reuerenter Pontificem agnoscere iussus, etiā quas facultates sacerdotum inuaserat ac septem annis egerat, tuleratq; reddere, &c. Quid amplius? Si nec tibi satis per hoc factum est, vt confusio per te huic indita historiæ pateat, scias velim necem Arturi, propter quam Philippus Augustus Normania, & Aquitania ex Parlamenti decreto contra Ioannem edito, potitus est, anno salutis 1202. contigisse: Angliæ vero regnum nonnisi anno 1213. in feudum Romanæ Ecclesiæ cessisse.

OBIECTIO.

pag. 120. *Legatus in Angliam profectus, accepta fide à Ioanne Rege venit in Galliam, ac decretū Pontificis Regi Philippo significat, non quidem vt hostes pietatis regno expelleret,* sed cū Rege Angliæ ad plenum componeret, & omnes terras eius sub interdicto concluderet. *Cui Philippus* respondit, se huiusmodi censuras non formidare, cùm nulla æquitate fulcirētur, neque ad Romanam Ecclesiam pertinere in Regem, maximè Francorum, per sententiam animaduertere.

RESPONSIO.

Quis verò hæc tibi suggessit? Quis author hæc emulgauit? Ex cuius historici relatione hæc desumpsisti? Caracteris diuersitas in textu à te posita, aliquem huius rei testem inuenit. Qualis ergo? Nunquid licitum erit ex cerebro talia confingere? Agedum ex probatis auctoribus videamus, quid post bellum ob Arturi mortem redintegratum inter Philippum Augustum & Ioannem Anglum, Innocentius Pontifex per Legatos egerit. Rigordus itaque probatissimus illius temporis scriptor de his agens. *Dum hæc*, inquit, *in Francia agebantur, Innocentius Papa 3. misit Abbatem de Casamarij ad Regem Francorum & Regem Anglia pro pace inter eos reformanda. Qui de mandato domini Papæ adiuncto sibi Abbate Trium fontium, mandatum Apostolicum utrique Regi proposuerunt, præcipientes, quòd conuocatis Archiepiscopis, Episcopis, totiusque regni Principibus, salua utriusque Regis iustitia, pacem facerent: & Abbatias monachorum, seu monialium & alias Ecclesias propter guerras eorum destructas, ad pristinum reformarent statum. Audito apud Meduntam huiusmodi mandato, in octauis Assumptionis B. Mariæ virginis, à Domino Rege, appellatione interposita, conuenientibus Episcopis, Abbatibus & Baronibus, ad examen summi Pontificis huiusmodi causam reuocauerunt.* At verò Paulus Æmilius etsi breuiùs, dilucidiùs tamen rem gestam prosequitur. Vbi enim ob Arturi mortem Ioanni Anglo diem dictum, & cùm neque adesset, neque excusaretur, hostem Francorum iudicatum, constitutumque eum videri excidisse iure vrbium, finiumque, quos beneficij nomine à Francis acce-

Rigord. de gest. Philipp. Augus. anno 1202.

pisset, enarrauit: tum demum hæc subiungit. *Odijs hominum, armisque Augustinoannes impar, fidem Innocentij Pontificis maximi per oratores implorat, fœdus, inducias pactas, insiurandum à Franco Rege violari dictitans. Extat Epistola eius Pontificis ad Patres Francos in libros iuris Pontificij relata, causam iurisiurandi non seruati ad cognitionem suam pertinere contendentis. Legati etiam Innocentij, velut in rem præsentem cùm venissent, vtrique Regi denũciauêre vt arma deponerent, pacemque templis darent, vter dicta aspernaretur, eius regno sacris interdici. Anglus lætus Imperio, se in auctoritate sacrosanctæ potestatis fore affirmabat. Francus certam sibi victoriam è manibus eripi indignum ratus, Pontificem maximum appellauit, interea ius suum persecuturus* Et hæc quidem Paulus Æmilius de Philippi Augusti responso: Quo equidẽ & Pontifici illum plurimùm detulisse, ipsum appellando, vt se à Legatorum sententia immunem redderet, nemo est qui non videat. Vnde ergo Simon huiusmodi Philippi responsum à se relatũ accepit? Quis credat Christianissimum illum Regem, qui teste Rigardo, *semper timebat offendere Ecclesiam Dei, & eius ministros* in hæc verba erupisse?

Paul. Æmil. hist. Franc. lib. 6. in Philipp. August.

Rigord. de gest. Philipp. August. anno 1209.

Obiectio.

pag. 120. *Non desunt historiæ quæ memorent Philippum de Papæ decreto ad futurum Concilium appellasse.*

Responsio.

Si quæ verò sint legitimæ, hæc enũtiantes, historiæ, vt quid eas reticuisti? Cur non in medium protulisti? Inuisibiles fortè sunt, inuisibilis hæreticorũ nostri tẽporis Ecclesiæ instar. Philippus equidem,

vt mox è probatis auctoribus vidimus, appellauit, non tamen ad futurum Concilium, sed ad ipsum summum Pontificem, non de Papæ decreto, sed de Legatorum sententia: Indeque factum est, vt auctore Rigardo, *Appellatione à Rege interposita, Episcopi, Abbates, & Barones conuenientes ad examen summi Pontificis huiusmodi causam reuocauerint.* Quod vtique non fecissent, si Rex ipse, vel à Pontificis decreto, vel ad futurum Concilium appellasset. Idem ibidē anno 1202.

OBIECTIO.

Si pro quolibet peccato Papa posset ad se temporalia reuocare, esset ius ciuile & gentium peruertere, atque omnem iurisdictionē ciuilem tollere. Etenim ratione peccati Coget, *vt ait glossa,* per consequentiam restituere feudum. pag. 122.

RESPONSIO.

Ita equidem glossa præcisa, quam tu recitas: Aliter verò integra, quam silentio præteris. Glossa ergo Innocentij textum exponens, quo se non intendere iudicare de feudo asserit, sic ait. *Directè scilicet, sed tantum ratione peccati & inducendo ad pœnitentiam, & sic per consequentiam cogit restituere feudum. Qualiter verò quæstio feudi tractari debeat, dicitur sup. eodem cap. Cæterum:* Vbi maximè notandum est cap. illud *Cæterum* ibidem allegatum. Illic enim cauetur, ne quandiu Dominus feudi est paratus facere iustitiam inter vassallos, & ipsi etiam parati sunt respondere sub eo, alius se intromittat de illa iurisdictione, sed semper coram Domino feudi causa illa tractetur. Et sic per hoc euidenter patet mens auctoris glossæ, dum ad illud caput lecto- Gloss. in cap. Nouit. ē. de iudicijs in verb. iudicare de feudo.

rem remittit. Nec obstat quod de coactione ad feudi restitutionem lõquitur glossa; Ad ea enim quæ paulò antè dixerat de inductione ad pœnitentiam referri debent. Quando enim Papa, vel quiuis Prælatus aliquem inducit ad pœnitendum de iniusta feudi detentione, quis dubitat quin eumdem si non directè, saltem indirectè eo modo cogat ad eiusdem feudi restitutionem? Aliter enim nec verè pœnitens, seu ad pœnitentiam inductus censendus esset, nisi iniustè ablata, seu detenta restitueret. Nec per hoc vllatenus legibus ciuilibus preiudicatur, cùm quæ ibi fiunt, interius potius forum, quàm exterius respiciant.

OBIECTIO.

pag. 122. *De Apotheosi seu canonisatione sanctorum, mihi illa ipsa, quæ aduersarius ex D. Thoma prõpsit, abundè sufficiunt.* Canonisatio sanctorum, *inquit*, medium est inter iudicium infallibile Papæ de rebus fidei, & iudicium fallibile eiusdem in causis ciuilibus, & criminalibus, seu, quod idem est, in quæstionibus facti. Quia tamen honor, quem sanctis exhibemus, quædam est professio fidei, qua sanctorum gloriam credimus, piè credendum est, quod neque etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.

RESPONSIO.

Quid inde? *Consequens est igitur* (tacendo asserit Simon) *iudicium Papæ in Canonisatione sanctorum, vel fallibile, vel saltem non omnino esse infallibile.* Itane? Miraris

Miratis fortè lector, quòd talem ex Simonis assertionibus consequentiam elicuerim. Quidni? cùm istud ausus minimè fuerit? Doctissimum Vallam reprehendit, eumque reprehendendo incidit in foueam, quam fecit. Nunquid verò, Simon, hæc tibi consequentia stomachum mouet? Si negas, tibi ergo probatur: Si annuis, ad quid ergo thesis à te posita, quam S. Thomæ auctoritate confirmare satagis? Vbinam quæso Angelicus ille doctor fallibilem in sanctorum Canonisatione Pontificem asseruit? Dixerat ille in eodem articulo, vnde citatum à te textum desumpsisti, *Certum esse, quòd iudicium Ecclesiæ vniuersalis errare in his, quæ ad fidem pertinẽt, impossibile est.* Deinde subiungit, *Quia honor, quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, piè credendum est, quod nec etiam in his iudicium Ecclesiæ errare possit.* Quid ergo? Si iudiciũ infallibile in his quæ ad fidem pertinẽt, & Canonisatio sanctorum ad fidem pertinet, nonne pari consequentia & illius iudicium erit infallibile? At, fortè inquies, S. Thomas non absolutè Canonisationẽ sanctorum ad fidem pertinere dixit, sed medium esse inter ea, quæ ad fidem, & ea, quæ ad particularia facta pertinent. Rectè equidem, imò rectius, quàm cùm in supra posita obiectione, ex tuo libro descripta, dixisti ex S. Thoma (quem, pace tua dixerim, non legisti, nec intellexisti) illam medium esse inter iudicium infallibile, & iudiciũ fallibile Papæ: Hoc enim non dicit. Rectè ergo, inquam, & ita in eo quod ad fidem pertinet, iam habemus iudicium Pontificis esse infallibile. Quod verò ad particularia facta, quæ sunt hominum attestationes,

S. Thomas quodlib. 9. quæst. vlt. art. vlt.

ſpectat, in quibus fortaſſè, vtpote quæ fallere poſſint, fallibilitatem reperiri poſſe aſtruis; Audi quid ipſe S. Thomas in ſua ad 2. arſ. reſponſione dicat. *Ad ſecundum*, inquit, *dicendum, quòd diuina prouidentia præſeruat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur.* Et ita ex S. Thoma conſtat iudicium Pontificis in ſanctorum canonizatione eſſe ad omnem modum infallibile.

Idem ibid.

OBIECTIO.

pag. 123. *Quomodo poteſt competere infallibilitas Pontifici in confirmandis religionibus, quando Innocentius de Cathedra reſpondens, plures admitti vetuit in Concilio Lateranenſi.*

RESPONSIO.

Cùm duo in omni religione conſiderentur, eſſentia nempe ipſa religionis, quæ in tribus votis eſſentialibus cõſiſtit, & determinatio illius ad certum modum viuendi: Etſi quoad primum, quod in Euangelio fundatur, ipſa religio Põtificis confirmatione non indigeat: quoad ſecundùm tamen, quod ex humana directione pendet, propter ius poſitiuum nouas religiones prohibens, iam indiget. Olim equidem primi illi religionum ſanctiſſimi auctores Antonius, Baſilius, Auguſtinus, & Benedictus nullam leguntur Apoſtolicæ ſedis approbationem nec quæſiiſſe, nec obtinuiſſe, eò quòd ius illud Eccleſiaſticum nondum extaret, & ſic vnicuique tunc liberum erat quamlibet inſtituere religionem. Conſiderans verò Innocentius 3. in generali Concilio Lateranenſi, periculum, quod toti imminebat Eccleſiæ, ſi vni-

cuique liceret nouam excogitare religionem, promulgato decreto prohibuit, non quidem, vt Simon asserit, ne plures admitterentur religiones, sed ne deinceps vllus nouus ordo institueretur absque sanctæ sedis Apostolicæ approbatione. Illius textus eiusmodi est. *Ne nimia*, inquit, *religionum diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cetero nouam religionem inueniat, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat.* Cui cõstitutioni titulus hic inditus reperitur, *Nouam religionẽ nõ licet constituere, sine auctoritate Romani Pontificis*, & glossa in illa verba nouam religionem. *Nam*, inquit, *nouum collegium non potest constitui inconsulto Principe ff. de colleg. illic. Leg. 3. sic nec noua dignitas sine auctoritate Papæ sup. de consuetud. cum olim & 22. dist. can. 2.* Quæ sanctio sacrosancta prorsus fuit, imò & Ecclesiæ necessaria, ob ea maximè quæ paulò ante circa ordinem Pauperum de Lugduno, multis admistis superstitionibus & hæresibus inquinatum, euenerant, quem Lucius 3. summus Pontifex, hæresis condemnatum, reprobauerat.

c. de religios. domib. cap. Ne nimia.

Gloss. ibidē in verb. Nouam religionem.

OBIECTIO.

Honorius nouas religiones admisit, quas iterum Gregorius ad Canonem Synodi Lateranensis reuocauit, & decreta Honorij improbauit, vel vt paulò antè dixerat, *multas religiones ab Honorio confirmatas reuocauit.*

pag. 124.

RESPONSIO.

Itane Gregorius Honorij decreta improbauit & religiones reuocauit? Audiamus quæso ipsum

Gregorium in generali Concilio Lugdunensi super hoc decernentem, ordinesque tantùm per sedem Apostolicam non approbatos reuocantem.

c. de religios. domib. in 6. cap. vnico. *Religionum*, inquit, *diuersitatem nimiam ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione vetauit. Sed quia non solùm importuna petentium inhiatio, illarum postmodum multiplicationem extorsit, verumetiam aliquorum præsumptuosa temeritas, diuersorum ordinum præcipuè mendicantium (quorum nondum approbationis meruêre principium) effrænatam quasi multitudinem adinuenit, repetita cõstitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero nouum ordinem, aut religionem adinueniat, vel habitum nouæ religionis assumat. Cunctas affatim religiones, & ordines Mendicantes, post dictum Concilium adinuentos, qui nullam* (nota) *confirmationem sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenus processerant, reuocamus.* Scio equidem in §. sequenti, de quibusdã alijs religionibus, etiam ab Apostolica sede approbatis, agere, quas tamen non vt præcedentes simpliciter reuocat, sed sub eo tantùm prætextu eas in posterum aliquem ad professionẽ recipere vetat, si ad congruam sustentationem nullos reditus, nullasque possessiones habeant. Adde quòd etsi improbatos à Gregorio X. quosdam ordines, priùs ab Honorio approbatos, concederemus, nihil tamen infallibilitati summi Pontificis præiudicaret, cùm non incõueniens sit, vt quæ vno tempore, tanquam bona sunt approbata, lapsu temporis deteriora reddita, reprobari possint. Honorius quasdam religiones, vtpote Ecclesiæ suo tempore maximè vtiles, approbare potuit, quæ multis posteà criminibus, vel superfti-

Ibidem §. confirmatos.

tionibus inquinatæ, tanquam eidē Ecclesiæ plurimùm nociuæ, à Gregorio decimo iure, meritoque reprobatæ fuerint, nec vterque propterea erasse dicendus erit, cum vterque, prout Ecclesiæ vtilitas suo tempore id postulabat, iudicauerit. *Regulæ ergo sanctorum Patrum*, vt rectè infert S. Gregorius, *pro tempore, loco, & persona, & negotio instante necessitate traditæ sunt.* S. Gregor.

Obiectio.

Longè alia mens est Melchiori Cano Dominicano, Theologiæ Professori in Hispania, qui nominatim ait Papam errare posse in confirmatione ordinum religiosorum. pag. 124.

Responsio.

Quinimmò Melchior ipse Canus non ita absolutè loquitur, vt asseris, nec Pontificem erroris arguit in ordinum confirmatione, sed eorum tātùm opinionem sugillat, qui quascumque nouas religiones, tanquam de cælo lapsas, amplectendas esse arbitrantur, eò quòd quædam fortè priuilegia à sede Apostolica extorserint. *Imbecillū*, inquit, *eorum argumentū est, qui ex huiusmodi priuilegijs, quæ his facilè temporibus, vel conceduntur, vel potiùs extorquētur, nouas religiones non aliter ac de cælo lapsas, excipiendas esse confirmant, eas quoque, quæ nullam regulam ex approbatis habēt, nullam, vel à suis editā profitentur. Nec eius generis priuilegia certa sunt sedis Apostolicæ iudicia, quib⁹ scilicet omnes fideles astringātur. Satis fuerit si eam auctoritatem habeant, quam Epistolæ decretales, quarum nonnullas constat à posterioribus meliore consilio refutatas, quoniā* (nota) *non ex firmo decreto, sed ex Pōtificum opinione prodierunt.* Melchior Canus de auctor. Concil. lib. 5. cap. 5. in fine.

DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

LIBER III.

Psalm. 41.

VORAGO iterùm voraginem vocat, vt habet Pagnina lectio. Sat Simoni non fuit, si ab ipso Pontifice summo, Monarchicum primatum, infallibilitatemque tolleret, nisi & quod vix antea (nisi fortè ab hæreticis, aut scismaticis) nec ipsis etiam Episcopis controuersum, disciplinæ scilicet Ecclesiasticæ directionem, eidem etiam inuideret, vt Imperatoriæ, vel Regiæ Majestati subijciat. *Si vel diuinarum seriem scripturarum*, ait S. Ambrosius, *vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? Allegatur*, addit, & alibi, *Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere: noli te extollere. Sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ.* S. Fulgentius. *Quantum*, inquit, *pertinet ad huius temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in sæculo Christiano Imperatore nemo celsior*

S. Ambros. epist. 32. vet. edit.

Idem S. Ambros. in epist. ad Marcellin. quæ est 33.

S. Fulgent. in lib. de verit. prædestin. & grat.

inuenitur. Prosper etiam. *Ipsis sacerdotibus*, inquit, *propria animarum curandarum sollicitudo commissa est, qui per Dei gratiam fiunt diuinæ voluntatis iudices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi duces.* Et post pauca. *Ipsi dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum.* Hinc in Capitularibus ex Synodo à sancto Bonifacio & Francorum Episcopis iussione Apostolica sub Carolomanno duce habita, excerptis, cautum repetimus. *Vt Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas prouidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundùm canonicam auctoritatem. Volumus vt & laici in eorum ministerio obediant Episcopis, ad regendas Ecclesias Dei.* Quod si Episcopis, quantò magis ipsi summo Pontifici licitum, cui regni cælorum claues datæ, cui pascendarum ouium cura commissa? Quid verò iam contrà Simon vrgeat, discutiamus.

S. Prosper l. de vita contempl. & act.

Capitular. l. 5. capit. 114.

Obiectio.

Abiathar non solum missus in exilium à Salomone fuit, sed & sacerdotali dignitate priuatus, ait enim scriptura, & Sadoc posuit sacerdotem pro Abiathar *reg. 3. cap. 2.* pag. 125.

Responsio.

An non sacerdotalis dignitatis priuatio spiritualis pœna, alteriusq; sacerdotis in deiecti locum substitutio spiritualis potestas tibi esse videtur? Vnde ergo Salomon in istis spiritualibus se negotijs immiscuit? Salomon certè duplici titulo & Regis & Prophetæ gaudens, plura fecit, quæ miranda potiùs, quàm imitanda forent. Si ergo vt

Rex, Abiatharem eiecit, potestatis suæ modum sine dubio excessit: Nec enim Rex pœna spirituali sacerdotem punire, nec se in spiritualibus, sed tantùm in temporalibus immiscere potest. Quòd si tanquam Propheta egit, ex peculiari Spiritus sancti instinctu idipsum præstitisse credendũ est. Nec illud sacræ scripturæ refragari videtur, quæ immediatè post enarratam Abiatharis deiectionem hæc addit, *Vt impleretur sermo Domini, quem locutus est super domum Heli in Silo*, seu potius vt habet verbum Hebraicum, quod est actiuæ significationis, *ad implendum, siue vt ipse Salomon impleret sermonem Domini*, &c. Si ergo vt Prophera, da mihi Prophetam Regem & tunc plura ei licere, quæ alias non possit, libenter concedam. Adde mihi non probari Simonis cõsequentiam, qua ex eo, quod scriptura dicit Sadocum positum sacerdotem pro Abiathare, infert ipsum Abiatharem sacerdotio priuatum fuisse. Sicut enim nec Sadoc à Salomone sacerdos factus est, quippe qui iam à Dauidis tempore, vnà cum eodem Abiathare sacerdotio fungebatur, vt ex pluribus scripturæ locis & ex Iosepho & Sigonio patet (vnde ambo reportandæ arcæ sub eodem Dauide, & ipse Sadoc tabernaculo præfuisse in Silo legitur) sic nec Abiathar sacerdotio priuatus fuit: Sed cùm ciuiliter mortuus per relegationem esset, nec sacerdotio fungi in templo posset, solus Sadoc sacerdotio fungens pro Abiathare positus refertur. Et ita qui secundum duntaxat in sacerdotio locum obtinebat, iam per Abiatharis relegati absentiam primũ sibi vendicare cepit. Hinc enim Iosephus Σαδδουκ

3. Reg. 2.

2. Reg. 15. 17. 19. Ioseph. lib. 10. Antiquit. Sigon. de republ. Hebræ. lib. 5. cap. 2.

Ioseph. lib. 8. Antiquit. cap. 1.

Ἀπολεῖ μόνον ὁ βασιλεὺς εἰς τὸ ἀδιαδόχου τόπον ὃν μετέστησατο. Sadoc, inquit, *solum Rex fecit sacerdotem, in locum Abiatharis, quem remouit.* Si igitur tantùm post Abiatharis exilium, solus factus fuisse sacerdos Sadoc narratur, ergo antea & sacerdos, sed non solus fuisse colligitur, sicque non simpliciter sacerdos à Salomone, sed solus duntaxat Sadoc factus sacerdos fuit.

OBIECTIO.

Certum est Machabæum de Encenijs celebrandis tanquam principem, non vt Leuitam edixisse. pag. 125.

RESPONSIO.

Imò certo certius est ipsum Iudã Machabæum, qui non solum Princeps, sed & summus Pontifex fuit, vtpote (si Genebrardo credimus) genere paterno de tribu Regia, materno Leuina oriundus, quẽque Iudæi, vt notat Kimhi in Aggæum, arbitrãtur eo nomine adeptum fuisse summum sacerdotium, quod esset de tribu Leui: Certũ, inquam, est illum ea, quæ dignitatis Pontificiæ erant, vt Pontificem, sicut & ea quæ secularis principatus, vt Principem exercuisse. Quando ergo Ecclesiasticam de Encænijs celebrandis legem edixit, id non vt Principem, sed vt summum Pontificem fecisse, par est credere, sicut & quando sacerdotes sine macula elegit, vt notat Machabæorum liber. Genebrard. lib. 2. Chronolog. in Mathatia. Kimhi in Aggæ. 1. Machab. 4.

OBIECTIO.

Baronius criminatur Iustinianum fuisse sacrilegum, rerum diuinarum inuasorem, & falcem in messem alienam iniecisse. pag. 126.

RESPONSIO.

Etsi Baronius Iustinianum à pluribus criminatum dixerit, eorum tamen opinioni absolutè nequaquam inhæsit, quin multa potiùs pro eius defensione proposuit. *Quod igitur*, inquit, *frequentissimæ sint leges de rebus sacris, Ecclesiasticisque personis ab eodem Imperatore sancitæ, non immeritò à compluribus arguitur quasi rerum diuinarum inuasor, dum diuinis se immiscuit, qui humanis tantùm præfectus esset rebus. Verùm ad eius excusationem multa sunt quæ possunt afferri, atque primùm illud accipe de his consilium eius. Quòd enim ipse vidisset, plurimisque exemplis patefactũ intellexisset, nullam esse Ecclesiasticorum canonum obseruationem, cùm imperassent Principes fidei Catholicæ minimè studiosi, animo perduelles, vt fuêre Zenon, Basiliscus & Anastasius, sed hæreticorum arbitrio cuncta esse permissa miscerì, atque confundi, sed & euenisset interdum vt Constantinopolitanæ Ecclesiæ hæretici Antistites præsiderent, penes quos nulla penitus esset Canonum ratio, sed studium tantùm priuatæ fortunæ. Hæc, inquam, ipse considerans, illud sibi arrogandum putauit (quod alias inconcessum videri posset) vt plures de rebus & Ecclesiasticis personis ederet sanctiones, quibus coërceri possent infrænes hæretici, & petulantes schismatici cohiberi, atque soluti disciplina restringi.* Et post pauca. *Quibus & illud haud incongruum fortasse quis adiyciet, quod cùm ipse homo fuerit penitus illiteratus, adeo vt nec alphabetum aliquando didicisset, cuius rei gratia (vt inquit Suidas) dictus est Analphabetus, cùmque à Triboniano iuris consultissimo, cuius potissimum opera in sanciendis legibus vtebatur, Ethnicus esset, par est credere omnes Ecclesiasticas Iustiniani constitutiones Epiphanij fuisse Con-*

Baronius ad annum 528. numer. 1. 2.

ſtantinopolitani Epiſcopi, & eius, qui in locum ipſius Mena ſucceſſit, quas libentius edi illi voluerunt nomine ipſius Imperatoris, vt validioris obſeruantiæ eſſent, &c. Vt hinc pateat ipſum Baronium pro Iuſtiniani defenſione plurimùm elaboraſſe. Quin & paulò poſt ex eiuſdem Imperatoris Nouellis ampliſſimè probat ipſum *In ſanciendis hiſce decretis, non tantam ſibi vendicaſſe auctoritatem, vt ſe diceret de rebus, perſonisue ſacris agere Imperatoria poteſtate, ſed potius ex ſacrorum præſcripto Canonum, vt planè ſe in his non earum legum conditorem, ſed ſanctorum Canonum ſe duntaxat præ ſe ferret executorem, atque cuſtodem.* Vnde & Ioannes Papa ex eiuſdem Imperatoris legatorum relatione teſtatus fuerit, ea, quæ de fide idem Imperator promulgaſſet edicta, ex Epiſcoporum cõſenſu facere conſueuiſſe. Ex quibus omnibus tandem ita concludit. *Sic igitur cum in his tradendis tum ipſe, tum alij etiam Imperatores, non aliud niſi cuſtodes, & executores ſanctorum Canonum ſe habuerint, nihil planè eſt, vt ab ipſis promulgatæ reprobari debeãt ſanctiones.* Ad quid ergo Simon hæc in Baronium deliria effutit?

Idem ibid. numer. 6.

Ibid. num. 6.

OBIECTIO.

At quàm aliter de Iuſtiniano, eiuſque conſtitutionibus pro diſciplina Eccleſiaſtica antiqui ſenſerint Pontifices, & Epiſcopi, docet Agatho & Concilium generale Eccleſiarum Occidentalium, in Epiſtola ad Cõſtantinum Pogonatum 4. act. Concilij in Trullo tomo 2. Conciliorum.

pag. 126.

RESPONSIO.

Quid verò hæc in Baronium proferre proderit,

quæ pro eodem Iustiniano idem Baronius non præterijt, sed fusissimè cùm de eodem Imperatore ageret, enarrauit: In cuius commendationem & S. Gregorium Pontificem adducit, qui pluribus in locis piæ memoriæ Iustinianũ Imperatorem nominat, & aliam insuper eiusdem Agathonis Epistolam ad Heraclium, & Tiberium Imperatores Roma ex Synodo centum viginti quinque Episcoporum scriptam profert, vbi post prædicatam Theodosij magni, atque Martiani fidei Catholicæ præstantiam, hæc de Iustiniano infert. *Sicut*, inquit, *extremi quidem, præstantissimi tamen omnium magni illius Iustiniani, cuius vt virtus, ita & pietas omnia in meliorem ordinem restaurauit, cuius instar fortissimæ vestræ clementiæ principatus, virtutis quidem conatibus rempublicam Christianam tuetur & restaurat in melius, pietatisque studijs Catholicæ succurrit Ecclesiæ.*

Baron. ad annum 565. numer. 3.

OBIECTIO.

pag. 126. *Sed & ius Canonicum eum maximè commendat, ob edictum circa disciplinam Ecclesiasticam, can.* De illicita. 24. *quæst.* 3. De illicita excommunicatione lex Iustiniani Imperatoris Catholici, quam probat & seruat Catholica Ecclesia, decernit, &c.

RESPONSIO.

Audi quid super hoc Baronius, quem tu incusas, pro Iustiniani defectione edisserat: *Minimè*, inquit, *mirari quis debet, vel scandalum vllum pati, quòd saecularis principis vigeant eiusmodi leges. Quæ enim iusta, rectaque sancita nouit Ecclesia, minimè respuere consueuit, sed ea suis legibus & decretis probat, etiamsi eorum non*

Baron. ad annum 528. numer. 8.

Christianus princeps, sed Diocletianus fuerit promulgator, vel quuis alius persecutor Ecclesiæ: secus verò si quid minimum aduersus sacras leges, ac bonos mores ab eis præscriptum sit, omnibus iure reclamantibus, atque dicentibus: oportet magis obedire Deo quam hominibus. Hinc itaque eiusmodi Iustiniani constitutio, cuius citatus Canon mentionem facit, in Parisiensi Synodo probata, promulgataque reperitur. can. De illicita. 24. quæst. 3.

OBIECTIO.

Iustinianum Ecclesia pro orthodoxo semper habuit post obitum suum. pag. 127.

RESPONSIO.

Etsi humanæ non sit facultatis diuinis interesse iudicijs, ac de illis omnino nefas sit iudicare: Cùm tamen, quæ de defunctis irreuocabilis pronuntiata est sententia, *Opera illorum sequuntur illos*, de Iustiniani iudicio, eius opera considerando, nonnihil asserere indulgeat: Nũquid eum post obitum pro orthodoxo habẽdum dicemus, quem non solum immensitas sacrilegiorũ (quando nempe in Christos Domini sanctos Episcopos Vigiliũ Romanũ Pontificem, & Euthychium sanctissimum Constantinopolitanum Antistitem violentas manus iniecit) sed & in hæresim paulò antè mortem lapsus, tãtopere fœdauit. Ac de hæresi quidem eius, vt quæ circa Vigilium, Euthychiumque peracta sunt, prætereamus, hæc illius tẽporis scriptores literis prodidêre. *Iustinianus*, inquit Euagrius, *rectam dogmatum viam auersatus, diuerticulumque Apostolis, & Patribus incognitum ingressus, edictum, sicut Romani vocant, conscripsit, in quo corpus Domini incorruptibile vo-* Apoc. 14. Euagr. lib. 4. hist. Eccles. cap. 29.

cauit, naturaliumque & inculpatarum passionum haudquaquam capax fuisse dixit, sic Dominum ante passionem comedisse, quemadmodum post resurrectionem manducauit, nec sacrosanctum illius corpus aliquam mutationem, aut alterationem inde ab eo, quo in vtero formatum est, neque inuoluntarijs, neque in naturalibus passionibus, ne post resurrectionem quidem accepisse, asserens, cui opinioni Sacerdotes passim consentire coëgit. Eustathius autem vitæ S. Euthychij auctor. *Iustinianus*, inquit, *nescio quo auctore, & magistro cepit execrabilẽ, ac detestandam, & perniciosam opinionem illam sub specie religionis probare, quæ Domini nostri Iesu Christi corpus ex ipsa diuinitatis coniunctione incorruptum asserebat, quæ quidem vt cancer serpens, atque depascens totum propè orbem perdidisset, nisi noster Phinees anteuertans restitisset.* Quibus adstipulatur & Procopus, eiusdẽ etiam temporis scriptor, necnon & Nicephorus, licet hic eum excusare contendat. Quid autem, iusto Dei iudicio, eidem Imperatori tũc acciderit, cùm plura in Ecclesiam, orthodoxosque Episcopos meditaretur, accipe ex eodem Euagrio. *Iustiniani*, inquit, *edictũ, diuina prouidentia, qua melius nobis prospectum fuit, minimè vulgatum est. Nam Iustinianus, qui Anastasio & suis Sacerdotibus exilium indixerat, ex improuiso perculsus, cùm triginta octo annos, & menses octo regnasset, ex hac luce migrauit.* Nicephorus quoque; *Iustinianus*, inquit, *cum Anastasij, Sacerdotumque eius, qui eodem cum illo ardore flagrabant, exilij libellum dictaret, inuisibili ictus plaga, ex hac vita excessit.* Quod verò post mortem iudicium, & qua de causa idem Imperator expertus fuerit, Euagrius sit prosequitur. *Iustinianus igitur*, inquit, *cùm omnia omnino turba, ac tu-*

Eustath. auctor vitæ S. Euthyc. apud Sur. tom. 2. die 6. April.

Procop. in Iustinia. Niceph. libr. 17. cap. 29.

Euagr. lib. 4. hist. cap. 40.

Nicephor. lib. 17. hist. cap. 31.

Euagr. lib. 5. histor. cap. 1.

multeu cõpleuiſſet, mercedémque his debitam in extremo vitæ ſuæ tempore reportaſſet, ad ſupplicia, iuſto Dei iudicio apud inferos luenda, profectus eſt.

OBIECTIO.

Quid memorem Patres Africanos ſæpe poſtu- pag. 127.
lauiſſe ab Imperatoribus, vt leges de diſciplina Eccleſiaſtica conſcriberent, can. Africanor. Concilior. 26. 27. 28. 29. 30. 32. & multis alijs.

RESPONSIO.

Numquid aliquando eoſdem Canones Africanos, quos nobis venditas, perlegiſti? Crederem equidem, ſi aliqua, vel leuis in ipſo eorumdem, quos tu allegas, contextu Imperatorum mentio haberetur. Cùm autem ex Iuſtello viro vtique doctiſſimo, etſi à Catholica religione alieno, qui eos collegit, pateat, non niſi Epiſcopos in Concilijs Africanis congregatos in ijs ſanciendis laboraſſe, ad quid figmentum huiuſmodi à Simone nobis obſtruſum? Quod vt magis eluceſcat, libet ex eorum contextu nonnihil excerpere. Ac Can. quidem 25. per ea quæ habentur verba, quis ſit qui decernat ſatis liquet. *Aurelius*, inquit, *Epiſcopus dixit. Addimus, fratres chariſſimi, præterea, cùm de quorundam clericorum quàmuis lectorum, erga vxores proprius incontinentia referretur, placuit quod & in diuerſis Concilijs confirmatum eſt*, &c. Et in fine. *Ab vniuerſo Cõcilio dictum eſt, quæ veſtra ſanctitas eſt iuſtè moderata, & ſancta & Deo placita ſunt cõfirmamus.* Cõcil. Afric. à Iuſt. collect. can. 25.

Can. 26. *Item placuit vt rem Eccleſiæ nemo vendat, quòd ſi redditus non habet, & aliqua nimia neceſsitas cogit, hoc inſinuandum eſſe Primati prouinciæ ipſius, & cum ſtatuto numero Epiſ-*

porum vtrum faciendum sit arbitretur. Quòd si tanta vrget necessitas Ecclesiæ, vt non possit ante consulere, saltem vicinos testes conuocet Episcopos, curans ad Concilium omnes referre suæ Ecclesiæ necessitates, quòd si non fecerit reus Deo, & Concilio venditor, honore amisso, teneatur.

can. 27. Can. 27. Item confirmatum est, vt si quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua grauiori culpa conuicti fuerint, &c. non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus clericis imponatur, &c.

can. 28. Can. 28. Item placuit, vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in causis, quas habuerint, si de iudicijs Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos cum consensu sui Episcopi audiant, &c. quòd si & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent à transmarina iudicia, sed ad Primates suarum Prouinciarum, aut ad vniuersale Conicilium, &c.

can. 29. Can. 29. Item placuit vniuerso Concilio, vt qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, &c.

can. 30. Can. 30. Item placuit, vt accusatus, vel accusator in eo loco vnde est ille qui accusatur, locum sibi eligat proximum, &c.

can. 32. Can. 32. Item placuit, vt Episcopi, Presbyteri, &c. qui nihil habentes ordinãtur, &c. tanquam rerum Dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti in Ecclesiam eadem ipsa contulerint. In his ergo Canonibus sanciendis sicut Africani Patres, nec Imperatorũ quidem meminerunt, sic nec ab eis postulasse, vt leges de disciplina Ecclesiastica conscriberent, par est credere. Scio equidem cùm non tantùm de ijs, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam, sed & quæ ad ciuilem politiam pertinerent, ageretur, vel vt Ecclesiastici sibi indultis ab Imperatoribus priuilegijs, absque vllo impedimento gauderent, ipsos Patres per Legatos Imperatorum auxilium, fauoremque implo-

imploraſſe. Ita, ſicut idem annotauit Iuſtellus, in Concilio Cathaginenſi anno 399. celebrato, legationem ſuſceperũt Epigonius & Vincentius Epiſcopi. *Vt pro confugientibus ad Eccleſiam, quocumque reatu inuolutis, legem de glorioſiſſimis Principibus mererentur, ne quis eos auderet abſtrahere.* Et in alio Concilio anno 401. coacto, alia legatio ad Imperatores deſtinatur. Vt *reliquias idolorum* (inquit Canon 58.) *per omnẽ Africam iubeant penitus amputari.* Can. item 59. *Vt ſi qui fortè in Eccleſia quamlibet cauſam iure Apoſtolico Eccleſijs impoſito agere voluerint, & fortaſſe Deciſium Clericorum vni parti diſplicuerit, non liceat Clericum in iudicium ad teſtimonium deuocari eum, quia cognitor, vel præſens fuerit.* Can. 60. *Vt quia contra præcepta diuina conuiuia multis in locis exercentur, quæ ab errore gentili attracta ſunt, ita vt nunc à Paganis Chriſtiani ad hæc celebranda cogantur, ex qua re temporibus Chriſtianorum Imperatorum perſecutio altera fieri occultè videatur, vetari talia iubeant,* &c. Et Can. 61. *Necnon & illud petendum, vt ſpectacula theatrorum cæterorumque ludorum die Dominica, vel cæteris religionis Chriſtianæ diebus celeberrimis amoueantur,* &c. Item Can. 62. *De Clericis damnatis, vt non liceat eos à quolibet homine defenſari.* Can. 63. *De hiſtrionibus Chriſtianis factis, vt nõ eos liceat à quoquam iterùm ad ea exercenda reduci, vel cogi.* Quæ quidem omnia ad diſciplinam Eccleſiaſticam abſolutè non pertinent, ſed potiùs ad ciuilem politiam, cuius equidem directio Imperatori cõgruit. Quòd ſi fortè in quibuſdã ſanctionibus quæ merè ſunt Eccleſiaſticæ, Imperator etiam conſultus reperiatur, nihil mirum, tunc enim non tanquam illius ſanctionis auctor, ſed tanquam cuſtos, & exe-

Iuſtell. in Cod. canon. Afric. in Concil. Carthaginẽſ. anno 399.

Idem ibid. in Concil. Carthaginẽſ. anno 401. can. 58.

can. 59.

can. 60.

can. 61.

can. 62.

can. 63.

cutor duntaxat assumitur, vt nempe pro auctoritate sibi à Deo commissa agat, vt quæ ad honorem Dei, & Ecclesiæ vtilitatem, à potestate in Ecclesia habentibus, sunt decreta, executioni mandentur.

OBIECTIO.

pag. 127. *Quid & Gregorium idem rescripsisse ad Regem Galliæ Theodebertum in registro Epist.* 114. Quidquid ad Ecclesiarum reuerentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoscitur sacerdotum & studiosè statui, & velitis in omnibus custodiri. Vnde iterum vos pulsamus, vt cõgregari Synodum iubeatis & sicut dudum scripsimus carnalia in sacerdotibus vitia, & simoniacæ hæresis prauitatem omnium Episcoporũ damnari atque argui, & vestris amputari finibus faciatis.

RESPONSIO.

Isai. 46. *Redite*, inquit Propheta, *præuaricatores ad cor*: Vt quid præcisa S. Gregorij verba, non autem integra nobis obtrudis? Quia certè ea minùs tuæ opinioni fauere perspexisti, ideo illa tibi libuit non capite tantùm, sed & ventre minuere, quod inauditum planè est præuaricationis genus. Quidni capite, sicut & ventre minuta dixerim, à quibus ea, quæ scribentis intentionem ab ipso scripturæ initio designabant, non abstuliſti tantùm, sed & in media eorum sententia, quæ non ipsius Regis, sed Episcoporum decreto damnanda dicebat S. Gregorius, erasa, *definitionis*, verbo, germa-

no ſenſu priuata reddidiſti. Agedum ergo ex ipſo proprio S. eiuſdem Gregorij contextu, in ſua ad Theodoricũ (non Teodebertũ) Epiſtola, quæ eſt numero non 114. ſed 53. lib. 9. Simonis præuaricationem demonſtremus. *Quoniam*, inquit, *adhortationem noſtram adeò regijs animis veſtris per laudis præ-* S. Greg. lib. 9. epiſt. 53. indict. 4. *dicamenta placuiſſe ſignaſtis, vt quidquid ad Dei noſtri cultum, quidquid ad Eccleſiarum reuerentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoſcitis ſacerdotum, & ſtudiosè ſtatui, & velitis in omnibus cuſtodiri: Iterata vos pro veſtra magna mercede adhortatione pulſamus, vt congregari Synodum iubeatis, & ſicut dudum ſcripſimus corporalia in ſacerdotibus vitia & ſimoniacæ hæreſeos prauitatem, omnium Epiſcoporum* (nota) *definitione, damnari, atque de regno veſtro amputari faciatis.* Quid ergo? Nonne S. Gregorius ex ſibi reſcripta à Theodorico Rege Epiſtola, impenſè affectum erga Dei cultum, Eccleſiarum reuerentiam, & honorem Sacerdotum, illius Regis commendans animum, ab eo cuncta, & non potius ab Epiſcopis, decernenda pronunciauit? Quod autem de Synodo habetur, ad ea vtique, quę in alia Epiſtola ad eumdem Theodoricum & ad Theodebertum Francorum Reges ſcripta, dixerat, ſunt referenda, vbi hęc inter alia. *Qua de re*, inquit, *vt magnum omnipo-* Idem lib. 7. epiſt. 114. indict. 2. *tenti Deo munus valeatis offerre, Synodum congregari præcipite. In qua ſicut fratribus, Coëpiſcopiſq; noſtris mandauimus, præſente dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate, ſub anathematis debeat obligatione conſtitui, nullum pro Eccleſiaſtico ordine, aliquid vnquam dare, nullum accipere.* In qua nempe Synodo Epiſcoporũ, non autem Regis, definitione (vt in Epiſtola ſuperiùs

citata dictum est) cuncta quę ad Ecclesiasticam disciplinam spectabant, erant decernenda.

OBIECTIO.

pag. 127. *Vnde Carolomanus lib. 5. Capitular.* Per consilium sacerdotum & optimatum meorũ ordinauimus per ciuitates Episcopos, statuimusque per annos singulos Synodum cõgregari, vt nobis præsentibus Canonum decreta & Ecclesię iura restaurentur. & Christiana religio emendetur. Falsos autẽ Presbyteros & Diàconos & Clericos degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus.

RESPONSIO.

Itane Carolomannus, qui non Rex, sed Princeps duntaxat, Austrasiam, Turingiamque administrans, tunc erat, ordinandi per ciuitates Episcopos, Synodos congregandi, Presbyteros degradandi, & ad pœnitentiam cogendi, ius potestatemq; habuit? Quo iure? Vbi scriptum? Quintum Capitularium librum allegas, quem fortè non legisti. Si enim legisses, ea vtique, quæ Carolomanno tribuis, Synodo potius auctoritate Apostolica congregatæ tribuenda intellexisses. Mihi non credis? Ad quid ergo Zachariæ Pontificis, à S. Bonifacio pro huiusmodi cogenda Synodo, auctoritas requisita? *Notum sit Paternitati vestræ*, ait Bonifacius ad Zachariam scribẽs, *quod Carolomannus dux Francorum me accersitum ad se rogauit, vt in parte regni Francorum, quæ in sua est potestate, faciam*

Baronius ad annum 741. numero 24.

Synodum congregari, & promisit se de Ecclesiastica religione, quæ iam longo tempore, id est, non minùs quàm per sexaginta, vel septuaginta annos calcata & dissipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter si hoc Deo inspirante, veraciter emendare voluerit, cōsilium & præceptum vestræ auctoritatis habere debeo. Et post pauca enarratis quibusdam, quæ corrigēda forēt, hęc addit, *Nam si per verbum vestrum hoc negotium, duce rogante supradicto, renouare & corrigere debeo, præceptum & iudicium Apostolicæ sedis cum canonibus Ecclesiasticis præsto habere cupio.* Ad quid & ipsius Zachariæ Pontificis Epistola Francis & Gallis directa, quę huius Synodi decretis prępositа legitur? Vbi hæc inter alia: *Referente nobis*, inquit, *reuerendissimo atque sanctissimo fratre nostro Bonifacio Episcopo, quod dum Synodus congregata esset in prouincia vestra, iuxta nostram commonitionem, mediantibus filijs nostris Pipino & Carolomāno Principibus vestris, peragente etiā vice nostra Metropolitano Bonifacio.* Ad quid titulus huiusmodi eidē Synodo præfixus? *Synodus cum actibus suis, iussione Apostolica à sancto Bonifacio & Francorum Episcopis, sub Carolomanno duce habita anno Incarnationis Dominicæ* 742. Ad quid denique Benedicti Leuitæ, qui eadem Capitula collegit, talis in sua prefatione assertio? *Est*, inquit, *in fronte primi libelli posita Zachariæ Papæ Epistola omnibus Episcopis, ac reliquis Ecclesiastici ordinis gradibus, & cunctis Ducibus, atque Comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias & Francorum prouincias constitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur duo Synodales Conuentus, quos sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ legatus Bonifacius, memoratæ Moguntiacensis Ecclesiæ Archiepis-*

Habetur hæc epist. ante lib. 5. Capitular.

lib. 5. Capitular. cap. 2.

Benedict. Leuit. Præfat. in lib. 5. Capitular.

copus, vice supradicti Zachariæ Papæ, vnà cum Carolomanno Francorum principe Canonicè tenuit, vt omnes agnoscant, hæc prædictorum Principum Capitula, maximè Apostolica auctoritate fore firmata. Hinc ergo firmiter teneas, cùm verba ordinamus, statuimusque audieris, non esse Carolomanni, sed Synodi ipsius, eodem presente celebratæ, verba.

OBIECTIO.

pag. 127. *Carolus Magnus Romæ degens, vbi erat Papa,* ordinatis Romanæ vrbis & totius Italiæ non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis negotijs. *Regino lib. 2.*

RESPONSIO.

Non tantùm publicis, inquis, *sed etiam Ecclesiasticis negotijs.* Quid ergo, anne Ecclesiasticum publico opponitur? Nũquid & Ecclesiastica negotia inter publica negotia cẽseri non debẽt? Reginonis textus vtique per te est nõnihil immutatus: Quædam enim habet, quę tu omisisti. *Ordinatis,* inquit Regino, *non tantùm publicis, sed etiam Ecclesiasticis priuatis negotijs.* Vbi certè eum non de publicis Ecclesiæ negotijs, sed de priuatis duntaxat, loqui credẽdum est. Quomodo enim Carolus ille Magnus Romæ degens in ipsius summi Põtificis Leonis 3. præiudicium publica Ecclesię negotia decernẽda suscepisset, qui eodem tempore, vt ex ipso Reginone constat, Imperij coronam ab eodẽ Romano Pontifice acceperat? *Anno,* inquit, 801. *cùm Rex ipse die natalis Domini ante Confessionem S. Petri ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit,* Nisi fortè dixeris publica ista negotia, ideo à Ca-

Regino Chron. lib. 2. anno 801.

Idem ibid.

rolo ordinata dici, quòd eo presente tractata atq; executioni mandata fuerint. Mihi tamen magis arridet, vt per Ecclesiastica ista priuata negotia Regino ea intelligat, quę pro vindicando contra infestos persecutores Leone Pontifice, idem Carolus eodem tempore Romæ egit. Postquã enim his verbis ea Regino enarrasset. *Post paucos dies*, inquit, *iussit eos qui anno superiore Pontificem deposuerant exhiberi, & habita de eis quæstione, secundum legem Romanam, vt maiestatis rei, capitali sententia damnati sunt, pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem interceßit.* Satim illa ipsa quæ suprà citata sunt in obiectione verba subiungit.

Obiectio.

D. Ludouicus Regis nostri Auus pragmaticam scripsit in Simoniacos, quam exequendam magistratui sæculari mandauit. pag. 129.

Responsio.

Vnde verò tibi hæc D. Ludouici Pragmatica innotuit? Quis illius sæculi author eam euulgauit? Si officiorum venditio Simoniam nuncupes, eam certè D. ipse Ludouicus promulgata lege cohibuit, quod tamen de sacerdotiorum venditione factum ab eo non reperitur. Guillelmus Nangiacus ipsius edicti verba referens, *Eos sanè*, inquit, *qui præposituras, aut vicecomitatus, vel alias Bailliuias tenuerint, alijs ea reuendere prohibemus.* Idem quoque habet Ioannes Ionuillæ dominus, necnon Guliel-mus Carnotensis eiusdem S. Ludouici Capellanus in eiusdem sancti vita. Paulus Æmilius. *Ambitum*, inquit, *coercuit; decuriæ, honoresque in sua cu-*

Guiliel. Nangiac. de gest. S. Ludouici anno 1256. Ioann. Ioinuill. in vita S. Ludouici. Guiliel. Carnot. in vita S. Ludouici. Paul. Æmil. hist. Franc. in vita S. Ludouici.

iusque ciuitate largitionibus parari ceperant: hunc morem graui edicto soluit, sibi primum imperans, quod virtuti, meritisq; deberetur, fortunæ, auro-ve non dari. Guaguinus. *Cum Parisium,* inquit, *venisset Ludouicus, Conuentu generali habito rempublicam reformauit, statutis optimis legibus de iure à iudicibus dicendo, & de officijs non emendis.* Et post pauca. *Per id tempus Præfectura apud Parisios venalis habebatur, hanc venalitatem Rex prohibuit, constituto annuo stipendio ei, qui præfectus esset.* Ioannes Tillius, *Magistratuum ambitum & sordes coercuit: honorum dignitates illis non erant venales, neque ausi fuissent in toto iurisdictionis tractu aut fundos emere, aut sacerdotia liberis accipere.* Ita ergo D. Ludouicus super officiorum venditione edixit: Quoad beneficia autem minimè. Scio equidem Fragrium in sua textus Concordatorum post Pragmaticam sanctionem editione Lugduni anno 1538. Necnon & Rebuffum in suis ad eadem Concordata notationibus Parisijs anno 1551. editis, Pragmaticam quandam contra Simoniacos sub eiusdem S. Ludouici nomine citare, sed quàm malè sibi inuicem eorumdē authorum testimonia cohæreant, vt veram eam esse Pragmaticam quis existimare possit, inde conijcias licet, quòd Fragrius datam illam anno 1228. Rebuffus autem anno 1268. asserunt. Adde mirum mihi videri, vnde istud acciderit, vt inter tot grauissimos scriptores, qui eiusdem sancti Ludouici vitam, etiam per annos singulos prosecuti sunt, ne vnus equidem reperiatur, qui Pragmaticæ istius vel leuem fecerit mentionem. Perlegas licet Ioannem Ionuillæ dominum, mira eidem sancto Regi familiaritate deuinctum, Gau-

Guaguin. in vita S. Ludouici.

Ioan. Tillius in Chronic. anno 1256.

Fragr. in fine textus Concordator.

Rebuff. in annot. ad Concord.

fridum de Bello loco illius Confessorem, Guilielmum Carnotensem eiusdem Capellanum, Guilielmum Nangiacum eodem sæculo scribentem, nec vllum tamen verbum de Pragmatica illa prolocutos eos reperies. Vnde vix crederem sanctissimum istum Regem in sacerdotes legem aliquam ferre voluisse, qui nec se collationibus Sacerdotiorum immiscere volebat, dicens, referente Genebrardo, *Sat mihi est coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam de spiritualibus rationem reddere.* Adeò vt etiam, teste Broimardo, cùm ei aliquando Pastores instituendi à summo Pontifice potestas data fuisset, & ad id Legatus eius Roma rediens diploma attulisset, eidem Legato dixerit. *Quod meâ Romæ negotia strenuè obieris, laudo: quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo: Intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ & regni hoc susciperem, protinusque diploma in ignem proiecit.*

Genebrard. Chronolog. lib. 4. in Alexandr. 4. ex libell. virga direction. pag. 32.

Broimard. Cãcel. in vita S. Ludouici.

OBIECTIO.

Theodosius & Valentinianus Episcopos & Clericos, qui Nestorij errorem imbiberant ab Ecclesia eijci iubent. pag. 128.

RESPONSIO.

Nunquid verò Episcoporũ vel Clericorũ nuncupatione dignos illos existimabis, qui à duabus Synodis vna Occidentalium Romæ, altera Orientalium Ephesi celebratis, ea prorsus indigni erant iudicati? *Deus*, inquiunt Ephesini Patres in Epistola ad supra nominatos Imperatores scripta, *etiam sanctorum Episcoporum Occidentalium Zelo animos excitauit ad vindicandam iniuriam passi Domini*

Baronius ad annum 431. numero 104.

nostri Jesu Christi. Nam licèt plurimum itineris spatium peruenire vsque ad nos illam multitudinem sanctorum prohibuisset Episcoporum: sed tamen illic congregati, præsente etiam magnæ Romæ sanctissimo & Deo amantissimo Episcopo Celestino, etiam hunc nostrum sensum fidei cum multa consonantia prædicauerunt, & qui extra hunc sensum sunt, alienos esse penitus & sacerdotio & clero & gradu definierunt. Et post pauca. *Sciat ergo vestra pietas, quia vno, communique decreto totius orbis terrarum à nobis prolata nuper sententia est, quam edoceri & manifestam fieri Zelus vester circa fidem, pietatémque procurauit.* Si ergo nec Episcopi nec Clerici erant profano adhærentes Nestorio, quid mirum si Imperatores, cùm vniuersum pene Orientem continuis, eorumdem factione, agitari seditionibus cernerent, dato rescripto eos, iam ab Episcopis condemnatos, ex Ecclesia eijci præceperint? Ita namque tranquillitati publicæ, ac politiæ Imperij firmitati consulturos se arbitrati sunt, si orthodoxæ fidei, nuper in Ephesina Synodo definitæ, adhærentes, tot seditiosos Catholicæ religionis desertores ex Ecclesia eijcerent, sicut & ex Præsidũ Prouinciarum mandato, post acceptum huiusmodi rescriptum, publicè proposito colligere licet. *Pijssimus*, inquiunt, *Imperator noster non ignarus, legum, iustæque politiæ firmamentum, orthodoxam religionem esse, peculiari edicto omnem impietatis occasionem præscidit, eos quidem, qui ea laborant, moderata castigatione sanans, ceteris verò omnem honestæ vitæ rationem ostendens.* Indeque factum est, vt & tandem in ipsum Nestorium, totius mali auctorem, condemnationis sententiam Theodosius protulerit, eum-

Ibidem.

Baron. ad annum 448. numero 7.

que in Oasim deportandum decreuerit. In Nestorium, inquam, non iam vt Ecclesiæ legitimum sacerdotem, sed vt exauctoratum, atque sacerdotio propter hæresim iam priuatum: Id enim nec ipse difitetur Theodosius. *Cùm Nestorius*, inquit ille in exilij decreto, *Catholicæ quõdam* (nota) *Ecclesiæ sacerdos, nunc rectæ fidei proditor, tantorum scelerum mole oppressus teneatur*, &c. *tua proinde celebris auctoritas prædictum Nestorium ob admissam à se impietatem, in perpetuum exilium Patras abire compellat, omniaque illius bona Ecclesiæ Constantinopolitanæ fisco addicat.* Apud acta Ephes. edit. Pelt. tom. 5. ca. 12. & Baron. ad annũ 436. num. 2.

Vnde & Theodoretus Nestorij deportationem, non tam ipsius Theodosij, quàm Ephesinorum patrum decreto ascribit: *Non solùm*, inquit, *sacerdotio Nestorius eiectus fuit, diuino quodam iudicio, sanctorum Ephesi congregatorum patrum decreto, sed etiam Imperiali nutu Oasim incolere damnatus, pœnas, quæ impios expectant, has degustare cepit.* Theodoret. epist. 1. ad Sporadium.

OBIECTIO.

Cuilibet etiam permittunt ijdem Imperatores Episcopos accusare. pag. 128.

RESPONSIO.

Si Legem ista permittentem aliquando, & alicubi perlegisti, vt quid eam non adnotasti? Labori vtique in Codicibus Theodosiano, Iustinianeoque euoluendis inutiliter à me insumpto, pepercisses. Plures namque constitutiones pœnas iniustis Episcoporum accusatoribus infligentes, etsi repererim, nullas tamen vnquam, quæ impunè cuilibet Episcopos accusare permitterent, relegere fas mihi fuit. *Si Episcopus*, inquit constitutio Ho- Leg. 41. de Episc. lib. 16. Cod. Theod.

norij & Theodosij, *vel Presbyter, Diaconus, vel quicumque inferioris loci Christianæ religionis minister, apud Episcopum (siquidem alibi non oportet) à qualibet persona fuerint accusati, siue ille sublimis vir honoris, siue vllius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, nouerit docenda probationibus, & monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo circa huiusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate huius sanctionis intelligat, se iacturæ famæ propriæ subiacere, vt damno pudoris, existimationis dispendio discat sibi alienæ verecundiæ impunè insidiari saltem de cætero non licere.* Et hæc quidem in Codice Theodosiano. In Iustinianeo verò, ita Theodosius & Valentinianus. *Si qua*, inquiunt, *per calumniam postulatio super criminalibus causis apud competentem iudicem deposita exhibitionis causa fuerit sacrosanctæ religionis Antistiti, triginta pondo auri cõdemnatione publicis calculis inferenda, vt percellatur, præcipimus.* Quin & in eodem Theodosiano Codice lex Imperatorum Constantij & Cõstantis refertur, quæ apud Iudices quemquã Episcopum accusare prohibeat. *Mansuetudinis nostræ*, inquiunt, *lege prohibemus in iudicijs Episcopos accusari, ne dum adfutura ipsorum beneficio, impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum, quod quispiam defert apud alios, potissimum Episcopos, conuenit explorari, vt opportuna, atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur.* Cuius sanctionis huiusmodi ibidem addita reperitur interpretatio. *Specialiter*, inquit, *prohibetur, ne quis audeat apud iudices publicos Episcopum accusare, sed in Episcoporum audientiam perferre non differat, quidquid sibi pro qualitate negotij putat posse competere,*

L. Si qua. C. de Episc. & Cler.

L. 12. de Episcop. C. Theodos. lib. 16.

Anian. ad dictam legẽ.

vt in Episcoporum aliorum iudicio, quæ asserit contra Episcopum debeant definiri. Vbi etsi modus accusationis contra Episcopum deferendæ præscribatur, cuilibet tamen per hoc Episcopū accusandi facultas non datur. Quin & in alia eorumdem Imperatorum Constitutione, ne ad iudicia tam ordinariorum, quam extraordinariorum iudicum Episcopi pertrahantur, expressè cauetur. *Continua*, inquiunt, *lege sancimus nomen Episcoporum, vel eorum qui Ecclesiæ necessitatibus seruiunt, ne ad iudicia siue ordinariorum, siue extraordinariorum iudicum pertrahatur: habent illi iudices suos, nec quisquam his publicis commune cum legibus: quantum ad causas tamen Ecclesiasticas pertinet, quas decet Episcopali auctoritate decidi.*

OBIECTIO.

Libros Porphyrij legentes vltimo supplicio affici iubent L. Καθαίρομεν *3. C. de summa Trinit. & fide Cathol.* pag. 128.

RESPONSIO.

Græcus fortè textus, quem citasti, negotium tibi fecit, & ideo malè intellectum pessimè exposuisti. Nihil enim aliud lex ista præcipit, nisi vt ipsi libri Porphyrij, contra Christianam religionem scripti, igni tradantur. Mihi non credis? Accipe ipsissima legis verba Καθαίρομεν τοίνυν ὅσα παρὰ τοῦ Πορφυρίου κατὰ ἑαυτῶν μανίας ἐλαυνόμενος κατὰ τῆς θείας τῶν χριστιανῶν θρησκείας συνέγραψε παρ' οἷς ἀκούσας διεστόμωσα, πυρὶ παραδοθῆναι δοθέντα, quæ quidem sic Antonius Contius Latinè reddidit. *Sancimus*, inquit, *vt omnia quæcumque Porphyrius, sua pulsus insania, contra religiosum Christianorum cultum conscripsit, apud quem-* L. Καθαίρομεν C. de summa Trinit. & fide Cathol.

cumque inuenta fuerint, igni mancipentur. Quo quid sanctius, nec tam Ecclesiæ, quàm ipsi Imperio vtilius edici poterat?

OBIECTIO.

pag. 128. *Leo & Anthemius de priuilegijs Patriarcharum & Metropolitanorum statuunt. L.* decernimus *C. de sacrosanct. Eccles.*

RESPONSIO.

Quinimmò nihil de nouo statuunt, sed tantùm Ecclesiarum priuilegia, quæ lapsu temporis vrgente præcedentium Imperatorum tyrannide, exciderant, ad pristinam reuocari formam constituunt. *Decernimus*, inquiunt, *vt antiquatis ac infirmatis funditùs his, quæ contra ipsum orthodoxæ religionis Deum quodammodo facta sunt, in integrum restituantur vniuersa, & ad suum ordinem reuocentur, quæ ante professionem nostræ mansuetudinis de orthodoxæ religionis fide, & sanctissimarum Ecclesiarum & Martyriorũ statu firmiter obtinebant, his quæ contra hæc, tempore tyrannidis, innouata sunt, tam contra venerabiles Ecclesias, necnon & reuerendissimos earum Antistites pœnitus antiquandis, vt cassatis & rescissis, quæ per huiusmodi sceleratas iussiones, aut pragmaticas sanctiones, aut constitutiones impias, siue formas, subsecuta sunt, quæ à diuæ recordationis principibus ante nostrum imperium & deinceps à nostra mansuetudine indulta, vel constituta sunt super sanctis Ecclesijs, & martyrijs, & religiosis Episcopis, aut Clericis, aut monachis inuiolata seruentur.* In quem locũ ita Accursius. *Imperator Leo*, inquit, *versus Orientem profectus erat, & ideo quidam tyrannus Ecclesias inuaserat, & multas leges, & statuta con-*

L. Decernimus. Cod. de sacrosanct. Eccles.

Accurs. in eand. legem.

tra Ecclesias, & earum priuilegia statuerat, quæ omnia cassat Leo per hanc legem, & ad pristinam formam reducit. Quid inde? Cùm multa ab Imperatoribus Ecclesijs, Ecclesiasticisque personis concessa priuilegia, præter ea quæ de iure diuino obtinent, nemo est qui dubitet.

OBIECTIO.

Honorius de locis in quibus Clerici debent ordinari L. In Ecclesijs. *Cod. de Episcop. & Cleric.* pag. 128.

RESPONSIO.

Cùm duo circa Clericorum ordinandorũ promotionem in vnaquaque Ecclesia consideranda, occurrerent, ex quo nempe loco assumendi essent, & qualis eorum numerus, cuique Ecclesiæ assignandus esset. Priùs quidem, quod ad ciuilem politiam spectabat, *vt quisque scilicet*, inquit lex, *propriæ capitationis onus, ac sarcinam recognoscere posset*, Imperatoris sanctione statuitur: Posteriùs verò quòd de disciplina Ecclesiastica erat, vt pro magnitudine, vel celebritate vniuscuiusque vici, Ecclesijs certus Clericorum numerus ordinaretur, Episcopi iudicio relinquitur. L. In Ecclesiis C. de Episc. & Cleric.

OBIECTIO.

Honorius & Theodosius de abdicandis mulieribus à consortio sacerdotum, quouis gradu fulciantur. L. eum qui *C. de Episcop. & Cleric.* pag. 128.

RESPONSIO.

Itane Christiani Imperatores in sacerdotes statuerunt? Sanctionem audiamus. *Quicumque*, inquiunt, *cuiuscumque gradus sacerdotio fulciantur, vel Clericatus honore censentur, extraneam sibi mulierem* L. Eum qui. C. de Episc. & Cleric.

interdicta consortia cognoscant, hac tantum eis facultate concessa, vt matres, filias, atque germanas intra domorum suarum septa contineant. Quid ergo? Num tibi potiùs nuda eorum, quæ iam antea constituta fuerant declaratio, quàm noua cõstitutio videtur? Hinc iam interdicta pronũciat ea ipsa mulierum consortia, non ab alijs certè, quàm ab ijs quibus ea sacerdotibus inhibere ex munere incumbebat. Sciebant namque S. Cõcilium Nicænum & S. Siricium Papam iam super his edixisse. *Interdixit per omnia*, inquit Nicænus Canon, *magna Synodus, non Episcopo, nõ Presbytero, non Diacono, vel alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem, nisi fortè matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspiciones effugiunt.* S. autem Siricius, *Fœminas*, inquit, *non alias esse patimur in domibus clericorum, nisi eas tantùm quas propter solas necessitudinis causas, cum ijsdem Synodus Nicæna permisit.* Nihil ergo noui super hoc statuêre Imperatores, sed iam à Concilijs, Pontificibusque sancita, obseruari debere duntaxat decreuerunt.

Nicæn. Concil. can. 3.

S. Siricius in epist. ad Himeri. capit. 11. tom. 2. Concilior.

Obiectio.

pag. 128. *Item eos qui rebaptizant vltimo supplicio affici volunt L. 2. C. ne sanctum baptisma iteretur.*

Responsio.

Ita equidem, sed de hæreticis rebaptizantibus, Donatistis nempe, constitutio intelligitur, vt ex Theodosiano Codice liquet. *Aduersarios Catholicæ fidei*, inquiunt ijdem Imperatores, *extirpare huius decreti auctoritate prospeximus, ideoque interciendam specialiter eam sectam noua constitutione censuimus,*

L. 4. Ne sanctum Baptist. iteret. Cod. Theodos.

quæ

quæ cùm hæresis vocaretur appellatione & schismatis præferebat. In tantum enim sceleris progressi dicuntur ij, quos Donatistas vocant, vt baptisma sacrosanctum mysterijs recalcatis, temeritate noxia iterarent, & homines semel, vt traditum est, munere diuinitatis ablutos, contagione praua repetitionis inficerent, ita contigit vt hæresis ex schismate nasceretur. Et lege sequenti, *Ne diuinam gratiam sub repetito baptismate pollutam, Donatistarum secreta violarent: Iubemus vt si quis posthac fuerit rebaptizasse detectus, iudici, qui Prouinciæ præsidet, offeratur, vt facultatum omnium publicatione multatus, inopiæ pœnam expendat.* Item L. 6. seq. vnde & Lex Iustinianei Codicis, teste Dionysio Gothofrido in annotationib. ad Accurs. descripta videtur. *Nullus rebaptizandi scelus abripiat, nec eos qui orthodoxorum ritu fuerint initiati cœno profanatarum religionum, hæreticorumque sordibus polluere moliatur.* Et post pauca, eadem ipsa legis citatæ verba habentur: Vnde patet nihil super disciplina Ecclesiastica pios Imperatores sibi arrogare voluisse, sed tantùm proposita pœna, hæreticorũ Donatistarũ, iam ab Ecclesia condemnatorũ, furorem coërcuisse.

L. 5. cod. tit.

L. 6. eod. tit.

Gothofrid. in annotat. ad Accurs. in eandem leg.

OBIECTIO.

Leo de reliquijs sanctorum in Ecclesia collocandis, L. Decernimus. *C. de Episcop. & Cleric.*

pag. 128.

RESPONSIO.

Falleris & fallis. Neque enim de reliquijs in Ecclesia, sed in ædibus publicis, vel in locis populi voluptatibus fabricatis, non collocãdis, Leo edixit. *Decernimus*, inquit, *vt posthac neque Monachi, neque quicumque alij cuiuscumque status, atque fortunæ, in ædes*

L. Decernimus. C. de Episcop. & Cleric.

publicas, vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabricata, venerabilem Crucem, & sanctorum Martyrum Reliquias illicitè inferre conentur, vel occupare audeant, quæ vel ad publicas causas, vel ad populi oblectamenta cõstructa sunt. Deinde quid super his agendum esset definiens, Episcoporum iudicio relinquendum, his verbis declarat. *Cùm enim*, inquit, *religiosæ ædes non desint, possunt ibi consultis priùs (vt oportet) religiosissimis Episcopis, Reliquias sanctorum Martyrum, non quorumdam vsurpatione, sed arbitrio Reuerendissimorum Antistitum collocare.* Hinc Legis titulus ita à Salyceto conceptus. *Reliquiæ Sanctorum, iudicio Episcopi, debent in Ecclesia collocari, nec debent à Clericis in locis publicis voluptatibus deputatis apportari.* Numquid verò hæc ad disciplinam Ecclesiasticam, & non potiùs ad optimum ciuilis Politiæ regimen spectant? Ne dum sacra profanis mista forent, in peius, numine violato, rueret ipsius Reipublicæ status. Vnde & à Theodosio, & Valentiniano Imperatoribus cautum antea reperimus, nemini licere signum Saluatoris Christi, vel in solo, vel in silice, vel in marmore humi positis, insculpere, vel pingere.

Ibidem.

L. Vnica. C. nemini licere &c. lib. 8. tit. 10.

OBIECTIO.

pag. 128. *Sed & Theodosius & Valentinianus Irenæum Tyriorum ciuitatis Episcopum, quod Nestorianus faueret, & bigamus esset, Ecclesia deiici, atque schemate, & nomine Sacerdotis exui imperauerunt. L. περὶ τ. 4. C. de summa Trinitate & fide Cathol. Cuius Legis executionem Præfecto prætorio, non Ecclesiasticis mandauit.*

RESPONSIO.

Optimè. Irenæus equidem, quòd Nestorianus esset, non immeritò Theodosij edicto in ordinem redactus fuit. Cùm enim tã Romani, quàm Ephesini Concilij decretis, quotquot Nestorio hæresiarchæ fauebant, alieni penitus (vt paulò antè ex Ephesinorum Patrum Epistola ad eosdem Imperatores scripta vidimus) à Sacerdotio, & Clero, & gradu fuissent declarati: Quidni potuerunt Catholici Imperatores, Nestorio Episcopo Cõstantinopolitano, iam ad Oasim ablegato, & Maximiano in eius locum suffecto, hunc quoque Irenæum Nestorij sectatorem, à Nestorianis etiam contra Canones ordinatum, qui tot, tantaque cõtra sanctissimos illos Ephesi congregatos Patres ausus fuerat, hunc, inquam, iam gradu deiectum, atque exauctoratum, ne diutiùs non Ecclesiæ tantùm, sed & Imperio, ob seditiones sæpius ab eo excitatas, nocumento esset, eijcere, vt Photius in eius locum subrogaretur? Idipsum enim & Cælestinus Pontifex maximus ab eodem Theodosio in Epistola ad eum scripta postulauerat, vt sua nempe auctoritate Ecclesiæ à Nestorianis vexatæ, succurreret. *Nunc*, inquit, *est omnis opponenda custodia, ne rapax lupus ab ouilibus Domini gregis, cùm sæuierit, excluſus, rursus serpentino lapsu ad mortem perueniat animarum, effoßis, quà potest parte, cuniculis. Munimen sanis, remedia præbete sanandis, vallate muris vestræ fidei, religionis Catholicæ veritatem, per quos & credentes muniti sint, & tanti sequaces erroris non audeant introire. Hic enim plenus victoriæ vestræ fructus est, nihil relinquere, quod rursus Dei Ecclesia debeat formidare.* At, inquis, Baronius ad annum 432. numer. 12.

executio non Ecclesiasticis, sed Præfecto prætorio mandatur. Quid inde? An non Irenæus depositus, ac degradatus, & ex Ecclesia extorris ab vniuersali Ecclesia factus, à sæculari brachio, vt ita dicam, plecti poterat?

OBIECTIO.

pag. 129. *Imperatores velut Episcopi extra Ecclesiam constituti ad iuris diuini & naturalis & Canonici executionem, secundùm leges, quas in eam rem etiam contra Ecclesiasticos edicere possunt, si minus officio suo defungantur.*

RESPONSIO.

Quis verò Imperatores, Episcoporum nomine aliquando nobilitatos vnquã dixit? Scio equidem omnes Christianos Imperatores à Constantino vsq; ad Gratianum oblatam sibi à gentilibus Pontificatus maximi stolam acceptasse, & ita Pontificis maximi titulum apud Ethnicos promeruisse.

Zozim. lib. 4. Baron. ad annum 312. num. 97. *Simul enim*, inquit Zozimus, *atque summum Imperium quisque accipiebat, amictus ei Sacerdotalis à Pontificibus offerebatur, & continuò Pontificis maximi titulum vsurpabat. At ceteri quidem principes vniuersi libentissimis animis hunc honorem accepisse, & hoc vsi titulo videntur, adeóque Constantinus etiam potitus Imperio, licèt is à recta sacris in rebus via deflexisset, & fidem Christianorum amplexus esset, itemque post illum reliqui ordine secuti, & Valentinianus atque Valens*, &c. De Episcopi autem nomine ab ijs vsurpato, nulla est, vel leuis apud Historiographos memoria. Vnde ergo tanta Imperatoribus in Ecclesiasticos auctoritas, vt quasi Episcopi extra Ecclesiam constituti, in-

quit Simon, in eos animaduertere queant? Ipsi ergo Episcopi intra Ecclesiam duntaxat de Ecclesiasticis iudicare habebunt, si quid verò quæstionis extra Ecclesiam oriatur, protinus ad Imperatores deferendum erit? Quis talia sensit? Quis iuris istius author extitit? Quis illud euulgauit? Ad quid igitur aurea illa, torque præconijs celebrata, & ab Hincmaro Franco vtique scriptore, & Pontifice citata, & explicata Gelasij sententia? *Duo sunt*, inquit, *quibus principaliter (vnà cum specialiter cuiuscumque curæ subiectis) mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & regalis potestas, in quibus personis, sicut ordine sunt diuersa vocabula, ita sunt & diuisa in vnoquoque ordine, ac professione ordinationum officia.* Et post pauca. *Memor Christus fragilitatis humanæ, quod suorum saluti congrueret, dispensatione magnifica temperans, sic actionibus proprijs, dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, suos volens medicinali humilitate saluari, non humana superbia rursus (vt ante Aduentum eius in carnem, pagani Imperatores, qui idem & maximi Pontifices dicebantur) intercipi, vt & Christiani reges pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterētur, quatenus spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus.* Quantò meliùs eximium illud Ecclesiæ Mediolanensis decus S. Ambrosius. *Imperator*, inquit, *bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est* Ergo ex S. Ambrosio Imperator intra, non extra Ecclesiam est. Et ad Marcellinam. *Allegatur*, inquit, *Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo noli te grauare Imperator, vt putes te in ea, quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere*

Hincmar. ex Gelas. epist. 4. cap. 1.

S. Ambros. orat. in Auxent. lib. 5. epist.

Idē epist. 33. ad Marcell. lib. 5.

Sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus, Scriptum est quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Quòd si Ecclesiæ, numquid & Ecclesiastica disciplina? Quid plura? Audi rursus S. Ambrosium in Valentinianum Augustum talia proloquentem. *Si docendus est*, inquit, *Episcopus à Laïco, quid sequatur? Laïcus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à Laïco. At certè si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?* Hinc magnus ille Constantinus oblatos sibi accusationum aduersus Episcopos libellos in ignem proiecit. *Mihi*, inquiens, *non est fas cum homo sim, eiusmodi causarum cognitionem arrogare, præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, Sacerdotes sint.* Vel vt refert Ruffinus, ipso etiam teste Carolo Magno eamdem Cõstantini sententiam in suis Capitularibus consecrante. *Deus*, inquit, *vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia quæcumque sint ad illud diuinum reseruentur examen: vos autem nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est, vt homo iudicet deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.*

Idē epist. 32. ad Valētinia. Aug. lib. 5.

Sozomen. li. 1. hist. cap. 16.

Ruffin. lib. 1. histor. cap. 2.

Capitular. l. 5. capit. 163.

Obiectio.

Constantinus apud Eusebium, lib. 4. de eius Vita. cap. 24. Episcopos intra Ecclesiam, se autem

pag. 129.

Episcopum extra Ecclesiam à Deo constitutum prædicauit.

RESPONSIO.

Non se quidem Constantinus absolutè Episcopum, sed quasi Episcopum, ob quandam videlicet cum Episcopis vigilantiæ, sollicitudinisque, in procuranda subditorum salute, parilitatem, nuncupauit. Anne dubitas? Prodeat ergo præfixum Capitulo allegato summarium. ὅτι τῶν ἔξω φραγμάτων ὥσπερ ἐπίσκοπον ἑαυτὸν εἶπεν εἶναι). Prodeat & ipse Eusebij textus incorruptus. Ἐνθεν εἰκότως αὖ καὶ ἐν θοιάσῳ ποτὲ δεξιούμενος ἐπισκόπους, λόγον ἀφῆκεν, ὡς ἄρα εἴη, καὶ αὐτὸς ἐπίσκοπος, ὧδέπη αὐτοῖς εἰπὼν ῥήμασιν ἐφ' ὑμετέροις ἀκοαῖς. ἀλλ' ὑμεῖς μὲν τῆς ἔσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῆς ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος αὖ εἶμι, ἀκόλουθα τῷ λόγῳ διανοούμενος. τοὺς ἀρχομένους ἅπαντας ἐπισκοπῶ: ὡσπερεπὶ τὸ ὅσον περ αὖ ἰσχύομεν τὸ δίκαιον μεταδιώκειν ἔθον. Quem si liceat Latinè reddere, nec Portuensis, nec Musculi versionibus, Eusebij verba, sicuti nec mentem satis assecutis, inhærens, hanc fidelem tibi interpretationem non grauabor proponere. *Hinc*, inquit, *non immeritò cùm inuitasset ad cœnam Episcopos, sermonem edixit, quasi & ipse esset Episcopus, his fermè verbis ad nostras aures proloquens: Sed vos quidem eorum quæ intra Ecclesiam sunt, ego verò eorum, quæ extra Ecclesiam à Deo constitutus Episcopus verè tunc ero, cùm attentè ea, quæ huic verbo conueniunt, considerauero. Subditis omnibus inuigilabat, exhortabaturque vt pro posse piam degerent vitam.* Quibus verbis Constantinus, non tam nomen Episcopi, quàm vigilantiam sub ipso Episcopi nomine recluſam, sibi arrogat, vt qui non minùs his, quæ

Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 24.

extra Ecclesiam agenda erant, sæcularibus nempe negotijs, inuigilaret, quàm Episcopi his, quæ intra Ecclesiam, id est, Ecclesiasticis. Sicque per ea verba intra, vel extra Ecclesiam, nihil aliud quam Ecclesiastica, vel sæcularia negotia designantur, quæ sicut Episcopi, ita & Imperatoris vigilantiam, vt benè administrentur, exigunt: Nisi fortè malueris per eos, qui extra Ecclesiam sunt, Paganos intelligere, quorum saluti maximè inuigilabat Constantinus, vt eos ab idolorum cultu ad veri Dei notitiam adduceret.

OBIECTIO.

pag. 129. *Falsa est opinio Vallæ, aliorumque qui docuerunt Constantinum per verba* extra Ecclesiam, *gentiles intellexisse, cùm Eusebio teste* de omnibus, qui eius suberant Imperio, *non solùm de his, qui non erant Christiani, loqueretur.*

RESPONSIO.

Nunquid aliquando Eusebij textum perlegisti? Vnde tibi ergo inscitia tanta, vt quod luce clariùs iam non intelligas, scilicet non de Christianis, sed de gentilibus ibi tantùm sermonem haberi. *Vniuersis*, inquit, *populis, atque militibus ditionis Romanæ, idolorum adorandorum occlusæ fores, sacrificia vetita, præfecti gentium legem diei Dominicæ obseruandæ acceperè, nutu principis: Illi martyrum quoque ferias agebant, solemnemque cœtum ad eas opportunitates adhibebant, Imperatore nimirum gratè omnia & religiosè admittente.* Et post textum superiùs allegatum, de suppositio Constantini Episcopatu. *Hinc etiam* (addit Eusebius) *vt par erat creberrimè legibus, ac*

Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 23. 24. & 25.

constitutionibus omnibus interdicebat, ne simulachris sacrificarent, ne vaticinia sciscitarentur, &c. vt planè certòscias non nisi de Paganis, Eusebiũ ipsum verba facere; Vnde iam falsi tua potiùs, quam Vallæ arguetur opinio. Nullus enim Constantinum eorum, qui extra Ecclesiam erant, gentilium nempe, Episcopum negauerit, qui maximi Pontificatus superstitionis gentilitiæ titulo eum prænotatũ sciuerit, vel saltem quantùm eorum saluti inuigilaret intellexerit, varias sanctiones, quæ ab Eusebio memorantur, edendo, quibus eos, & ab illicitis auocaret, & ad Christianorum cultum per statarum precum, Christianarumque solemnitatum obseruationem, alliceret. Euseb. ibid.

OBIECTIO.

Constantinus edictum proposuerat in eos, qui licet fidei Nicænæ consentirent, tamen cum Arianis communicabant Sozomenus lib. 1. cap. 20. pag. 129.

RESPONSIO.

Itane Sozomenus? Audi germanum illius textum, quem fortè non legisti, vel saltem lectum non benè, nec fideliter proposuisti. *Ipse Imperator*, inquit ille, *huic sententiæ* (Concilij Nicæni) *adstipulatus est, eam Concilij concordiam diuinitus approbatam esse ratus, & si quis illi contradiceret, exilio tanquã diuina placita corũpentem, damnari iussit.* Et cap. seq. *Imperator*, inquit, *Arium & adhærentes illi exilio mulctauit, & si quod syngramma illorum inueniretur igni tradi iussit, ne vel ipsius, vel dogmatis, quod introduxit monumentum aliquod supereſſet.* Et hæc quidem Sozomenus, cuius sententiæ non pauca ex Sozom. li. 1. hist. cap. 20. Idem ibidem cap. 21.

tuo cerebro addita, nemo est qui non videat. Proposuerit verò Constantinus edictum contra Arianos, quid inde? An ignoras quæ paulò ante idem retulerat Sozomenus? *Synodus*, inquit, *Arium & cum illo sentientes excommunicauit, ac ne Alexandriam rediret statuit, quin & verba opinionis illius & librum hisce de rebus compositum, quem Thaliam inscripsit, condemnarunt.* Socrates verò. *Synodus*, inquit, *Arium & qui cum eo sentiebant omnes anathemate percussit, adiecto quòd Alexandriam illi redire ne liceat. Imperatoris verò edictum & Arium & eos qui cum Eusebio erant, ad exilium condemnauit:* Vt non mireris si Constantinus Arium & sequaces priùs à Synodo condemnatos, ac vi excommunicationis, omni prorsus Ecclesiastica dignitate priuatos, in exiliũ eiecerit, libroſque eorum ne Catholicæ Ecclesiæ nocumento forent, dato edicto, quod integrum refert Socrates, igne cremari præceperit.

Idem Ibid.

Socrat. lib. 1. hist. cap. 8.

Idem lib. 1. cap. 9.

OBIECTIO.

pag. 129. *Itaut Eusebium Nicomediæ, & Theognidem Nicææ Episcopos suis sedibus eiecerit Constantinus, & in exilium miserit.*

RESPONSIO.

Quid si nec Eusebius, nec Theognis Episcopi erant, vtpote iam à Concilio Nicæno depositi, alijs etiam in eorum locum subrogatis, nunquid Episcopos à Constantino è suis sedibus eiectos asserere audebis? Accipe igitur quæ super hoc S. Athanasius seu potius Patres Alexandriæ congregati in Epistola Synodali ad omnes Christi fideles missa, testantur. *Quî igitur*, inquiunt, *ipse Eusebius*

S. Athanas. Apolog. 2.

& Theognis potuerunt alios deponere? Ipsi depositi & exauctorati, & vitio suæ creationis famosi? Benè siquidem cognitum habetis, Amphionem Nicomediæ, Chrestum vero Nicææ in eorum locum ob impietatem & communionem, quam cum Arianis à Concilio Nicæno reprobatis habuerant, Episcopos constitutos esse. Vis & aliam eorumdem exilij causam nosse, quæ non tam Ecclesiæ, quàm ipsius Imperij statum respiciebat? *Constantinus*, inquit Socrates, *Nicomediensibus contra Eusebium & Theognidem scribens, Eusebium propter malos mores reprehendebat, non solùm propter Arianismum illum carpens, sed & propterea quod tyranno antea fauisset, ac contra se machinatus fuisset.* Quod & clariùs ex eiusdem Constantini Epistola à Theodoreto relata innotescet. *Quis*, inquit, *innocentem multitudinem ista docuit? Eusebius videlicet tyrannicæ crudelitatis administer. Nam quod tyranni partibus adhæserat, ex multis illius rebus gestis facilè potest intelligi, siquidem istud partim Episcoporum, eorumque verè Episcoporum cædes testantur, partim crudelissima Christianorum persecutio palam clamat, neque certè de iniurijs illius, quibus me affecerit hoc loco verba faciam, per quem aduersariorum contra me concursus, quantùm fieri poterat maximè procurabantur. Qui & oculis tanquam speculatoribus me obseruauit, quinetiam ministerio prope militari, quo tyranno opem ferret, perfunctus est.* Quibus verbis eumdem Eusebium, & quod cum Licinio in persecutione contra Episcopos commouenda, conspirarit, & cum eodem aduersum se barbaros sollicitarit, tanquam læsæ Maiestatis reum non obscurè fugillat Cōstantinus. Quin & Sozomenus eosdem Eusebium & Theognidem palam accusatos esse

Socrat. lib. 1. hist. cap. 9.

Theodoret. lib. 1. hist. cap. 19.

testatur, quòd Nicænum Concilium, formamque fidei conuellere conarentur: *Quam ob causam*, inquit, *eos velut dissidij auctores, exilij causa solum vertere Constantinus imperauit. A nonnullis enim* (subdit ille) *Imperatorē hac de re iracundia accensum, Eusebium & Theognidem exilio addixisse memoratū est.* Quod licèt factum audias ab ipso Constantino quatuor, vel circiter annis post Concilium Nicænum, non est quod mireris. Non enim Constantinus nouam tunc in eos depositionis, & exilij sententiam protulit, sed quam sciebat à Nicæno Concilio latam, suis verò precibus, spe emendationis, paulò post reuocatam, perspecta eorumdem pertinacia executioni mandari permisit.

Sozom. li. 1. hist. cap. 24.

OBIECTIO.

pag. 130. *Isidorus Can.* Principes 23. *quæst.* 5. *qui & relatus est in Capitulis Caroli magni*, Principes sæculi nonunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent, vt per eamdem, Ecclesiasticam disciplinam muniāt. Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi vt quod non præualet sacerdos efficere per doctrinę sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum celeste regnum proficit, &c.

RESPONSIO.

Optimè quidem. Iam ergo Principes intra Ecclesiam, non autem extra Ecclesiam, vt mox dicebas, sibi à Deo data potestate fruuntur: Nisi ve-

lis & intra & extra Ecclesiam, omnem videlicet & in omnes iurisdictionis plenitudinem Principibus impiè arrogare, quod tamen nec per te citatus Isidori textus habet, qui non ad statuendam, sed muniendam tantùm Ecclesiasticam disciplinam, non ad regendam, aut coërcendam, sed ad tuendam tantùm Ecclesiam, Principes à Deo datos asserit. *Cognoscant*, inquit, *Principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt.* Glossa quoque eidem Canoni appositа de his agens, *Dicitur*, inquit, *in hoc Canone quòd Principes sæculi ad hoc sunt instituti, vt Ecclesiasticam disciplinam defendant, vt quos sacerdotalis sermo non corrigit, coërceat sæcularis potestas.* Quòd & Can. sequenti non obscurè testatum reperitur. *Incestuosi*, inquit, *parricidæ, homicidæ multi apud nos reperiuntur, sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam à tam praua consuetudine coërceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerunt reuocari.* Priùs ergo Ecclesiastica sunt adhibenda remedia; quòd si quis contumax Ecclesiam audire contempserit, cùm sicut ethnicus & publicanus ex Christi sententia habendus sit, ab Ecclesia vtique degradatus si sit Clericus, iudici sæculari puniendus tradi poterit. *Mali*, inquit ibi glossa, *qui per Ecclesiam non possunt corrigi, coërceri debent per brachium sæculare.*

can. Principes. 23. quæst. 5.

Gloss. in casu eiusd. canon.

can. Incestuosi. 23. quæst. 5.

Gloss. in casu can. Incestuosi. 23. quæst. 5.

Obiectio.

In Concilio Tyri cùm per vim & factiones Arianorum condemnatus esset Athanasius, or-

pag. 131.

Imperatori reseruari, apud quem licebit & iura Ecclesiæ & nostra proponere. Planè enim confidimus, eius pietatem cognitis nostris rationibus, nequaquam nos condemnaturam esse. Vt se igitur tum à Comitis, tum ab Arianorum furore Patres illi Ægyptij vindicarẽt, Imperatorem appellare, criminumque sibi per calumniam obiectorum iudicem eum, Dionysio Comite repudiato, constituere coacti fuerunt. Quod equidẽ absque iurisdictionis Ecclesiasticæ detrimento fieri potuisse nullus inficiabitur. *Si enim in adiutoriũ vestrum*, inquit S. Augustinus apud Gratianum, *etiam terreni Imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus: Fecit hoc Paulus cum aduersus iniuriosos ciuem Romanum se esse testatus est.*

Dist. 10. can. 7. Si in adiutorium.

OBIECTIO.

pag. 132. *In Synodo Calcedonẽsi act. 3. Episcopi ad Dioscorum Patriarcham Antiochenum missi sic illum affantur.* Tuæ sanctitatis est, & sanctissimam & vniuersalem Synodum prout decet per obedientiam honorare, *&c.*

RESPONSIO.

Qui alios insciti̇æ arguis, vide ne in eandem impingas: Non enim Antiochiæ, sed Alexandriæ Dioscorus extitit Patriarcha. Quinetiam tanquam sorex indicio tuo peris, dum plus nimiùm in conuincendo doctissimo Valla elaborans, te tibi contraria allegare non aduertis. Qui enim paulò ante dixeras Episcopos ab Imperatoribus iudicari, iam quasi palinodiam recantans, ex Calcedonensis Synodi sententia à te producta fateri compelleris, nihil sibi Laicos, iudicesque sæcula-

res

res in cauſis Eccleſiaſticis, maximè cùm de iudicandis Epiſcopis quæſtio vertitur, vendicare poſſe. *Cecropius Epiſcopus dixit* (inquis ex eadem Synodi actione) *quando quædam regularia* (Eccleſiaſtica nempe) *examinantur, neque iudices, neque alios laicos intereſſe oportet.* Impius equidem ille Dioſcorus Imperatorem, iudiceſque ſæculares cùm ipſius cauſa in Synodo tractanda foret, adeſſe petierat, quod tamen ei ab ipſo Cecropio Epiſcopo Sebaſteno, qui eum totius Synodi nomine citabat, denegatum videmus. Quod & aliàs in eadem Synodo factum in cauſa Euſtathij Epiſcopi Berythi legimus. Cùm enim Photius Tyri Epiſcopus apud Marcianum Imperatorem de iure antiquo ſuæ Metropolis diminuto, pluribus ab eodē Euſtathio ciuitatibus vſurpatis, queſtus eſſet: Imperator cauſam illam Epiſcopis in Synodo congregatis iudicandam reliquit: Hinc Iudicum ad eundem Euſtathium reſponſio in Synodo facta. *Sacratiſſimo,* inquiunt, *Domino orbis placuit, nō iuxta ſacras Imperatoris litteras & pragmaticos typos res ſanctiſſimorū Epiſcoporum procedere, ſed ſecundum Canones à ſanctis Patribus datos. Omni igitur ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, Canones de hoc capitulo editi legantur.* Et inferiùs. *Dicat ſancta Synodus vtrùm ei placeat ex regulis Patrum huius cauſæ quæſtionem examinari, an ex ſacris pragmaticis, de quibus ea quæ ſacro apici viſa ſunt, iam omnibus aperta fecimus. Sancta Synodus dixit: Contra Canones nihil pragmaticum valebit. Regulæ patrum teneant.* Et infra, cùm idem Euſtathius adhuc Imperatorias leges contra Nicænum Canonem allegatum, vrgeret, *Atticus Epiſcopus Nicopolis dixit,*

Act. 3. Cōcil. Chalcedon.

Baron. ad annum 451. numer. 99.

Ibidem numer. 101.

Supplicamus, vt nunc etiam virtus Canonum in quoslibet & in omnes Prouincias valeat, cessantibus omnibus, quæ ex conuersatione, & ambitione pragmaticorum fiunt, quæ & euerterunt ea, quæ spiritualiter & secundùm Deum à sanctis patribus sancita sunt. Cui & sancta Synodus rem ipsam definiens, respondit. *Eustathius reuerendissimus Episcopus à sacro pragmatico typo nihil amplius sibi vendicet, quàm reliqui Episcopi eiusdem prouinciæ.* Ibidem etiam cùm Cecropius Episcopus eidem Synodo suggessisset. *Petimus vt sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibusdam facta sunt in omni Prouincia? Canones verò per omnia teneant, sic enim & fides custoditur, & vnaquæque Ecclesia tutum statum habebit. Sancta Synodus acclamauit, Vniuersa pragmatica cessabunt: Canones teneant.*

Ibidem numer. 102.

Ibidem numer. 103.

Obiectio.

Honorius legem scripsit de Pontificatu, quæ canonizata est 79. dist. Can. si duo.

Responsio.

In quo vero Codice, in quibus Digestis hanc Honorij legem descriptam reperies? Si Decretum allegas. Optimè. Inde enim lex tantùm cepit esse cùm vel à Bonifacio promulgata, vel in corpus Canonum Honorij sententia fuit redacta. Antea verò minimè. Honorius quidem in Epistola ad Bonifacium missa non ex se, sed ex eiusdem Bonifacij sententia, quid tenendum esset cùm duo de Pontificatu certarent, rescripsit, nullam autem legem super hoc promulgauit. *Denique*, inquit Honorius, *Beatitudine tua prædicante, id ad cunctos-*

123. 133.

can. Victor Honorius. dist. & 97.

rum clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid forte religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitione esse cessandum & si duo, &c. Infra verò, vt quæ à se dicta essent, non ex mero imperio, sed ex admonitione tantùm prouenire demonstraret. *Vnde*, addit ille, *id obseruandum est, vt omnes tranquillam mentem & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirantibus tentare conentur.* Ideo autem Honorius de futura sede vacante sollicitus erat, quod Eulalium schismaticum apud Antium, non longè ab vrbe, exulantem, ac Bonifacij longa ætate & mala valetudine fracti, ac debilitati obitum operientem, didicisset. Ibid. in fine.

OBIECTIO.

Leo Pontifex ad Lotharium Imperatorẽ dist. 10. *can.* de Capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumq; Pontificum prędecessorum irrefragabiliter custodiendis & conseruandis, quantùm valuimus & valemus, Christo propitio ex nunc & in æuum nos conseruaturos omnibus modis profitemur. pag. 133.

RESPONSIO.

Nunquid verò ea aliquando vidisti, quæ super hunc Canonem in noua Decreti editione annotata fuêre? *Epistola hæc* (inquit annotationis author) *non est inuenta, & in istis verbis videtur subesse mendum, in quo author glossæ errandi occasionem sumpserit, qui Christianis Imperatoribus, cuiusmodi fuerant* Gloss. in can. De tantis distinct. 10.

prædecessores Lotharij, attribuat illud quod Isidorus de Ethnicis dicit: Nimirum Imperatores solitos fuisse apellari Pontifices. Et meritò quidem: Licèt enim, vt suprà ex Zozimo docuimus, Imperatores etiam Christiani à Constantino vsque ad Gratianum, à Pontificis maximi titulo sibi ab Ethnicis oblato non abhorruerint: Gratianus tamen ipse, nec successorum eius Imperatorum aliquis, eiusmodi titulo vsus non reperitur. Vnde citatus Leonis 4. textus ab Iuone correctus dupliciter habetur. In Decreto quidem sic, *De capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, nostrorumque etiam Pontificum prædecessorum,* &c. In Pannomia autem, *De capitulis, vel præceptis Imperialibus nostris, nostrorumque Pontificum & prædecessorum.* Subdit prætereà idem annotationis author pluta alia, pro dilucida Canonis istius interpretatione, quæ curiosus lector, si libeat, legere poterit, vnde tamen aliquid quod Pontificiæ auctoritati derogare valeat, colligere fas non erit: Siue enim dicas cum eodem auctore. *Imperatores solitos fuisse edere capitula, adhibitis in consilium Pontificibus regni,* siue etiam cum Gelasio & Nicolao. *Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus vti solere legibus.* Quid præiudicat? Adde quod cùm de Capitulis Imperialibus idem locutus sit Leo, non dubium est, quin de Capitularibus Regum Francorum libris intellexerit, quos ab ipso Leone, necnon & ab eius successoribus Sergio & Gregorio 4. Pontificibus confirmatos, non obscurè Benedictus Leuita, qui eos collegit, testatur. *Capitula,* inquit, *istorum librorum Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica inter-*

Iuo part. 4. cap. 176.

Pannom. lib. 2. cap. 149.

Gloss. in can. de Capitulis, distinct. 10.

Idem ibid.

Gelas. ad Anastas. Nicolaus in epist. ad Michaelem.

Capitular. lib. 7. in fi.

fuit legatio, Nam eorum nomina præter trium, id est, Leonis, Sergij, & Gregorij, hîc non inseruimus, licèt ea per singulos conuentus inserta inuenissemus, vitantes legentium atque scribentium fastidia. Si quis autem plenius ea nosse voluerit, illorum legat authentica, quibus illa inserta reperiet. Quin & Carolus Caluus eadem Capitula asserit eiusdem Leonis auctoritate firmata. *In diebus,* inquit de ijs loquens, *Domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludouici Imperatoris cùm ipsa tepescere executio aliquatenus cepit, apud Papam Eugenium inde ab eo commonitio facta est. Qua de re Synodum idem vniuersalis Papa conuocans, inter alia generalia decreta promulgare curauit, quæ Leo 4. tempore HLotharij, & nepotis nostri HLudouici obseruanda decreuit, sicut in gestis Synodalibus, & in huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ archiuo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directa, venerabili sanctione habemus.* Vt non mireris si ipse Leo ea se conseruaturum profiteatur, quæ antea confirmauerat.

Carol. Caluus in epist. ad Ioann. 8. ca. 2. habetur inter epist. Hincmari.

OBIECTIO.

Et Leo 4. ad Ludouicum Imperatorẽ, 2. quæst. pag. 133.

7. Nos si incompetenter aliquid egimus, aut in subditis legis tramitem non conseruauimus, vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio. *Hæc autem ne cauillentur aduersarij, dicuntur à Leone Papa non per solam humilitatem.*

RESPONSIO.

Malè ergo Gratianus tuus, ô Iurisconsulte, Leonẽ ex humilitate talia dixisse asseruit. *Ex hac etiam,* inquit, *humilitatis dispensatione intelligitur illud Leo-*

Gratian. ad can. Nos si incõpetẽter. 2. quæst. 7.

nis 4. Ludouico Augusto dictum, Nos si incompetèter, &c.

OBIECTIO.

pag. 133. *Hæc à Leone dicuntur per agnitionem legitimæ potestatis, quam iure diuino inesse Imperatoribus sciebat.*

RESPONSIO.

Ad quid ergo Lotharius, qui eumdem Ludouicum præcessit, suarum legum vindicem priori loco, eumdem Leonẽ Romanum Pontificem, inde verò Imperatorem professus est? *Si offensionem*, inquit, *contra eamdem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur viuere, per dispensationem Pontificis, & nostram subiacebunt.* Numquid ipse Leo arrogatum sibi ab ijsdem Imperatoribus Lothario & Ludouico Romani Pōtificis confirmandi ius, irritum reddidit? *Inter nos & vos*, ait ille, *pacti serie statutum est & confirmatum, quod electio Romani Pontificis non nisi iustè & canonicè fieri debeat.* Hinc ad Carolum Caluum Frãcorum Regem, eorumdemque Imperatorum fratrem rescribens, humilitatem suam (quam sub inutilitatis nomine occultat) nullatenus suæ sedis dignitati præiudicare debere, testatur. *Si fortassis*, inquit, *quod non credimus apud vos inutiles iudicamur, Ecclesia tamen, cui permittente Domino præsumus, non inutilis, sed caput, principiumque omnium meritò simul ab omnibus vocatur.*

Leg. Longobard. lib. 2. tit. 57.

Distinct. 63. can. Inter nos.

can. Si fortassis. 16. quæst. 7.

OBIECTIO.

Gelasius ad Anastasium Imperatorẽ. Quantùm ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ cognoscentes Imperium tibi super-

na disposítione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites.

RESPONSIO.

Quidni Pontifices iustis Principum Christianorum legibus sponte, libenterque obediant, qui Ethnicorum, immò & nominis Christiani persecutorum Imperatorum statutis, quæ iustitia polleret & veritate parere non renuerunt? Audi tamen ex eodem Gelasio quousque huiusmodi se extendat Pontificum obedientia. *Christus*, inquit, *sic actionibus proprijs dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur.* Cùm ergo de temporalium disciplina seu directione agitur, rectè equidem Reges ea, quæ ad ciuilem politiam spectant dirigere possunt, cùm autem de Ecclesiastica disciplina quæstio est, iam Pontificum munus est, quibus & ipsi Principes obedire tenetur. Hinc ipse Gelasius cùm de vtraque potestate Ecclesiastica nempe & ciuili dixisset, *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis maiestas*, iam potestatis vtriusque officia describens: de Priori, Ecclesiastica nempe, hæc subdit, *Tantò grauius*, inquit, *est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus Domino in diuino reddituri sunt examine rationem: Nosti etenim, fili clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis celestibus Sacramentis, eisque,*

Gelas. tom. de Anathemat. vinculo ad Anastas.

Ibidem & 96. dist. can. Duo sunt.

Gelas. ibid.

thodoxi Episcopi Ægyptij obstiterunt, postularunt-que, totum hoc negotium Imperatori reseruari, apud quem liceret & iura Ecclesiæ & nostra proponere. *Athanas. Apolog. 2. quæ nequaquam retulisset, nec illi Episcopi id pronuntiassent, nisi hoc ad Imperatoris cognitionem iure spectare agnouissent.*

RESPONSIO.

Dic sodes, à quo Ægyptij Episcopi, vt S. Athanasij causa Imperatori reseruaretur, postularunt? Si taces, iam eloquar, à Dionysio Comite istud eos postulasse, qui pretextu quodam tumultus comprimendi, ac silentij, cùm opus foret, imperandi, coërcendæque insolentium procaciæ (reuerà autem, vt innocentiam expugnaret, & cum ea innocentes opprimeret, secretumque aditum S. Athanasij hostibus ad oppugnandam Catholicam fidem aperiret) cum militari manu ab Imperatore missus in Tyrio illo, non legitimo quidem Concilio, sed Arianorum potius Conciliabulo, malignantiumque Conuenticulo, primas tenebat partes. *Qua namque fronte* (inquit Synodalis Alexandrini Concilij Epistola apud S. Athanasium) *talem Conuentum Synodum appellare quis audeat? cui Comes præsedit, & vbi speculator apparebat, & Commentariensis seu Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ aduentantes introducebat? vbi Comes verba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant, vel potius Comiti obsequium suum accommodabant? vbi quod communiter Episcopis placuit, ab illo impediebatur? ille imperio vtebatur, nos à militibus ducebamur, vel potiùs iussis Eusebianorum,*

S. Athanas. Apolog. 2.

sententijsque ipse Comes inseruiebat? In summa, dilectissimi, quæ species ibi Synodi, vbi vel cædes, vel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur. Quid mirum ergo si Episcopi quidam orthodoxi, qui illuc etiam ab Imperatore aduocati conuenerant, ex Arianorum sententia cõtra ius, fasque omnia præsumi eodem Dionysio opem ferente, perspicientes: Apostoli Pauli exemplo, qui Cæsarem olim appellauerat, publico scripto ipsum Dionysium Comitem contestati sunt, ne quid amplius ab eo in S. Athanasij, aliorumque sanctorum Episcoporum, qui varijs criminibus ab Eusebianis impetebantur, causa ageretur, sed cuncta quæ ad eiusdem causæ cognitionem spectabant, integra per Constantinum Imperatorem cognoscenda, ipse reseruaret? *Cum multarum* inquiunt in eodem contestationis libello) *videremus calumniarum consarcinationem, & ex consarcinationibus insidias Eusebij, Narcissi, &c. aduersum nos, quos quia principio detractantes reijcere non licuit, necessario ad hanc protestationem deuenimus, præsertim cùm animaduertamus, multa ad gratiam Meletianorum, multa rursus ad insidias Catholicæ Ecclesiæ, sub nostrî criminibus agitari, necessario ob id quoque libellum hunc tibi porrigimus, cum multis obsecrationibus, vt Dei metu in animo seruato, qui Imperium augustissimi & pientissimi Imperatoris Constantini tuetur, cognitionem causarum nostrarum ipsi Augustissimo Imperatori reserues. Æquum est enim te ab Imperatore missum, negotium hoc integrum Imperatori retinere. Quandoquidem tolerare non possumus compositas istas calumnias, quibus insidiosè ab Eusebianis premimur: Ideoque postulamus* (addunt illi) *causam istam pientissimo & religiosissimo*

S. Athanas. ibid. Baron. ad ann. 335. numero 24.

Imperatori reseruari, apud quem licebit & iura Ecclesiæ & nostra proponere. Planè enim confidimus, eius pietatem cognitis nostris rationibus, neq; aquam nos condemnaturam esse. Vt se igitur tum à Comitis, tum ab Arianorum furore Patres illi Ægyptij vindicarẽt, Imperatorem appellare, criminumque sibi per calumniam obiectorum iudicem eum, Dionysio Comite repudiato, constituere coacti fuerunt. Quod equidẽ absque iurisdictionis Ecclesiasticæ detrimento fieri potuisse nullus inficiabitur. *Si enim in adiutoriũ vestrum*, inquit S. Augustinus apud Gratianum, *etiam terreni Imperij leges assumendas putatis, non reprehendimus: Fecit hoc Paulus cum aduersus iniuriosos ciuem Romanum se esse testatus est.*

Dist. 10. can. 7. Si in adiutorium.

OBIECTIO.

pag. 132. *In Synodo Calcedonẽsi act. 3. Episcopi ad Dioscorum Patriarcham Antiochenum missi sic illum affantur.* Tuæ sanctitatis est, & sanctissimam & vniuersalem Synodum prout decet per obedientiam honorare, *&c.*

RESPONSIO.

Qui alios insciti æ arguis, vide ne in eandem impingas: Non enim Antiochiæ, sed Alexandriæ Dioscorus extitit Patriarcha. Quinetiam tanquam sorex indicio tuo peris, dum plus nimiùm in conuincendo doctissimo Valla elaborans, te tibi contraria allegare non aduertis. Qui enim paulò ante dixeras Episcopos ab Imperatoribus iudicari, iam quasi palinodiam recantans, ex Calcedonensis Synodi sententia à te producta fateri compelleris, nihil sibi Laicos, iudicesque sæcula-

res

res in cauſis Eccleſiaſticis, maximè cùm de iudicandis Epiſcopis quæſtio vertitur, vendicare poſſe. *Cecropius Epiſcopus dixit* (inquis ex eadem Synodi actione) *quando quædam regularia* (Eccleſiaſtica nempe) *examinantur, neque iudices, neque alios laicos intereſſe oportet.* Impius equidem ille Dioſcorus Imperatorem, iudiceſque ſæculares cùm ipſius cauſa in Synodo tractanda foret, adeſſe petierat, quod tamen ei ab ipſo Cecropio Epiſcopo Sebaſteno, qui eum totius Synodi nomine citabat, denegatum videmus. Quod & aliàs in eadem Synodo factum in cauſa Euſtathij Epiſcopi Berythi legimus. Cùm enim Photius Tyri Epiſcopus apud Marcianum Imperatorem de iure antiquo ſuæ Metropolis diminuto, pluribus ab eodē Euſtathio ciuitatibus vſurpatis, queſtus eſſet: Imperator cauſam illam Epiſcopis in Synodo congregatis iudicandam reliquit: Hinc Iudicum ad eundem Euſtathium reſponſio in Synodo facta. *Sacratiſſimo,* inquiunt, *Domino orbis placuit, nō iuxta ſacras Imperatoris litteras & pragmaticos typos res ſanctiſſimorū Epiſcoporum procedere, ſed ſecundum Canones à ſanctis Patribus datos. Omni igitur ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, Canones de hoc capitulo editi legantur.* Et inferiùs. *Dicat ſancta Synodus vtrùm ei placeat ex regulis Patrum huius cauſæ quæſtionem examinari, an ex ſacris pragmaticis, de quibus ea quæ ſacro apici viſa ſunt, iam omnibus aperta fecimus. Sancta Synodus dixit: Contra Canones nihil pragmaticum valebit. Regulæ patrum teneant.* Et infra, cùm idem Euſtathius adhuc Imperatorias leges contra Nicænum Canonem allegatum, vrgeret, *Atticus Epiſcopus Nicopolis dixit,*

Act. 3. Cōcil. Chalcedon.

Baron. ad annum 451. numer. 99.

Ibidem numer. 101.

Supplicamus, vt nunc etiam virtus Canonum in quoslibet & in omnes Prouincias valeat, cessantibus omnibus, quæ ex conuersatione, & ambitione pragmaticorum fiunt, quæ & euerterunt ea, quæ spiritualiter & secundùm Deum à sanctis patribus sancita sunt. Cui & sancta Synodus rem ipsam definiens, respondit. *Eustathius reuerendissimus Episcopus à sacro pragmatico typo nihil amplius sibi vendicet, quàm reliqui Episcopi eiusdem prouinciæ.* Ibidem etiam cùm Cecropius Episcopus eidem Synodo suggessisset. *Petimus vt sine contradictione cessent ea pragmatica, quæ in detrimentum Canonum à quibusdam facta sunt in omni Prouincia. Canones verò per omnia teneant, sic enim & fides custoditur, & vnaquæque Ecclesia tutum statum habebit. Sancta Synodus acclamauit, Vniuersa pragmatica cessabunt: Canones teneant.*

Ibidem numer. 102.

Ibidem numer. 103.

Obiectio.

Honorius legem scripsit de Pontificatu, quæ canonizata est 79. dist. Can. si duo.

1a3. 133.

Responsio.

In quo vero Codice, in quibus Digestis hanc Honorij legem descriptam reperies? Si Decretum allegas. Optimè. Inde enim lex tantùm cepit esse cùm vel à Bonifacio promulgata, vel in corpus Canonum Honorij sententia fuit redacta. Antea verò minimè. Honorius quidem in Epistola ad Bonifacium missa non ex se, sed ex eiusdem Bonifacij sententia, quid tenendum esset cùm duo de Pontificatu certarent, rescripsit, nullam autem legem super hoc promulgauit. *Denique*, inquit Honorius, *Beatitudine tua prædicante, id ad cunctæ-*

can. Victor Honorius. distinct. 97.

rum clericorum notitiam volumus peruenire, vt si quid fortè religioni tuæ (quod non optamus) humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitione esse cessandum & si duo, &c. Infra verò, vt quæ à se dicta essent, non ex mero imperio, sed ex admonitione tantùm prouenire demonstraret. *Vnde*, addit ille, *id obseruandum est, vt omnes tranquillam mentem & pacificos animos ex serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid seditiosis conspirantibus tentare conentur.* Ideo autem Honorius de futura sede vacante sollicitus erat, quod Eulalium schismaticum apud Antium, non longè ab vrbe, exulantem, ac Bonifacij longa ætate & mala valetudine fracti, ac debilitati obitum operientem, didicisset. Ibid. in fine.

OBIECTIO.

Leo Pontifex ad Lotharium Imperatorẽ dist. 10. *can.* de Capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, vestrorumq; Pontificum prędecessorum irrefragabiliter custodiendis & conseruandis, quantùm valuimus & valemus, Christo propitio ex nunc & in æuum nos conseruaturos omnibus modis profitemur. pag. 133.

RESPONSIO.

Nunquid verò ea aliquando vidisti, quæ super hunc Canonem in noua Decreti editione annotata fuêre? *Epistola hæc* (inquit annotationis author) *non est inuenta, & in istis verbis videtur subesse mendum, in quo author glossæ errandi occasionem sumpserit, qui Christianis Imperatoribus, cuiusmodi fuerant* Gloss. in can. De tabulis. distinct. 10.

prædecessores Lotharij, attribuat illud quod Isidorus de Ethnicis dicit: Nimirum Imperatores solitos fuisse apellari Pontifices. Et meritò quidem: Licèt enim, vt suprà ex Zozimo docuimus, Imperatores etiam Christiani à Constantino vsque ad Gratianum, à Pontificis maximi titulo sibi ab Ethnicis oblato non abhorruerint: Gratianus tamen ipse, nec successorum eius Imperatorum aliquis, eiusmodi titulo vsus non reperitur. Vnde citatus Leonis 4. textus ab Iuone correctus dupliciter habetur. In Decreto quidem sic, *De capitulis, vel præceptis Imperialibus vestris, nostrorumque etiam Pontificum prædecessorum,* &c. In Pannomia autem, *De capitulis, vel præceptis Imperialibus nostris, nostrorumque Pontificum & prædecessorum.* Subdit præterea idem annotationis author pluta alia, pro dilucida Canonis istius interpretatione, quæ curiosus lector, si libeat, legere poterit, vnde tamen aliquid quod Pontificiæ auctoritati derogare valeat, colligere fas non erit: Siue enim dicas cum eodem auctore. *Imperatores solitos fuisse edere capitula, adhibitis in consilium Pontificibus regni,* siue etiam cum Gelasio & Nicolao. *Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus vti solere legibus.* Quid præiudicat? Adde quod cùm de Capitulis Imperialibus idem locutus sit Leo, non dubium est, quin de Capitularibus Regum Francorum libris intellexerit, quos ab ipso Leone, necnon & ab eius successoribus Sergio & Gregorio 4. Pontificibus confirmatos, non obscurè Benedictus Leuita, qui eos collegit, testatur. *Capitula,* inquit, *istorum librorum Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica inter-*

Iuo part. 4. cap. 176.

Pannom. lib. 2. cap. 149.

Gloss. in can. de Capitulis, distinct. 10.

Idem ibid.

Gelas. ad Anastas. Nicolaus in epist. ad Michaelem.

Capitular. lib. 7. in fi.

fuit legatio, Nam eorum nomina præter trium, id est, Leonis, Sergij, & Gregorij, hîc non inseruimus, licèt ea per singulos conuentus inserta inuenissemus, vitantes legentium atque scribentium fastidia. Si quis autem plenius ea nosse voluerit, illorum legat authentica, quibus illa inserta reperiet. Quin & Carolus Caluus eadem Capitula asserit eiusdem Leonis auctoritate firmata. *In diebus,* inquit de ijs loquens, *Domini & genitoris nostri piæ memoriæ Hludouici Imperatoris cùm ipsa tepescere executio aliquatenus cepit, apud Papam Eugenium inde ab eo commonitio facta est. Qua de re Synodum idem vniuersalis Papa conuocans, inter alia generalia decreta promulgare curauit, quæ Leo 4. tempore HLotharij, & nepotis nostri HLudouici obseruanda decreuit, sicut in gestis Synodalibus, & in huius sanctæ Romanæ Ecclesiæ archiuo haberi credimus, & ab hac sancta Sede nostris decessoribus directa, venerabili sanctione habemus.* Vt non mireris si ipse Leo ea se conseruaturum profiteatur, quæ antea confirmauerat.

Carol. Caluus in epist. ad Ioann. 8. ca. 2. habetur inter epist. Hincmari.

OBIECTIO.

Et Leo 4. ad Ludouicum Imperatorẽ, 2. quæst. Pag. 122.

7. Nos si incompetenter aliquid egimus, aut in subditis legis tramitem non conseruauimus, vestro, ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio. *Hæc autem ne cauillentur aduersarij, dicuntur à Leone Papa non per solam humilitatem.*

RESPONSIO.

Malè ergo Gratianus tuus, ô Iurisconsulte, Leonẽ ex humilitate talia dixisse asseruit. *Ex hac etiam,* inquit, *humilitatis dispensatione intelligitur illud Leo-*

Gratian. ad can. Nos si incõpetẽter. 2. quæst. 7.

nis 4. Ludouico Augusto dictum, Nos si incompetēter, &c.

OBIECTIO.

pag. 133. *Hæc à Leone dicuntur per agnitionem legitimæ potestatis, quam iure diuino inesse Imperatoribus sciebat.*

RESPONSIO.

Ad quid ergo Lotharius, qui eumdem Ludouicum præcessit, suarum legum vindicem priori loco eumdem Leonē Romanum Pontificem, inde verò Imperatorem professus est? *Si offensionem*, inquit, *contra eamdem legem fecerint, eidem legi, qua profitentur viuere, per dispensationem Pontificis, & nostram subiacebunt.* Numquid ipse Leo arrogatum sibi ab ijsdem Imperatoribus Lothario & Ludouico Romani Pōtificis confirmandi ius, irritum reddidit? *Inter nos & vos*, ait ille, *pacti serie statutum est & confirmatum, quod electio Romani Pontificis non nisi iustè & canonicè fieri debeat.* Hinc ad Carolum Caluum Frācorum Regem, eorumdemque Imperatorum fratrem rescribens, humilitatem suam (quam sub inutilitatis nomine occultat) nullatenus suæ sedis dignitati præiudicare debere, testatur. *Si fortassis*, inquit, *quod non credimus apud vos inutiles iudicamur, Ecclesia tamen, cui permittente Domino præsumus, non inutilis, sed caput, principiumque omnium meritò simul ab omnibus vocatur.*

Leg. Longobard. lib. 2. tit. 57.

Distinct. 63. can. Inter nos.

can. Si fortassis. 16. quæst. 7.

OBIECTIO.

Gelasius ad Anastasium Imperatorē. Quantùm ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ cognoscentes Imperium tibi super-

na disposítione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites.

RESPONSIO.

Quidni Pontifices iustis Principum Christianorum legibus sponte, libenterque obediant, qui Ethnicorum, immò & nominis Christiani persecutorum Imperatorum statutis, quæ iustitia pollerent & veritate parere non renuerunt? Audi tamen ex eodem Gelasio quousque huiusmodi se extendat Pontificum obedientia. *Christus*, inquit, *sic actionibus proprijs dignitatibusque distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium cursu rerum Imperialibus dispositionibus vterentur.* Cùm ergo de temporalium disciplina seu directione agitur, rectè equidem Reges ea, quæ ad ciuilem politiam spectant dirigere possunt, cùm autem de Ecclesiastica disciplina quæstio est, iam Pontificum munus est, quibus & ipsi Principes obedire tenetur. Hinc ipse Gelasius cùm de vtraque potestate Ecclesiastica nempe & ciuili dixisset, *Duo sunt, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum, & Regalis maiestas*, iam potestatis vtriusque officia describens: de Priori, Ecclesiastica nempe, hæc subdit, *Tantò grauius*, inquit, *est pondus sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus Domino in diuino reddituri sunt examine rationem: Nosti etenim, fili clementissime, quòd licèt præsideas humano generi dignitate, rerum tamen Præsulibus diuinarum deuotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis, inque sumendis celestibus Sacramentis, eisque,*

Gelas. tom. de Anathemat. vincul. ad Anastas.

Ibidem & 96. dist. can. Duo sunt.

Gelas. ibid.

vt competit, disponendis, subdi te debere cognoscis, religionis ordine potiùs, quàm præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi velle voluntatem. De temporali autem, seu ciuili, hæc subiungit. *Si enim quantùm ad ordinem pertinet disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis Antistites, ne vel in rebus mundanis exclusæ videantur obuiare sententiæ, quo rogo te decet affectu eis obedire, qui pro erogandis venerabilibus sunt attributi mysterijs?* Quid ergo? Anne cùm disciplinæ nomen audis, statim de Ecclesiastica & non potiùs de ciuili intelligendũ existimas? In priore equidem sententiæ membro, etsi disciplinæ nomen non reperiatur, res tamen ipsa quæ per disciplinæ nomen designatur, non obscurè percipitur. Ad quid enim diceret. *Pontifice pro regibus ipsis rationem reddituros, reges ipsos præsulibus colla submittere, atque ab eis causæ suæ salutis expetere, necnon & eos ex illorum pendere iudicio,* nisi ad Ecclesiasticã disciplinam respiceret? Quòd enim de diuinis mysterijs dictum vrges, satis apertè ex eo falsum conuincitur, quod illud ipsum per alia verba satis superque assertum demonstratur, *& in sumendis*, inquit, *celestibus sacramentis, eisque, vt competit, disponendis subdi te debere cognoscis.* Illic ergo vnum ab alio distinguitur, clauis à claui, clauis, inquam, ordinis, per quam sacramenta dispensantur, à claui iurisdictionis per quam disciplina Ecclesiastica dirigitur. Vtrumque verò Pontificis proprium, Pontifici tribuitur.

Idem ibid.

OBIECTIO.

pag. 135. *Romæ conferuntur beneficia, non secundùm*

præscriptum Pontificis, sed secundùm sanctiones regias.

RESPONSIO.

An non secundùm ea, quæ in Concordatis præscripta habentur, Gallica iam beneficia Romæ conferuntur? Quis verò talem Concordatis auctoritatem dedit, vt per ea (quod antea non licebat) abrogata Pragmatica sanctione, Christianissimi Reges nostri, vacatione occurrente, ius habeant Episcopos, vel Abbates nominandi? Nonne summus ipse Pōtifex? Ignoras fortè, quod sciolus quisq; non ignorat. Accipe ergo certissimum magni Francisci Galliarum quondam Regis testimonium. *Cùm Bononiam*, inquit, *cum omni nostro comitatu veniſſemus, exhibendæ gratia reuerentiæ sanctiſſimo Patri nostro Leoni* 10. *Pontifici summo, quam ei Franciæ Reges maiores nostros, vt primos ac maximos sacrosanctæ Ecclesiæ filios exhibuisse nouimus, obnixis precibus abeo contendimus, vt si Pragmaticæ nomen omnino esset abrogandum, saltem vice illius, bona sua, Concilijque sui venia, certas nobis leges, conditioneſque meditari, comminiſcique liceat, quibus Imperium nostrum supradictum vteretur.* Et post pauca, eiusdem Leonis bullam, eadem Concordata approbantem, referens, *Ex nostra scientia*, inquit Leo, *& potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, loco dictæ pragmaticæ sanctionis, & omnium, & singulorum Capitulorum in ea contentorum, videlicet, vt de cætero Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesijs, illarum Capitula & Canonici ad electionem, seu postulationem inibi futuri Prælati, procedere non poſ-*

In Proœmio Concordat.

Cōcordat. in Rubr. de reg. ad præiatur. nominat. faciend.

sint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, vnum grauem magistrum, &c. nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu sedi prædictæ nominare, & de persona per Regem huiusmodi nominata, per nos, & successores nostros, seu sedem prædictam prouideri debeat. Omitto cætera in eadem bulla tam circa nominationes, quàm collationes ab ipso Pontifice, etsi Rege consentiente, præscripta, quibus apertè falsi ipsius Simonis assertio conuincitur.

OBIECTIO.

pag. 136. *Idem est de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, quæ partim à regimine Aristocratico Ecclesiæ, partim à Canonibus Conciliorum capitulis, ac legibus, quas pro disciplina Ecclesiastica Reges nostri tulerunt, suam originem repetunt.*

RESPONSIO.

Quinimmò Pithæus, qui specialem de libertatibus istis tractatum edidit, nec regimini Aristocratico, nec Capitulis, nec legibus, quas pro disciplina Ecclesiastica Reges nostri aliquando tulerint, earum tribuit originem. Accipe Gallica, sed germana eius verba. *Ce que nos Peres*, dit-il, *ont appellé Libertez de l'Eglise Gallicane, & dont ils ont esté si fort ialoux, ne sont point passedroicts, ou priuileges exorbitans, mais plutost franchises naturelles, & ingenuitez, ou droicts communs*, quibus (*comme parlent les Prelats du grand Concile d'Afrique, escriuans sur pareil sujet au Pape Celestin*) nulla patrum definitione derogatum est, Ecclesiæ Gallicanæ, *esquels nos Anceſtres se sont tresconstamment maintenus, & desquels partant, n'est*

Pithœ. in tract. de libertat. Eccles. Gallic. pag. 312.

beſoin monſtrer aucun tiltre, que la retenuë & naturelle oüiſſance. Vt quid ergo regum Capitula pro libertatibus illis venditas, quæ doctiſſimus Pithæus ſe gnorare ingenuè profitetur? Quod ſi de noſtrorum Regum priuilegijs, ſermo eſt: Vnde quęſo tibi tantùm in Romanos Pontifices odium, vt cùm plura ſint ab eis in eorum fauorem indulta priuilegia, beneficij tamen immemor ſiniſtra prorſus interpretatione ad alios ea detorquere non verearis? Si Carolo magno eligendi Pontificis, atq; Epiſcopos inueſtiendi ius olim datum fuiſſe dicitur, nonne Hadriani primi beneficium fuit? Si aduerſus Francos temerè bella mouere ſub excommunicationis pœna interdictum, nonne Stephani 3. priuilegium fuit? Innocentius quartus decem Indulgentiarum dies, Clemens vero V. centum pro pace & ſalute Regis ac regni Franciæ orantibus conceſſit. Innocentius, Clemens, ac Gregorius regalia capiendi, ac beneficia in regalijs vacantia conferendi ius à Franciæ Rege vendicatum approbauêre. Clemens V. & Martinus V. vt Rex Franciæ à nullo ſui regni Antiſtite excommunicari poſſet, nec excommunicatus declarari indulſêre. Idem quoque Martinus vt Rex Franciæ cognitionem haberet cauſarum ciuilium inter perſonas Eccleſiaſticas in poſſeſſorio de cauſis ſpiritualibus, vel cauſam eis annexam habentibus cõceſſit. Quòd ſi quædam Capitula à Carolo Magno alijſque Francorum regibus pro diſciplina Eccleſiaſtica promulgata vrgeas, numquid ea non Apoſtolica tantùm auctoritate firmata, ſed & quàmplurima eiuſdem Apoſtolicæ ſedis hortatu, ſanci-

can. Hadrianus. diſt. 63.

Ferald. de iurib. ac priuil. Reg. Franc. in 2. priuileg.

Idem in 3. priuileg.

Idem in 5. priuileg.

Idem in 6. priuileg.

Idem in 11. priuileg.

ta, ignoras? Ac de auctoritate quidem Apostolica hæc habet Benedictus Leuita eorumdem Capitulorum collector. *Agnoscant*, inquit, *omnia hæc prædictorum Principum Capitula maximè Apostolica auctoritate fore firmata: Post ista quoque quæ sequuntur, eadem auctoritate maxima (vt diximus) ex parte, & omnium Francorum vtriusque ordinis virorum assensu sunt roborata.* Alibi quoque. *Ex Capitulis*, inquit, *Domini Ludouici in Ingilheim Apostolica auctoritate, & Synodali sanctione, omnium videlicet clericorũ & laïcorum generaliter consensu, atque hortatu decretis.* Et in fine libri septimi. *Maximè trium vltimorum Capitula istorum librorũ Apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica interfuit legatio.* Si verò exhortantis, ad sancienda eadem Capitula, vel consulentis summi Pontificis testimonium requiras, egregium equidem, veriſſimumque tibi Carolus ille Magnus exhibebit in sua ad legẽ, quam de militari expeditione sanxit, prælocutione, quæ ita concipitur. *Carolus Dei gratia Rex, regnique Francorum rector, & deuotus Ecclesiæ defensor, atque adiutor in omnibus Apostolicæ sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maximè Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum consultu, seruus Dei*, & c. Et infrà. *Omnibus vobis tam præsentibus, quàm futuris scire cupientibus, quia ideò consultu sedis Apostolicæ, & omnium nostrorũ Episcoporũ*, & c. Necnon & in quinto Capitularium libro, vbi cùm de Presbyteris criminosis agendum foret. *Ad consultandum*, inquit, *patrem nostrum Leonem Papam Sacerdotes nostros mittimus, & quidquid ab eo, vel à suis perceperimus, vobis vnà cum illis, quos mittimus renuntiare non tardabimus.* Et Capitulo sequenti. *Qua-*

Benedict. Leuita in Præfat. ad lib. 5. Capitular.

Capitul. lib. 6. cap. 96.

Capitul. lib. 7. in fine.

Capitul. lib. 7. cap. 104.

Ibid. c. 205.

Capitul. lib. 3. cap. 33.

Ibid. cap. 34.

er, inquit, *consultu Domini & patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & liquorum Sacerdotum, &c. definitum est, vobis omnius vtriusque ordinis ministris scire volumus.* In septio etiam cum de Chorepiscoporum auctoritate ta esset quæstio. *Hoc iurgium*, inquit, *cùm enucleaus discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc Apostolim sedem consulere, iubente* (nota) *canonica auctoritate, que docente. Si maiores causæ in medio fuerint deuolutæ l sedem Apostolicam vt sancta Synodus statuit, & beaconsuetudo exigit, incunctanter referantur. Quapropter rnonem Archiepiscopum misimus ad Leonem Apostocum, vt inter cætera, quæ ferebat, etiam eum de hoc inrogaret, vt quidquid super his definiendum esset, Apolica auctoritate à nostris Episcopis regulariter sopiretur.* deò vt idem Imperator Frãcorumque Rex nulus prorsus esse auctoritatis, quod contra Apostoca decreta sanciretur, edixerit. *Constitutiones*, inuit, *contra Canones & decreta Præsulum Romanorum, u reliquorum Pontificum, vel bonos mores, nullius esse omenti volumus.*

Capitul. lib. 7. cap. 387.

Ibidem cap. 261.

Obiectio.

Quoties Romani Pontifices aliquid in iuris com- pag. 116.
unus perniciem aggressi sunt, illis maiores nostri renuè obstiterunt.

Responsio.

Ad quid ergo aurea illa sacratissimo Imperatoe Carolo magno dignissima, atque in Triburien- Concilio confecrata sententia? *In memoriam*, inquit, *beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater*

Dist. 19. can. 3. In memoriam. Concil. Tribur. can. 30.

est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum (nota) *ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Ad quid & religiosa Philippi Augusti, sancti Ludouici testimonio roborata, responsio. *Dicitur de Rege Philippo aut nostro*, inquiebat ille sanctus, *quod quidam de Consiliarijs suis dixit ei, quòd Clerici multa dãna inferebant ei, iura ipsius vsurpando, & mirabãtur multi, quòd ita tolerabat: Cui Rex respondit, Bene credo, quod dicis, sed quando cogito beneficia, quæ mihi Dominus cõtulit, meliùs volo pati, quàm inter me & Ecclesiam scandalum suscitare.* Vnde & iam moribundum eumdem sanctũ, talem Philippo primogenito præceptionẽ testamento reliquisse comperimus. *Sis deuotus*, inquit, *& obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, ac summo Pontifici, tanquam patri spirituali.* Nec mirum, cùm & eo viuente, *quàm reuerenter & humiliter*, inquit Guilielmus eius Capellanus, *erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quàm deuotè, & obedienter rescripta, & mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quàm obedienter & efficaciter, sicut verus filius obedientiæ adimplere, norunt illi, qui ei familiarius adhærebant. Ipse enim negotia matris Ecclesiæ plus quàm propria reputans, ea totis affectibus promouere curabat.*

Gaufrid. de Belloloco in vita S. Ludouici cap. 15.

Idem ibid. paulò pòst.

Guiliel. Carnot. de vita & mirac. S. Ludouici paulò antè medium.

Obiectio.

pag. 136. *Episcopi teste Aimoino lib. 5. cap. 33. nec Regis Imperio adigi potuerunt, vt primatum Anseginso Senonensi in Metropolitanos & Episcopos Galliæ ex decreto Ioannis 8. tribuerent.*

RESPONSIO.

Odorannus tamen Monachus Senonenſis, ac etus Hiſtoricus Synodi Pontigonenſis verba re- erens rem geſtam aliter narrat. *Sicut*, inquit, *Domi- us Ioannes Papa ſanxit, conueniente & conſentiente, & ncedente domno, ac glorioſiſſimo Carolo Imperatore ſem- r Auguſto, Anſegiſum venerabilem Epiſcopum Seno- um, ſuam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Ger- aniæ contulit in euocanda Synodo, & definiendo canoni- , ſi quælibet inſurrexerint neceſſaria, & nos vnanimiter ni deuotione laudamus, Et vt ita ipſe primatum teneat allię, & Germaniæ decernimus, & ſancimus, cunctique ceſſores eius in propria vrbe.* Odorann. in Annal. apud Baron. ad annum 875. numero 9.

OBIECTIO.

Si Clerus ijs eſſet moribus præditus, quibus olim lendebat, nulla nobis eſſet cum illis de iuriſdictio- expoſtulatio. Cyprianum audiant lib. 1. Epiſt. 9. pag. 138.

inguli diuino Sacerdotio honorati, & unĉti in Clericali miniſterio conſtituti onniſi altari & ſacrificijs deſeruire & pre- bus atque orationibus vacare debent. criptũ eſt enim nemo militans Deo im- icet ſe negotijs ſæcularibus, vt poſſit pla- ere, ei cui ſe probauit.

RESPONSIO.

Audiamus erga libenter S. Cyprianum, ſollici- que cur hæc proferat, indagemus. Sententia mi- s obſcura, ſi quæ allegatum textum & præce- nt, & ſequuntur attentiùs conſiderentur. De eſbytero, tutore contra Canones inſtituto, con-

est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum (nota) *ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Ad quid & religiosa Philippi Augusti, sancti Ludouici testimonio roborata, responsio. *Dicitur de Rege Philippo auo nostro*, inquiebat ille sanctus, *quod quidam de Consiliarijs suis dixit ei, quòd Clerici multa dãna inferebant ei, iura ipsius vsurpando, & mirabantur multi, quòd ita tolerabat: Cui Rex respondit, Bene credo, quod dicis, sed quando cogito beneficia, quæ mihi Dominus cõtulit, meliùs volo pati, quàm inter me & Ecclesiam scandalum suscitare.* Vnde & iam moribundum eumdem sanctũ, talem Philippo primogenito præceptionẽ testamento reliquisse comperimus. *Sis deuotus*, inquit, *& obediens matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, ac summo Pontifici, tanquam patri spirituali.* Nec mirum, cùm & eo viuente, *quàm reuerenter & humiliter*, inquit Guilielmus eius Capellanus, *erga sacrosanctam Romanam Ecclesiam semper se habuit, quàm deuotè, & obedienter rescripta, & mandata Apostolica consuetus erat suscipere, quàm obedienter & efficaciter, sicut verus filius obedientiæ adimplere, norunt illi, qui ei familiariùs adhærebant. Ipse enim negotia matris Ecclesiæ plùs quàm propria reputans, ea totis affectibus promouere curabat.*

Gaufrid. de Belloloco in vita S. Ludouici cap. 15.

Idem ibid. paulò pòst.

Guiliel. Carnot. de vita & mirac. S. Ludouici paulò antè medium.

OBIECTIO.

pag. 136. *Episcopi teste Aimoino lib. 5. cap. 33. nec Regis Imperio adigi potuerunt, vt primatum Anseglso Senonensi in Metropolitanos & Episcopos Galliæ ex decreto Ioannis 8. tribuerent.*

RESPONSIO.

Odorannus tamen Monachus Senonensis, ac vetus Historicus Synodi Pontigonensis verba referens rem gestam aliter narrat. *Sicut*, inquit, *Dominus Joannes Papa sanxit, conueniente & consentiente, & concedente domno, ac gloriosissimo Carolo Imperatore semper Augusto, Ansegisum venerabilem Episcopum Senonum, suam vicem tenere, & primatum ei Galliæ & Germaniæ contulit in euocanda Synodo, & definiendo canonicè, si quælibet insurrexerint necessaria, & nos vnanimiter omni deuotione laudamus, Et vt ita ipse primatum teneat Galliæ, & Germaniæ decernimus, & sancimus, cunctique successores eius in propria vrbe.* Odorann. in Annal. apud Baron. ad annum 875. numero 9.

OBIECTIO.

Si Clerus ijs esset moribus præditus, quibus olim splendebat, nulla nobis esset cum illis de iurisdictione expostulatio. Cyprianum audiant lib. 1. Epist. 9. pag. 138.

Singuli diuino Sacerdotio honorati, & cuncti in Clericali ministerio constituti nonnisi altari & sacrificijs deseruire & precibus atque orationibus vacare debent. Scriptū est enim nemo militans Deo implicet se negotijs sæcularibus, vt possit placere, ei cui se probauit.

RESPONSIO.

Audiamus erga libenter S. Cyprianum, sollicitéque cur hæc proferat, indagemus. Sententia minùs obscura, si quæ allegatum textum & præcedunt, & sequuntur attentiùs considerentur. De Presbytero, tutore contra Canones instituto, con-

queritur. Quidni? De Ecclesiastica vero iurisdictione ne verbum quidem. Vnde ergo ducta conclusio? *Grauiter cõmoti sumus*, inquit S. Cyprianus, *ego & collegæ mei, qui præsentes aderant, & compresbyteri nostri, qui nobis assistebant, cùm cognouissemus, quod Geminius Victor frater noster de sæculo excedens Geminium Faustinum Presbyterum, tutorem testamento suo nominauerit, cùm iampridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis & ministris Dei tutorem, vel curatorem testamento suo constituat, cùm singuli diuino Sacerdotio honorati, & cuncti in Clericali ministerio constituti, non nisi altari, & sacrificijs deseruire, &c.* Post allegatum verò textum subdit S. Cyprianus. *Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes censuerunt, ne quis frater excedens ad tutelam, vel curam Clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & ministros suos Leuitas auocare voluit:* Vnde tandem ita concludit. *Ideò Victor cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam Geminium Faustinũ Presbyterum ausus sit actorem constituere, non est quo pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in Ecclesia frequentetur, vt Sacerdotum decretum religiosè & necessariè factum seruetur à nobis. Simul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes & ministros Dei altari eius & Ecclesiæ vacantes, ad sæculares molestias (nota) deuocet.* Audisti itaque ex sancto Cypriano à quibus sæcularibus, non tam negotijs, quàm molestijs (huiusmodi enim verbo vtitur) Clerici sint auocandi.

3. Cypr. lib. 1. epist. 9.

Ibidem.

OBIE-

Obiectio.

Prima Synodus Carthaginensis can. 6. Nemo militans Deo ingerit se negotijs sæcularibus. Proinde aut Clerici sint sine actionibus domorum, aut actores sine officio Clericorum. pag. 139.

Responsio.

Iustellus acuratissimus Africanorum Canonum collector, hunc Canonem decimosexto loco, talibusque conceptum verbis ponit, ὁμοίως ὑπερτιν. ἵνα ἐπισκοποι ϗ πρεσβύτεροι, &c. quem & Latinè sic reddidit. *Item placuit, vt Episcopi, Presbyteri & Diaconi non sint conductores, aut procuratores, neque vllo turpi negotio, & inhonesto victum quærant, quia respicere debent scriptum esse, nullus militans Deo implicet se negotijs sæcularibus.* Quid inde? *Certè,* inquit Theophylactus, *vitæ huius negotia compedum loco sunt. Negotia verò cùm dicit Apostolus, varius animi perturbationes, molestiasque designat, ab hisque vt declinemus hortatur, perinde ac si dicat, quid te molestioribus rebus & negotijs implicas? Militiæ dūtaxat vaca, hoc pacto morem Christo gesseris, qui te ad id militiæ genus elegit.* Militiæ autem spiritualis, ait D. Thomas, *Finis est, vt victoriam quis habeat ab omnibus, quæ sunt cōtra Deum, & ideò oportet quòd abstineat ab omnibus, quæ distrahunt à Deo: Hæc autem sunt negotia sæcularia, quia sollicitudo huius sæculi suffocat verbum. Et ideo dicit Apostolus implicat se, non autem exercet se. Ille autem eis implicatur, cuius cura & sollicitudo iungitur circa ipsa. Et tunc propriè hæc ipsa interdicuntur militibus Christi, in quibus ostenditur non esse necesse implicari animū. Item non dicit simpliciter im-*

Iustell. in Cod. can. Afric. can. 16.

Theophyl. in 2. ad Timoth. cap. 2.

S. Thomas in eumdem Apostoli locū.

plicatur, sed dicit implicat se, quia quandoque quis implicatur, & non se implicat. Implicat enim se quando sine pietate & necessitate assumit. Sed quando necessitas officij, (nota) *pietatis, & auctoritatis exercetur, non implicat se, sed implicatur huiusmodi necessitate.* Qui ergo ex officij, pietatis, aut auctoritatis necessitate sæcularibus negotijs implicatur, iam contra Apostoli sententiam non agit. *Otium enim sanctum quærit charitas,* inquit S. Augustinus apud Lyranum, *sed negotium iustum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullas imponit, contemplandæ veritati vacandum est, si autem imponitur suscipienda est propter charitatis necessitatem.* Et idcirco Episcopi, quibus ex officio disciplina Ecclesiastica dirigenda incumbit, vel vt inquit Carolus ille Magnus in Capitularibus, *Qui potestatem habent res Ecclesiasticas prouidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundùm canonicam auctoritatem,* vtpote, ait idē alio in loco, *Dispensatores Regiæ domus, quorum arbitrio in aula regis æterni diuiduntur gradus & officia singulorum.* Episcopi, inquam, nullo pacto sunt arguendi, si compellente Ecclesiæ necessitate, sæcularibus aliquando negotijs implicentur. Ideò enim in allegato Canone, secundùm Isidorum canonum collectorem. *Nicasius Episcopus Culusitanus dixit, Credo placere suggestionem meam sanctitati vestræ, & displicere vobis, vt qui seruiunt Deo & annexi sunt clero non accedant ad actus, seu administrationem, vel procurationem domorum:* Vbi nota eum de administratione, seu procuratione domorum, nōn autem Ecclesiæ loqui.

Lyran. in 2. cap. 2. ad Timoth.

Capitular. l. 5. cap. 114.

Ibid. c. 163.

Concil. Carthag. 1. can. 6. apud Isidor.

OBIECTIO.

pag. 139. *Quando Ecclesiastici secundùm leges ciuiles pos-*

sident, & negotiantur, certè secundùm easdem leges debent iudicari. Principes enim soli suarum legum sunt vindices.

RESPONSIO.

Itane Principes soli suarum legum sunt vindices? Ad quid ergo Lotharij rescriptum inter Longobardorum leges primitus relatum? *Volumus*, inquit, *vt cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult viuere, & tali lege, quali lege viuere professi sunt, viuant, illique definitetur, vt hoc vnusquisq; tam Iudices, quàm duces, vel reliquus populus sciat, quòd si offensionem contra eandem legem fecerint, eidem legi qua profitentur viuere per dispensationem Pontificis, & nostram subiacebunt.* Pontificis, inquit ille, & nostram. Ergo non solus Imperator legum suarum vindex est, sed prior Pontifex, inde Imperator. Leg. Longobard. lib. 11. tit. 57.

OBIECTIO.

Augustinus in Can. Quo iure. *dist.* 8. Iure humano dicitur, hęc villa est mea, hæc domus mea est. Iura autem humana, iura Imperatorum sunt. pag. 119.

RESPONSIO.

In originali non ita se habet S. Augustini textus, sed vt sequitur. *Iure tamen humano dicit, hæc villa mea, hæc domus mea. Iure ergo humano, iure Imperatorum, quare? quia ipsa iura humana per Imperatores & reges sæculi Deus distribuit humano generi*, adeò vt S. Augustini dictum ad illum tantùm Donatistam, contra quem agit (quique legibus Imperatorum ademptas Donatistis villas & Ecclesiæ Catholicæ S. August. tract. 6. ad cap. 1. Ioann.

attributas, hæc dicens conquerebatur) sit referendum, non autē ad omnes omnino homines, quasi nihil prorsus à quoquam nisi iure humano possideri possit. Ex eodem enim S. Augustino alibi constat aliqua iure diuino, vel humano possideri

S. Aug epist. 48 citatur 23. quæst. 7. ca. 1.

posse. *Quamuis*, inquit, *res quæque terrena rectè à quoquam possideri non possit, nisi vel iure diuino, quo cuncta iustorum sunt, vel iure humano, quod in potestate est regum terræ.* Vbi glossa per ius diuinum, canonicum

Glos. ibid. super verbo diuino.

intelligit. Quin & glossa suprà citato canoni apposita, hos duos Canones ex eodem S. Augustini fonte depromptos, conciliare volens. *Bene*, inquit,

Gloss. in can. 1 verb. Iure diuino. dist. 8

potest esse quòd iure diuino aliquid sit proprium, sed ideo dicit hic, quod iure humano possidentur possessiones, quia iura humana potissimùm tractant de possessionibus, sed ius canonicum principaliter de decimis, vel primitijs: Vel dic quòd ibi ius diuinum strictè sumitur pro iure Canonico, sed hìc ius Canonicum comprehenditur sub iure humano, & hinc habes quòd petenti restitutionem, obstat exceptio hæresis.

OBIECTIO.

pag. 140.

Prima Synodus Aurelianensis sub Clodoueo æquissimè prohibuit Can. 6. ne dehinc Rege, aut iudice inscio vllus Clericus fieret, Nullus sæcularium ad Clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cùm Regis iussione, aut cum iudicis voluntate.

RESPONSIO.

Vis ergo sanciti huiusce Canonis rationes edisce re? Eas à Carolo magno in constitutione, sequenti articulo apposita, accipe; vbi tamen quod

de Clericis, seu ad Clericatus officium accedere cupientibus in Concilio Aurelianensi decretum fuerat, iam ad solos monachos, siue ad illos, qui ad seruitium Dei se tradere (quod est monasticam profiteri vitam) volebant, restrictū habetur.

OBIECTIO.

Et lib. 1. Capitular. Caroli magni cap. 120. De liberis hominibus, qui ad seruitium Dei se tradere volunt, vt priùs hoc non faciāt, quàm à nobis licentiam postulent. pag. 140.

RESPONSIO.

Præstat verò ibidem assignatas huiusce constitutionis obaudire rationes. *Hoc ideò* (addit ibi Imperator) *quia audiuimus aliquos ex illis, non tam causa deuotionis hoc fecisse, quàm pro exercitu, seu alia functione regali fugienda: Quosdam verò cupiditatis causa ab his, qui res illorum concupiscunt circunuentos audiuimus, & hoc ideo fieri prohibemus.* Duplici ergo prætextu, vt aliquis laicus, sub temporali adhuc Imperatoris iurisdictione constitutus, non tam ad Clerum, quàm ad monasticam professionem (id enim per Dei seruitium in prædicta sanctione positum intelligitur) adscisca tur, Imperatoris assensus requiritur, & ad vitandam fraudem, qua sub priuatæ deuotionis simulata specie, publicæ rei vrgens necessitas, graui vtpote imminente bello, deseritur, & ad præcauendam etiam hæredipetarum circunuentionem, dum alienis bonis inhiantes, sub ipso religionis, seu monastices fucato prætextu, eorum ciuilem mortem expetunt, machinanturque, quorum sibi non defuturam succession- Capitul. lib. 1. cap. 120.

nem certoſciunt. Quibus equidem malis, vt obuietur, Imperatoris prudentia requiritur, cuius ſine dubio munus eſt ea, quæ ad temporalem Imperij directionem ſpectant, dummodo potiori ſpirituali bono non obſint, ordinare. Hinc & à Valentiniano & Valente Auguſtis condemnatos olim eos repetimus, qui fictæ religionis prætextu, vt publica ciuitatis onera deuitarent, ſolitudines petebant. *Quidã*, inquiunt, *ignauiæ ſectatores, deſertis ciuitatũ muneribus captant ſolitudines, ac ſecreta & ſub ſpecie religionis cum cœtibus Monazontôn congregantur. Hos igitur, atque in huiuſmodi deprehenſos erui latebris conſulta præceptione mandamus, atque ad munia patriarum ſubeunda reuocari.* Nec ſolùm Imperatores, ſed & Cõcilia ipſa eos, qui ſub religionis prętextu, quiduis quod iuri diuino, vel naturali cõtrarium erat, audebant, condemnarunt. Hinc & in Concilio Gangrenſi filios, qui occaſione Dei cultus, parentes in neceſſitate poſitos deſeruerint, excommunicatos legimus. *Si qui filij*, inquit Canon, *parentes maximè fideles deſeruerint, occaſione Dei cultus, hoc iuſtum iudicãtes eſſe, anathema ſit.* Simulatus ergo tantummodò prætextus, non autẽ ipſa res in affectante religionem ab Imperatore arguitur. Alioquin cùm Clericus aliquis ſimpliciter ordinari deſiderat, nihil huiuſmodi ab Imperatore expetitur. *Eorum*, ait ille, *qui ad ordinandũ veniunt, fides & vita priùs ab Epiſcopo diligenter diſcutiatur & poſtea ordinẽtur*, ab Epiſcopo, inquit, non vtique ab alio, fides verò tantùm & vita, nihil autem prætereа. Et alibi, *Ne paſſim*, inquit, *Epiſcopus multitudinem Clericorum faciat, ſed ſecundùm meritum, vel reditum Eccleſia-*

Leg. 63. de decurion. C. Theodoſ. & Leg. 26. eod. tit. Cod. Iuſtinian.

Concil. Gangrenſ. can. 16. citatur diſt. 3. can. Si qui filij.

Capitul. lib. 1. cap. 2.

Capitul. lib. 6. cap. 125.

rum numerus moderetur. Vnde apertè colligas in Episcopi situm potestate, etiam non expectato Imperatoris assensu, Clericos facere.

Obiectio.

Plerisque nouorum ordinum hominibus vnicè propositum est, bullam in cœna Domini, qua Ecclesiastici eximuntur iurisdictioni Principum, stabilire. pag. 140.

Responsio.

Nunquid verò per solam Bullam, quæ in die Cœnæ Domini Romæ publicatur, Ecclesiastici liberi sunt à sæcularium Principum iurisdictione? Qui de antiquitate illius Bullæ scripsêre, tempore duntaxat Martini V. in Concilio Constantiensi illam incepisse dixerunt, circa annum videlicet 1420. At iam à tempore Caroli magni, qui anno 800. regni Francorum habenas regebat, Ecclesiasticos exemptos reperimus. Sic enim in Capitularibus edixit. *Si Clerici*, inquit, *inter se negotium aliquod habuerint, à suo Episcopo dijudicentur, non à sæcularibus.* Et paulò post. *Clerici Ecclesiastici ordinis si culpam incurrerint apud Ecclesiasticos iudicentur non apud sæculares.* Et alibi. *Sancitum est, vt nullus Episcopum, aut sacerdotem, vel Clericum apud iudices publicos accusare præsumat, sed apud Episcopos.* Item. *Clerici non sæcularibus iudicibus, sed Episcopali audientiæ reseruentur: fas enim non est, vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Et infra. *Vt nullus iudicum, neque Presbyteros, neque Diaconos, neque reliquos Clericos, vel iuniores Ecclesiæ, sine licentia proprij Episcopi per se distringat, aut condemnare præsumat.*

Tolet. in explicat. Bullæ cœnæ Domini in princip.

Capitul. lib. 1. cap. 28.

Ibid. cap. 38.

Capitul. lib. 5. cap. 237.

Capitul. lib. 6. cap. 109.

Ibid. c. 154.

Quod si fecerit tandiu communione priuetur, quãdiu reatum suum agnoscat, & per satisfactionem emendet Ec-
Ibid.cap.155. *clesiæ, quod commisit.* Et capit. seq. *Nullus ex ordine Clericorum inconsulto proprio Episcopo ad iudicem sæcularem pergat, neque criminale negotium in iudicio sæcu-*
Ibid. c. 143. *lari proponere audeat.* Et alibi. *Placuit vt Clericus, si relicto officio suo propter districtionem, ad sæcularem fortasse confugerit, & solatium ei defensionis impenderit, cum eodem ab Ecclesiæ communione pellatur.* Vnde colligas Clericum, nec tanquam reum, nec tanquam actorem coram iudice sæculari causam tunc dicere potuisse. Nec verò tantum tempore Caroli magni, sed & Constantini Imperatoris Clericos exẽptos
Sozom.lib.1. hist. Eccles. cap. 9. legimus. *Eos enim*, inquit Sozomenus, *vbique locorum immunes habendos esse lege sanciuit, & ijs qui ad iudicia trahebantur, liberum permisit ad Episcoporum sententiam appellandi, si ciuiles magistratus recusare voluissent, iussitque sententiam Episcoporum haberi ratam, & potiorem quàm aliorum iudicum, perinde atque si esset ab ipso Imperatore prolata.* Quod & *Constantius & Constans non minùs quàm parens ipsorum*, addit alibi
Idem lib. 3. hist. cap. 17. idem Sozomenus, *Ecclesiæ curam gerentes, ac Clericos vnà cum pueris, ac domesticis eorum, præcipuis honoribus ac immunitatibus honorantes:* Valentinianus item ac
Cod. de sacrosanct. Eccles. Leg. 12. Martianus ea priuilegia, quæ generalibus constitutionibus, vniuersis sacrosanctis Ecclesijs orthodoxæ religionis retro principes præstiterant, firma & illibata in perpetuum custodiri edixerunt. Hinc
Iustinia. Nouell. 79. 83. & 123. Iustinianus ipse Nouellas 79. 83. & 123. pro Clericorum exẽptione conscripsit. Quin & ipsa Concilia œcumenica non ignobile eidem exemptioni, quasi à multis iam sæculis introductæ, testimo-

nium perhibuêre. Ita Concilium Carthaginense 3. *Placuit quisquis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, seu Clericorum, cùm in Ecclesia crimen ei fuerit intentatum, vel ciuilis causa fuerit commota, si derelicto Ecclesiastico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit, etiã si pro ipso ei fuerit prolata sententia, locum suum amittat.* Et hoc in criminali actione. *In ciuili vero perdat quod euicit, si locum suum obtinere maluerit. Si quidem ad eligendos iudices sibi de Ecclesiæ consortio dubitat, vileque Ecclesiæ consortium iudicat, qui de vniuersa Ecclesia malè sentiendo de iudicio sæculari posit auxilium, cùm priuatorum causam Apostolus etiam ad Ecclesiam deferri, atque ibi determinari præcipiat.* Vbi maximè notandum, exemptionem istam ex Apostoli Pauli sententia, quæ primitiuæ Ecclesiæ praxim nobis indicat, confirmari. Ita Concilium Calcedonense. *Si Clericus aduersus Clericum habet negotium, non relinquat Episcopum suum, & ad sæcularia iudicia non recurrat.* Ita Concilium Agathense. *Clericum nullus præsumat apud sæcularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsare.* Ita Concilium Constantiense. *Laici nullam in Clericos potestatem, aut iurisdictionem habent.* Ita denique & Concilium Lateranense, *Tam à iure diuino, quàm humano laicis potestas nulla in Ecclesiasticas personas attributa est.* Omitto. & Concilijs antiquiores summos Pontifices, qui eiusdem Clericorum exemptionis meminêre, Caium, nempe, & Marcellinum, quorum ille ad Felicem scribens. *Nemo*, inquit, *Episcopum, aut reliquos Clericos apud iudicem sæcularem accusare præsumat:* Hic verò: *Clericum*, inquit, *cuiuslibet ordinis, absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæcularem iudicem trahere.*

Concil. Carthag. 3. can. 9. citatur 11. quæst. 1. can. Placuit.

Cõcil. Chalced. can. 9. & 11. quæst. 1. can. Si Clericus.

Cõcil. Agathens. can 23. & 11. quæst. 1. can. Clericũ.

Concil. Cõstant. sess. 31.

Concil. Lateran. sess. 9.

S. Caius in epist. ad Felic.

S. Marcell. in epist. 2.

Vt proinde non dubites, quin exemptio, qua de agitur, prædicta Cœnæ Domini bulla multo antiquior sit: imò & ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordijs, originem sumpserit.

OBIECTIO.

pag. 140. *Bellarminus libro de Clericis cap.* 28. Non possunt Clerici à Iudice sæculari iudicari, etiamsi leges ciuiles non seruent.

RESPONSIO.

Pace tua dixerim, non ita Bellarminus, sicut asseris, sed ita se habet germanus tertiæ illius propositionis textus. *Etsi*, inquit, *Clerici teneantur leges ciuiles seruare, non tamen possunt à iudice Politico puniri, vel vllo modo trahi ad sæcularis magistratus tribunal.* Quod etsi pluribus exemplis, maximè vero Constantini, probet, si adhuc tamen hæsitas, nec ei credis, maximi nostri Caroli eadem profitētis auctoritate firmabo: Cùm enim in Capitularibus dixisset *Præcipimus, atque iubemus, ne fortè quod absit aliquis circa Episcopos grauiter, aut leuiter agat, quod ad periculum totius Imperij nostri pertinet.* Paulò post hæc subdit: *Illud etiam ad exemplum reducendum est, quod in Ecclesiastica historia Cōstantinus Imperator Episcopis ait, Deus, inquit, constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & idcò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari: Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium: vos etenim nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos.* Quin & alibi de ijsdem Episcopis. *Nullus Episcopus nisi in legitima Synodo & suo tempore Apostolica atque canonica*

Bellarm. lib. de Cleric. cap. 28. in 3. propos.

Capitul. lib. 5. cap. 163.

Ibidem.

Capitul. lib. 6. cap. 287.

vocatione congregata, super quibusdam criminibus pulsatus audiatur. De Clericis verò, Ecclesiasticisq; personis. *Nemo*, inquit, *audeat Clericum, aut Monachum, vel Sanctimonialem fœminam ad ciuile iudicium accusare, sed ad Episcopum, & ipse ex lege, vel ex Canonibus consentaneam, ac iustam proferat sententiam.* Item alibi. *Si quæ causæ*, inquit, *vel contentiones inter Clericos, & Laïcos tam maioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, placuit vt secundùm Nicænam Synodum, congregatis omnibus eiusdem Prouinciæ Episcopis, iurgium terminetur.* Capitul. lib. 5. cap. 225. Capitul. lib. 6. cap. 287.

OBIECTIO.

Emanuel Sa in Aphorismis verbo Clericus in editione Colonienſi. Clerici rebellio in Regē, non est crimen læsæ maiestatis, quia non est subditus Regi. pag. 140.

RESPONSIO.

Optimè equidem editionem Colonienſem, annotasti. Illic enim fortè mendū irrepserat, quod in posterioribus editionibus emēdatum reperies.

OBIECTIO.

Sixtus coram Imperatore reus factus, nec satis sibi fuisse visus est absolui ex legum præscripto, nisi & accusatore conuicto, se etiam ipsemet purgaret coram multitudine. pag. 141. & 142.

RESPONSIO.

Criminatum quidem à quodam Basso Sixtum, non autem reum coram Imperatore factum, legimus. *Sixtus*, inquit liber de Romanis Pontificibus, *post annum & menses octo criminatur à quodam Basso.* Lib. de Roman. Pontif. in Sixto.

Quod & idem Sixtus ingenuè in Epistola ad Orientales scripta, fatetur. *Scitote*, inquit, *me criminari à quodam Basso, & iniustè persequi.* Licèt autem Valentinianus Imperator, Synodo ab eodem Sixto congregatæ interfuerit, non tamen vt iudex, Sixti causam iudicauit, sed potiùs, vt habent acta, cùm eiusdem accusatores duntaxat interrogasset. *Leuauit se Augustus, & dedit in arbitrio Sixti Episcopi iudicare iudicium suum.* Et ita Sixtus in causa sua iudex derelictus, non seipsum tantùm ab obiectis criminibus absoluit, sed & ipsos accusatores coram Synodo ipsemet condemnauit. *Alia autem die*, inquiunt eadē acta, *fecit Sixtus colligi omnes Presbyteros vrbis Romæ, & sedit in eodem loco, vbi consistebat Augustus, & fecit commune Concilium, & damnauit Bassum, & Marinianum: itaut in commune ambos simul subleuaret, & misit auctoritatis munimen super omnes Episcopos.* Quòd verò eumdem Sixtum se purgantem coram omnibus audis, non quasi ab aliquo ad id coactum velim existimes, cùm ipse se illud sponte, & ex humilitate feciſſe, etiam contra Episcoporum ibidem congregatorū voluntatem, non obscurè in eadem iam citata Epistola testetur. *His itaque*, inquit, *dimissis de me peractis, quia contra voluntatem Episcoporum, qui nobiscum erant, propter humilitatem sensus mei, nullo compulsus iudicio, ac vim passus, sed sponte eligens hæc, nec formam, vt iam dictum est, aliis dando, sed me purificando feci.*

Sixt. in epist. ad Oriental.

Baron. ad annum 433. numero 34.

Ibidem numer. 35.

Sixt. in epist. ad Oriental.

OBIECTIO.

pag. 143. *Leo 3. coram Carolo Magno accusatus fuit.*

RESPONSIO.

Hunc certè Leonem pluribus exagitatum per-

secutionibus ad Carolum confugisse, non autem apud eum accusatum comperimus. *Leo Papa*, inquiunt Annales, *à Romanis in Litania maiore, lingua detruncata excæcatus, & per Vvirmundum Abbatem, & Vvinigisum Ducem Spoletanum ereptus, ad Carolum in Saxonia ad Padaprunum deductus est.* Annal. incert. auct. anno 799.

Vel vt testatur Caroli Magni vita. *Romani Leonem Papam in Litania maiore excæcauerunt, & linguam ei amputauerunt. Qui in custodiam missus noctu euasit per murum, & ad Legatos domini Regis, qui tunc erant in Basilica S. Petri Vvirmundum, scilicet, Abbatem, & Vvinigisum Spoletanum Ducem venit, & Spoletũ ductus est: Dominus Rex profectus in Saxoniam, transijt Hrenum ad Lippiam, & in Padabruno positis castris ibi Leonem Papam cum summo honore suscepit.* Auctor vitæ Caroli Mag. apud Pithœũ pag. 48.

Quod & Anastasius eiusdem sæculi scriptor testatur. Descriptis enim in eum patratis facinoribus, & quomodo *Cooperante*, inquit, *Domino, & beato Petro Apostolo suffragante antedictus Papa cùm ab ipsis carnificibus in Monasterium S. Gerasimi in custodiam mitteretur, & visum recepit, & lingua ad loquendum ei restituta est, vt ostenderet omnipotens Dominus super suum famulum solitam misericordiam, & magnum miraculum.* Anastas. in Leon. 3. apud Baron. anno 799. num. 4.

Post pauca. *Cum aliquibus*, addit ille, *ex ipsis ciuitatibus Episcopis, Presbyteris, seu Clericis Romanis, & Primatibus ciuitatum ad excellentissimum Dominum Regem Francorum, & Longobardorum, atque Patricium Romanorum profectus est.* Ibidem numer. 6.

De accusatione verò apud eumdem Carolum facta, etsi eam molitos eius aduersarios narret Anastasius, ad effectum tamen minimè perductam, ob probationis defectum, non obscurè testatur. *Moliti sunt*, inquit, *Deo contraria falsa aduersus sanctissimum Pontificem im-* Ibidem.

ponere crimina, & post eum ad prædictum mittere Regem, quæ probare nequaquam potuissent Hinc factum arbitrarer, vt Leonis persecutores, non eo nomine, quod falsò ipsum accusauerint, sed quod vulnere inflicto dehonestauerint, ab ipso Carolo puniti ab historicis memorẽtur. *Post paucos dies,* inquit auctor vitæ Caroli Magni, *iussit Carolus eos, qui Papam anno superiori dehonestauerant, exhiberi, & habita de eis quæstione, secundùm legem Romanam, vt maiestatis rei capite dãnati sunt.* Annales vero incerti auctoris. *Post paucos dies iussit Carolus eos, qui Pontificem anno superiore deposuerant, exhiberi.* Adde quod & auctor vitæ S. Seuerini Leonem Pontificem, non propter aliquod sibi obiectum crimen, sed ob pœnas tantùm sibi illatas Carolum adijsse, apertè testatur. *Cùm Roma profectus,* inquit, *Leo Pontifex, propter pœnas iniustè sibi illatas, ad Imperatorem Carolum migraret in Franciam.*

Auctor vitæ Caroli Mag. apud Pithœũ pag. 53.

Annal. anno 800.

Sur. in vita S. Seuerini tom. 5. die 23. Octobr.

Obiectio.

pag. 143. *Accusator & testes in Leonem quæsiti, quibus non comparẽtibus secundùm leges absolui quidem poterat, sed vt nulla criminis suspicio (quod indignum erat tanto fastigio) in eo inhæreret, iureiurando se purgari voluit.*

Responsio.

Dic sodes, à quo summus ipse Pontifex Leo absolui poterat, ab Imperatore, an à Synodo tunc coacta? Non quidem ab Imperatore, alioquin sibi ipsi cõtrarius idẽ Imperator fuisset, qui in Capitularibus Constantini exemplũ secutus, de Episcopis talia dixerat: *Deus,* inquit, *vos constituit Sacerdotes,*

Capitul. lib. 5. cap. 163.

& potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Quòd si de Episcopis, quid de ipso Pontifice summo? Non etiam à Synodo: reclamauit enim cùm Leonis causa discutienda foret. *Vniuersi Archiepiscopi, & Episcopi, & Abbates,* inquit Anastasius, *vnanimiter dixerunt: Nos Sedem Apostolicam, quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum iudicare non audemus. Nam ab ipsa nos omnes, & Vicario suo iudicamur, ipsa autem à nemine iudicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit, sed sicut ipse summus Pontifex consuevit, iubeat, canonicè obediemus.* Paulus quoque Æmilius. *Episcopi,* inquit, *magis sacrosanctæ potestatis, quàm Regiæ maiestatis memores, consentienti ore reclamauêre, summum, optimumque Regem esse Carolum, sed cui tandem de Pontifice maximo iudicium facere, fas non esset? Susciperet Leo in gremium causam suum, quique in cæteros clauium ius haberet, de se quoque ipse incorruptè iudicâret, solo numine, vel teste conscientiæ, vel vindice.* A nullo ergo, quàm à seipso iudicandus, in eadem Synodo residens. *Amplectensque,* ait idem Anastasius, *venerabilis Pontifex, sacrosancta Christi quatuor Euangelia coram omnibus, ascendit ambonem, & sub iureiurando clara voce dixit, quia de istis falsis criminibus, quæ super me imposuêre Romani, qui iniquè me persecuti sunt, scientiam non habeo, nec talia egisse me cognosco.* Vel, vt Paulus Æmilius. *Leo, haud ægrè ferente Franco, demptum sibi graue onus de Pontifice maximo iudicandi, suggestum conscendit, crimenque iureiurando diluit, moxque sententia sua absolutus.* Cuius iurisiurandi formam Iuo Carnotensis describens, sic ait. *Ego Pontifex sanctæ Romanæ Ecclesiæ à nemine iudicatus, neque coactus,*

Anastasius in Leone 3. Baron. ad annũ 800. num. 4.

Paul. Æmil. libr. 3. histor. Franc. in Carolo Magno.

Anastas. in Leon. 3. Baron. ad annũ 800. num. 4.

Paul. Æmil. lib. 3. hist. in Carol. Mag.

Iuo in Decret. part. 5. cap. 313.

sed spontanea mea voluntate, purifico me in conspectu vestro, coram Deo, & Angelis eius, qui conscientiam meam nouit, & beato Petro Principe Apostolorum, in cuius conspectu consistimus, quia istas criminosas, & sceleratas res, quas illi mihi obijciunt, neque perpetraui, neque perpetrare iussi. Testis est mihi Deus, in cuius iudicium venturi sumus, & in cuius conspectu consistimus. Et hoc propter suspitiones malas tollendas, mea spontanea voluntate facio, non quasi in canonibus inuentum sit, aut quasi ego hanc consuetudinem, aut decretum in sancta Ecclesia successoribus meis, necnon & fratribus, & Coëpiscopis nostris imponam, sed vt meliùs à vobis abscindatis rebelles cogitationes. Age ergo vnde tibi consequentiæ occasio, qua ex antedictis Pontifices Imperatorum agnouisse iurisdictionem asserere non dubitas?

Anastas. apud Baronium ad annum 800. numero 5.

OBIECTIO.

Paschalis coram Ludouico Pio Imperatore reus factus est.

pag. 142. & 145.

OBIECTIO.

Etsi Paschalis Pontifex, non sine calumnia, rumore sparso, cædis in Laterano factæ insimulatus fuerit, reus attamen coram Imperatore factus minimè reperitur. *Perlatum est*, inquit auctor vitæ Ludouici Pij, *Imperatori, Theodorum Primicerium & Leonem Nomenclatorem luminibus priuatos, ac deinde decollatos in domo Episcopali Lateranensi. Inuidia porrò interfectoribus inuascebatur, eò quòd diceretur ob fidelitatem Lotharij eos, qui interfecti sunt talia fuisse perpessos. In qua re fama Pontificis quoque lædebatur, dum eius consensui, totum ascriberetur*, Aimoinus verò. *Nuntiatum est*, inquit, *Theodorum & Leonem in Patriarchio*

Auctor vitæ Ludouici Pij apud Pithœū pag. 220. Baronius ad annum 823. numero 3.

Aimoin. lib. 4. cap. 111.

chio Lateranensi primò fuisse excæcatos, ac deinde decollatos. Erant & qui dicerent vel iussu, vel consilio Paschalis Pontificis, rem fuisse patratam. Ex peruulgato ergo rumore duntaxat, non autem ex accusatione contra Paschalem ab aliquo delata, tum cædes, tum cædis præsumptus auctor Imperatori innotuit. Quòd si Legatos non ab Imperatore tantùm Romam directos, ad hanc rem, vt loquitur idem auctor vitæ Ludouici, enucleatissimè inuestigãdam, sed & à Paschali ad Imperatorem missos, obijcias, nihil obstat. Cùm enim de patratæ cædis disquirendo auctore adhuc incerto, quæstio esset, quidni potuerint Legati ab Imperatore, sine Romani Pontificis præiudicio (qui licèt insimularetur, attamen non accusabatur) ad inquirendam facti veritatem mitti? Cùm & ex eodem vitæ Ludouici auctore constet, Imperatores tunc temporis, etiã Romæ, per magistratus à se delegatos iudiciariam in populo exercuisse potestatem. *Statutum*, inquit ille, *iuxta antiquum morem, vt ex latere Imperatoris mitterentur, qui iudiciariam exercentes potestatem, iustitiam omni populo facerent, & tempore, quo visum foret Imperatori, æqua lance penderent.* Incertus quoque Annalium auctor. *Imperator*, inquit, *Hlodharium filium suum ad iustitias faciendas Romam misit.* Quòd ad Pontificios autem Legatos spectat, accipe ab Aimoino legitimam eorum missionis causam. *Venerunt*, inquit, *legati Paschalis Pontificis Joannes Episcopus Siluæ candidæ & Benedictus Archidiaconus sanctæ sedis Apostolicæ, rogantes Imperatorem, vt illam infamiam à Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur.* Iu-

Auctor vitæ Ludouici Pij apud Pithœd pag. 223.

Annales incert. auctor. anno 824.

Aimoin. lib. 4. cap. 111.

stam ergo de sibi imputato scelere querelam Pontifex habēs, nę fortè & ipse Imperator plus æquo credulus, aliquam sparso rumori fidem adhiberet, quid mirum si ad eundem Imperatorem per legatos pro sua non quidem dijudicanda, sed vindicanda innocentia, & propulsanda, ex rumore, sibi irrogata infamia, accurrit? Nec Pontificis purgatio cum iuramento in Lateranensi Patriarchio coram legatis & populo Romano, cùm Episcopis 34. & Presbyteris, & Diaconibus quinque facta, vt auctor est Theganus, aliud nobis præstat, quàm quòd ab alio, quàm à seipso, eiusdem innocentia diiudicari non potuerit; Alioquin si ab Imperatore ideo iudicatus dicatur, quòd coram eius Legatis purgatio facta fuerit, cur potius ab Imperatore, quàm à Populo Romano, qui tunc etiam presens aderat? Imò verò Pontificem, non rei, sed iudicis personam tunc exhibuisse, ex eo patet, quòd purgatione iureiurando firmata, *Interfectores prædictorum hominum*, ait Aimoinus, *quia de familia sancti Petri erant, summopere ipse Pontifex defendens, mortuos velut maiestatis reos condemnauit, iureque cæsos pronunciauit.* Et id quidem præsentibus, nec reclamantibus Imperatorijs Legatis: quin factum probante potius ipso Imperatore, qui nec post factam huiusmodi à Pontifice condemnationem (si auctori vitæ Ludouici credimus) inchoatam prosequi inquisitionem potestatem habuit, sic enim ait. *Imperator natura misericordissimus, occisorum vindictam vltrà prosequi non valens, quamquam multùm vòlens, ab inquisitione huiusmodi cessandum existimauit, & cum responsis congruis missos Romanos absoluit.*

Thegan. de gest. Ludouic. cap. 30.

Aimoin. lib. 4. cap. III.

Auctor vitæ Ludouici Pij pag. 121.

Vbi nota multùm volebat, sed tamen non valebat id prosequi, quod volebat. Vnde hoc? Nisi ex data in occisos à Pontifice sententia?

OBIECTIO.

Leo 4. Lothario satisfecit, qui se Romam contulerat, propterea quod rumores spargerẽtur Leonem de Imperio ad Constantinopolitanos transferendo consilium iniisse. pag. 144.

RESPONSIO.

Legisti ne aliquando hanc Leonis 4. Pontificis Maximi historiam? Vbi quæso? Legisti forsan, sed non intellexisti, quin potius nec legisti, nec intellexisti. Si enim legisses nunquid pro Ludouico Romam abeunte Lotharium, vel pro Gratiano Romani palatij Superinsta proditionis accusato, Leonem nobis sanctissimum Pontificem ingessisses? Vt ergo quid sit super hoc sentiendum legas, & intelligas, accipe ab Anastasio illius temporis scriptore, quique rei gestæ verissimus testis interfuit, accuratissimam totius historiæ narrationem. *Quidam*, inquit, *Daniel magister militum, iniquitatis ac stultitiæ mole cæcatus, ad serenissimi Domini Ludouici Imperatoris vestigia properauit, eique multa falsa & inutilia verba, quæ credi nullo modo possent, super Gratianum eminentissimum Magistrum militum, & Romani palatij egregium Superinstam & Consiliarium dicere non dubitauit. Nam constanter eum accusabat falsitate, ob inuidiam dicens Imperatori: De Gratiano Romanæ vrbis Superinsta, quem erga vos fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua nimium super Francos murmurans, dixit secretè: Quia Franci nobis nihil boni faciunt, vel* Anastas. in vita Leonis 4. & apud Baronium anno 855. numero 5.

adiutorium præbent, sed magis quæ nostra sunt violenter tollunt: Quare non aduocamus Græcos, cum eis fœdus pacis componentes, & Francorum Regem & gentem de nostro regno & dominatione expellamus. Quo audito mox prædictus Imperator immenso furore incensus sine litteris etiã ad Romanum directis Pontificem, & Senatum, Romam venire velociter procurauit. Quem tamen venientem dominus Leo Papa honorificè (sicut mos est) super gradus maiores beati Petri Apostoli residens, suscepit, & mellifluis prædicationis verbis placare cepit. Quadam verò die ipso Imperatore cum sanctissimo Leone Pontifice, omnibus Romanis proceribus pariter, & optimis Francis sedentibus, de prædicta accusatione placitum habuit. Tunc Daniel iniqua fronte animatus, falsaque cogitatione imbutus, dixit coram omnibus. Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate, & Græcis tradere illam. Cui statim non solùm Gratianus, verùm etiam omnes Romani coram Imperatore dixêre: Mentiris: Nullo modo est verum, quod dicis. Cognoscens autem Imperator & omnis Romanorum, Francorumque nobilitas, prædictum Danielem tale crimen per falsitatem & inuidiam contra Gratianum dixisse, illico idem clementissimus Imperator nolens cõtra institutа veterum, Augustorum peragere Romanorum, eos secundum Romanam legem instituit iudicare. Quo iudicio ipse Daniel multorum verbis reprehensus, ore proprio manifestauit se falsum testimonium super eum dixisse: Ideo iam dicto Gratiano ante omnes est traditus, vt quidquid de eo facere vellet, potestatem haberet. Lege ergo, & intellige, nec Lotharium Romam adijsse, nec Leonem proditionis insimulatum, nec satisfaciendi Lothario causam habuisse. His ita ven ti-

latis ad Abiatharem à Salomone eiectum diuertit Simon, pluribusque eum sacerdotio priuatum probare contendit, sed quia dilucidè satis, quid super hoc tenendum sit, supra diximus, iam ad alia pergamus.

OBIECTIO.

Siluerius ob crimen læsæ Maiestatis, à Iustiniano sede pulsus est & in exilium actus. pag. 147.

RESPONSIO.

Ergo-ne Agiomachi personam induens, etiam ipsis sanctis martyribus iam cum Deo regnantibus bellum indices? An tibi læsæ Maiestatis crimẽ videtur, nolle sacrosanctæ Synodi Chalcedonensis damnationi, vel Anthimi hæretici ab Agapeto damnati restitutioni subscribere? *Theodora*, inquit Anastasius, *misit Epistolam Romam ad Siluerium Papam, rogans, & obsecrans, ne pigriteris ad nos venire, aut certe reuoca Anthimum in locum suum. Hæc cùm legisset beatus Siluerius ingemuit, & dixit, modo scio, quia causa hæc finem vitæ meæ adducit. Sed beatissimus Siluerius fiduciam habens in domino, & beato Petro rescripsit dicens: Domina Augusta ego rem istam nunquam ero facturus, vt reuocem hominẽ hæreticum in sua nequitia damnatum. Tunc indignata Augusta misit iussiones suas ad Belissarium Patricium ista continentes: Vide aliquas occasiones in Siluerio Papa, & depone illum de Episcopatu, aut festinus certè transmitte eum ad me. Tunc suscipiens iussionem Belissarius Patricius ait: Ego quidem iussionem facio, sed is qui intercedit in necem Siluerij Papæ, ipse reddet rationem de factis suis Domino Iesu Christo.* Liberatus verò Diaconus. *Secretò*, in- Anastasius in Siluerio apud Baron. ad annũ 538. numero 5. Liberatus Diac. in Breuiar. cap. 23.

quit, *Belissarius & eius coniux persuadebant Siluerio implere præceptum Augustæ, vt tolleretur Chalcedonensis Synodus, & per Epistolam suam hæreticorum firmaret fidem.* Et post pauca. *Rursus mandauit Belissarius Siluerio, vt ad palatium veniret. Qui de Ecclesia exire nolebat, dolos sibi præparatos agnoscens. Sed postea orans & causam suam domino commendans exijt, & ad palatium venit. Qui solus ingressus, à suis vlterius non est visus. Et alia die Belissarius conuocatis Presbyteris, & Diaconibus, & Clericis mandauit eis, vt alium sibi Papam eligerent. Siluerius autẽ in exilium missus est in ciuitatem prouinciæ Lyciæ quæ Patara dicitur.* Scio equidem eumdem sanctum Pontificem criminatum quasi Gothis hostibus vrbem ipsam tradere in animo habuisset. At quàm iniqua fuerit calumnia ista, à Theodoræ Augustæ fautoribus in sanctissimi Pontificis perniciem inuenta, ijdem authores apertè testantur. *Urgente*, inquit Anastasius, *iussione exierunt quidam falsi testes, qui dixerunt, quia nos multis vicibus inuenimus Siluerium Papam scripta huiusmodi mittere ad regem Gothorum. Veni ad portam, quæ vocatur Asinaria iuxta Lateranas, & ciuitatem tibi trado, & Belissariũ Patricium. Quod audiens Belissarius primò non credebat, sciebat enim quod per inuidiam hæc de eo dicebantur.* Liberatus autem Diaconus. *Belissarius*, inquit, *Romam reuersus euocans Siluerium ad palatium, intentabat ei calumniam, quasi Gothis scripsisset, vt Romam introirent. Fertur enim Marcum quendam Scolasticum & Iulianum quemdam Prætorianum fictas de nomine Siluerij composuisse literas Regi Gothorum scriptas, ex quibus conuinceretur Siluerius Romanam velle prodere ciuitatem.* Vnde ergo tanto Pontifici inter diuos relato,

Ibidem.

Anastas. & Baron. ibid.

Liberatus Diac. ibid.

iam dudum irrogatam calumniam iteratò exprobras? Vt quid & pretiosam in conspectu Domini, quam pro tuenda fide Catholica ab Euthychiana muliere pertulit mortem, tanquam supplicium, vindicando maiestatis læsæ crimini iustè debitũ, nobis representas? Quandoquidem & Iustinianus ipse, sub cuius nomine Augusta cuncta peragebat, à Pataræ ciuitatis Episcopo de sacrilegio perpetrato increpatus, reatumq; suum agnoscens Siluerium suæ sedi restituere voluit. *Siluerio*, inquit Liberatus, *veniente Pataram venerabilis Episcopus ciuitatis ipsius venit ad Imperatorem, & iudicium Dei contestatus est de tantæ sedis Episcopi expulsione, multos dicens esse in mundo Reges, & non esse vnum, sicut ille Papa est super Ecclesiam mundi totius, à sua sede expulsus. Quem audiens Imperator reuocari Romam Siluerium iussit, & de literis illius iudicium ferri, vt si approbaretur ab ipso fuisse scriptas, in quacumque ciuitate Episcopus degeret: Si autem falsæ fuissent approbatæ, restitueretur suæ sedi.* Licèt tamen istud Imperatoris decretum, satagente Augusta, & procurante Vigilio intruso, fauenteq; Bellissario, executioni minimè fuerit mãdatum. *Pelagius*, addit Liberatus, *currens cum voluntate Augustæ, volebat irritum facere Imperatoris præceptum, ne Siluerius Romam reuerteretur, sed prævalente Imperatoris iussione, Siluerius ad Italiam reuersus est. Cuius aduentu territus Vigilius, ne sede pelleretur, Bellissario mandauit. Trade mihi Siluerium, alioquin non possum facere quod exigis. Ita Siluerius traditus est duobus Vigilij defensoribus, & seruis eius. Qui in Palmariam insulam adductus, sub eorum custodia defecit inedia.*

Liberatus Diac. in Breuiar. cap. 22.

Liberatus ibidem.

stolicam inuasam detinuit. Quomodo autem qui per vim tanquam fur, & latro in ouile Christi ingressus fuerat, per vim quoque eiectus fuerit, accipe ex eodem Anastasio. *Constantinus*, inquit, *inuasor Apostolicæ sedis, dum deductus in medium esset, magna pondera in eius adhibentes pedibus, in sella muliebri sedere super equum fecerunt, & in Monasterium Cellas nouas coram omnibus deportatus est. Sabbato verò die diluculo aggregati aliquanti Episcoporum, & Presbyterorum, & Cleri in Basilica Saluatoris, iterùm præfatus Constantinus ad medium allatus est, lectisque sanctissimis Canonibus ita depositus est. Accedens enim Maurianus Subdiaconus orarium de eius collo abstulit, & ante eius pedes proiecit & compages eius abscidit.* Et infrà. *Dum Tuscani & Campani hic Romæ aggregati fuissent, inito consilio cum Gratioso & fautoribus eius, perrexerunt cum cuneo militum Tuscaniæ, atque Campaniæ primo diluculo in Monasterium ad Cellas nouas vbi Constantinus antedictus Apostolicæ sedis inuasor retrusus erat, eumque ex ipso eijcientes Monasterio, eius eruerunt oculos, & cæcum in platea iacentem reliquerunt.* Omittò & quæ postcà in Synodo Romæ à Stephano 4. legitimo Pontifice coacta, contra eumdem Constantinum decreta, peractaque fuêre, dum adhuc insolescente eo. *Irati*, inquit idem Anastasius, *zelo Ecclesiasticæ traditionis vniuersi Sacerdotes, alapis eius ceruicem cædere facientes eum extra Ecclesiã eiecerunt.* Vt hinc cognoscas numquam pro vero Pontifice agnitum Constantinum fuisse. Vnde idem Anastasius commemorato Pauli Papæ obitu, nullaque Pontificatus Constantini facta mentione. *Cessauit*, inquit, *Episcopatus eius annum vnum, & mensem vnum.*

Anastas. ibid. Baronius ad annum 768. numero 7.

Anastas. ibid. Baron. ibid. numero 9.

Anastas. ibid. Baronius ad annum 769. numero 3.

Anastas. in fi. vitæ Pauli 1.

Quod ad Benedictum autem 10. spectat hæc sunt quæ Leo Ostiensis de eius execrãda intrusione proloquitur. *Gregorius*, inquit, *Lateranensis & Tusculanensis Comes comperto Romani Pontificis obitu, sociato sibi Gerardo Galesense & Romanis potentibus aliquot, noctu cum armatorum turbis Ecclesiam vnà peruadunt, & Joannem Velitrensem Episcopum Mincium postea cognominatum, Papam constituunt, Benedicti illi imposito nomine. Quod cùm Petrus Damianus vir valde religiosus, quem eo tempore Stephanus Papa ab eremo extractum in Ostiensi Ecclesia Episcopum fecerat, comperisset, vnà cum Cardinalibus resistere, ac reclamare cepit, atque anathematizare. Sed tamen hi omnes timore compulsi per varia loca fugêre. Ita à satellitibus sathanæ Ostiensis Ecclesiæ Archipresbyter, vt prædictum Mincium ad Apostolatus culmen proueheret raptus, ac violenter attractus est.* Audisti verò Petrum Damianum, virum vtique illius temporis & religiosissimum, & doctissimum testem productum, accipe iam verissimũ eiusdem super hoc testimonium in Epistola, quam ad Henricum Rauennatem Archiepiscopum scripsit. *Ille*, inquit, *Benedictus nobis omnibus eiusdem vrbis Cardinalibus Episcopis reclamantibus, obsistentibus, ac terribiliter anathematizantibus nocturno tempore, cum armatorum turbis vndique tumultuantibus inthronizatus est.* Et infrà de eius ordinatione prorsus irrita loquẽs. *Vt autem*, inquit, *de ipsa eius promotione lacinioſa (vt aiunt) verba non protraham, nobis Episcopis per diuersa latibula fugientibus, Presbyter Ostiensis Ecclesiæ, qui vtinam syllabatim nosset, vel vnam paginam ritè percurrere, vt eum ad Apostolatus culmen proueheret, raptus à satellitibus sathanæ, & violenter attractus est, & ecce vt vos*

Leo Ostiens. lib. 2. c. 102.

Pet. Damian. in epist. ad Henric. apud Baronium anno 1058. numero 11.

Baron. ibid. numero 12.

canonicæ sanctionis decreta non latent, si cuncta etiam, quæ sibi opponi possunt obiectionum capitula supprimantur, hoc solùm tale est, vt ex eo se nullatenus valeat expedire. Nam si Presbyter proculdubio deponendus est, quia summi sibimet priuilegium Pontificis vsurpauit, quo pacto poterit is, qui ordinatus est, stare, propter quem solum ordinator eius iudicatus est à sua dignitate corruere. De eiusdem autem Benedicti depositione, non quidem à populo Romano, vt asserit Simon, sed à Nicolao secundo legitimo Pontifice facta, hæc idem Leo Ostiensis habet. *Præfatus*, inquit, *electus à Romano clero & populo in sede Apostolica locatus, Nicolai sortitus est nomen. Qui prædictum Romanæ sedis inuasorem cum suis fautoribus omnibus excommunicans, tandem interuentu quorumdam admissum ad communionem, apud Ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ maior à Romanis dicitur, Sacerdotali officio priuatum manere constituit.* Quibus & concordant vetera Pontificum Romanorum gesta à Baronio relata. *Trãsactis*, inquiunt, *paucis diebus, memoratus Mincius ad præsentiam Nicolai Papæ veniam petiturus accessit, & ad eius vestigium procidens, violentiam se fuisse perpessum asseruit, sed inuasionis crimen & periurij reatum non negauit. Ex propria igitur confessione digna factis recipiens, Episcopalis, & Sacerdotalis officij depositionem incurrere meruit.*

Leo Ostiens. lib. 3. cap. 12.

Baronius ad annum 1059. numero 2.

De Christoforo denique Apostolicæ etiam sedis inuasore non à populo Romano, sed à Sergio Francis auxiliantibus expulso, ita Sigebertus. *Iste est*, inquit, *Sergius Diaconus propter Formosum à Papatu reprobatus, qui ab eodem Formoso Episcopus factus, ad Frãcos tamen se contulit, & eorum auxilio Christoforum inuasorem capiens, & in carcerem tradens, latenter Romam*

Sigebert. in Chronic. ad annum 907.

ingressus Papatum inuasit. Et ita Christoforus iste Pontificatum malè acquisitum, detruso nempe in carcerem Leone 5. legitimo Pontifice, peiùs post sextum inuasionis suæ mensem à Sergio, & ipse in carcerem detrusus, ac vitam Monasticam amplecti coactus, amisit.

OBIECTIO.

pag. 147. *Vigilius à Iustiniano substitutus in locum Siluerij, à quinta Synodo Oecumenica pro vero Papa habitus est, vt patet ex omnibus actionibus huius Synodi.*

RESPONSIO.

Licèt Siluerius, à Bellisario, instigante Theodora Augusta, & procurante Vigilio, vt supra vidimus, ad Palmariam insulam ob fidem Catholicam fuerit relegatus, verus tamen Pontifex vsque ad mortem permansit. Hinc eum etiam in exilio degentem, conuentu quatuor Episcoporum, qui ad eum venerant, habito, in eundem Vigilium sedis Apostolicæ inuasorem anathematis sententiam in hæc verba protulisse comperimus. *Siluerius Episcopus Vigilio. Multis te transgressionibus irretitum sacerdotalis iamdudum nouit generalitas.* Et infra. *Nouum scelus erroris in Apostolica sede rursus niteris inducere, & in morem Simonis cuius discipulum te ostendis operibus, data pecunia, meque repulso, qui fauente Domino tribus iam iugiter emensis temporibus ei præsideo, tempora mea niteris inuadere. Habeto ergo cum his, qui tibi consentiunt, pœnæ damnationis sententiam, sublatumque tibi nomen & munus ministerij sacerdotalis agnosce, sancti Spiritus iudicio, & Apostolica à nobis auctoritate*

Citatur à Baronio ad annum 539. numero 2.

damnatus. Sic enim decet fidem sanctorum Patrum in Ecclesia seruari Catholica, vt quod habuit amittat, qui improbabili temeritate quod non accepit, assumpserit. Hinc & ab Amatore Augustodunensi Episcopo literis, muneribusque datis, ibidem consolatus tanquam verus Pontifex legitur. *A quibusdam*, inquit, *pater dilectissime, illis à partibus aduenientibus audiuimus vos à sede sancti Petri iniustè pulsum, exilio destinatum. Quod nimis graue ferentes, misimus parua munuscula.* Et post pauca. *Quid enim putas de nobis fieri, pater summe, cùm de summo pastore & vicario sancti Petri talia fiunt? Vos tamen nolite multùm tristari, sed confortamini semper in Domino*, &c. Indeque putes factum, vt Anastasius qui vsque ad eius obitum eiusdem Pontificatum prorogauit, eo tandem vita functo hæc verba subiungat. *Cessauit*, inquit, *Episcopatus eius dies sex*, vt nempe ostenderet, nec Vigilium viuente Siluerio intrusum, legitimum fuisse Pontificem, nec nisi sexta post Siluerij obitum die (quando nempe in se reuersus, abdicato sponte Pontificatu, quem iniustè vsurpauerat, tum demum communibus Cleri, & Populi Romani votis electus est, vt rectè annotauit Baronius) pro legitimo Pontifice habitum.

tomo 1. epist. Rom. Pontif. ante epistol. Siluerij, Baronius ad annum 539. numero 6.

Anastas. in fi. vitæ Siluerij.

Baronius ad annum 540. numer. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

OBIECTIO.

Cap. Tertio. ē de probationib. legitur Constitutio à Clemente 2. edita, qui in locum Benedicti 9. Siluestri 3. & Gregorij 6. successit. pag. 148

RESPONSIO.

Gregorio sexto (quem sanctissimū fuisse Pontificem supra docuimus) in Sutrino Concilio, S.

Gregorij Nazianzeni exemplo, vt testis est, post Othonem Frisingensem, Baronius, Pontificatui sponte sua renunciante, Clemens hic 2. omnium suffragijs electus Pontifex reperitur. Quæ autem habetur in titulo de probationibus hîc citata constitutio, non huius Clementis 2. sed Clementis 3. est, vt in titulo eiusdem capitis scriptum apparet. Numquid Iurisconsultus, qui hæc ignorat?

Baronius ad annum 1044. num. 6. 7. 8.

tit. cap. Tertio. appositus ē. de probat.

OBIECTIO.

pag. 147. *Stephanus 3. in locum Constantini 2. Synodū Romæ celebrauit, Carolumq; & Carolomannum coronauit.*

RESPONSIO.

Si de Stephano tertio qui Carolum, Carolomannumque Pipini filios coronauit, quæstio est, non Constantino pseudopontifici, qui nondum mundo innotuerat, sed Stephano 2. Zachariæ successori in Pontificatu successit: Ita enim Anastasius, cùm de morte Zachariæ, & electione Stephani 2. qui post triduum ab electione sua decessit, egisset. *Post hæc,* inquit, *cunctus Dei populus congregatus intra venerabilem basilicam sanctæ Dei genitricis ad Præsepe, consona voce alium Stephanum beatissimum virum sibi elegêre Pontificem.* Et infra de aduentu eiusdem Pontificis in Gallias loquens. *Pipinus,* inquit, *Rex eumdem sanctissimum Papam cum suis omnibus Parisios apud venerabile Monasteriū beati Dionysij ad habitandum pergere rogauit. Quo peruento domino annuente, post aliquantos dies Christianissimus Pipinus Rex ab eodem sanctissimo Papa, Christi gratia, cum duobus filijs suis Reges vncti sunt Francorum.* Quod si de Stephano 4. agatur (quem Synodū quidē Romæ

Anastas. in vita Steph. 3. & Baron. ad annum 752. numer. 10. 11.

Anastas. ibid. idem Baron. ad annū 754. numero 1.

in causa Constantini pseudopontificis celebrasse, non tamen Carolum, Carolomannumque, vt Simon asserit, coronasse, cùm nec in Gallias venerit vnquam, comperimus) cùm propter tumultus à Constantino pseudopontifice excitatos, post mortem Pauli Pontificis Episcopatus (vt auctor est Anastasius) cessasset annum vnum & mensem vnum, Stephanus ipse omnium electione in eiusdem Pauli locum suffectus fuit: Sicque non Constantini intrusi (cuius Pontificatus dies non numerantur) sed Pauli veri, atque legitimi Pontificis successor Stephanus fuit. Mihi non credis? Audi Anastasium de vero istius Stephani prædecessore talia testificantem. *Dum*, inquit, *prædecessor Stephani dominus Paulus pro austeritate feruoris æstiuo tempore in Ecclesia beati Pauli demoraretur, & valida ibidem ægritudine præoccuparetur, de qua & vitam finiuit, die, noctuque idem beatissimus Stephanus in eiusdem sui prædecessoris perseuerans seruitio, nullo modo ab eius lectulo, donec spiritum emitteret, recessit.*

Anastas. in vita Pauli 1. Baronius ad annum 767. numero 4.

Anastas. in vita Steph. 4. Baronius ad annum 767. numero 4.

Obiectio.

Sergius 3. in locum Christofori Romæ Synodum coëgit. pag. 147.

Responsio.

Sergium equidem, Christoforo intruso à Pontificatu eiecto, Pontificem fuisse nuper ex Sigeberto vidimus, multaque insuper peregisse legimus, quibus eum pro vero Pontifice ab omnibus agnitum credere cogimur: Vt cùm pallium Colonienſi Archiepiscopo & Hogero Hamburgensi Episcopo concessit, pluribusque priuilegijs Cassi-

Sigebert. in Chronic. anno 907.

Crantz. hist. Eccles. Sax. lib. 3. cap. 1. & lib. 2. cap. 24.

Leo Ostiens. lib. 1. cap. 54. nenses monachos donauit vt auctor est Leo Ostiensis, De Synodo autem ab eo Romæ celebrata, vt Simon asserit, nihil prorsus apud auctores reperitur.

OBIECTIO.

pag. 147. *Nicolaus 2. in locum Benedicti 10. Lateranense habuit Concilium.*

RESPONSIO.

An ignoras quis verus Nicolai 2. prædecessor fuit? Accipe à Leone Ostiensi illius temporis scriptore integerrimo. Leo Ostiens. lib. 3. cap. 12. *Cùm post obitum*, inquit, *piæ memoriæ Stephani Papæ, memoratus Hildebrandus ab Imperatrice rediens, contra eiusdem Apostolici vetitum, incubari à pessimis hominibus Ecclesiam comperisset, Florentiæ substitit, suisque literis Romanorum primates conueniens, vbi eorum percepit assensum, annitente Godefrido duce, Gerardum Florentinum Episcopum mox in Romanum Pontificem elegit, atque vnà cum ipso & duce Romam mense Ianuario venit: vbi præfatus electus à Romano Clero & populo in sede Apostolica locatus, Nicolai sortitus est nomen.* Nicolaus ergo iste non Benedicti 10. qui nunquam Pontifex fuit, vt supra docuimus, sed Stephani 10. optimi Pontificis, successor fuit. Vnde eodem tempore Petrum Damianum grauissimum scriptorem tristicho ludentem legimus, cuius hic inscriptus erat titulus. Baronius ad annum 1059. numero 2. *De Florentia in qua Stephanus Papa obijt, & Nicolaus Papa ex eadem processit.*

Parua virum viduæ debet Florentia Romæ,
Quæ tenet extinctum cogatur reddere viuum:
Sic noua Bethlæis lux mundo fulsit ab oris.

Stepha-

Stephano enim Florentiæ mortuo, Gerardus Episcopus Florentinus Pontifex creatus fuerat.

OBIECTIO.

Non solùm propter hæresim, sed & propter mores deponi posse Pontificem, colligitur ex Can. nemo 9. *quæst.* 3. *Vbi glossa ad id firmandũ hunc Mathæi locum citat,* Si peccauerit in te frater tuus, dic Ecclesiæ. pag. 148.

RESPONSIO.

Itane colligitur? Canonis ergo & glossæ iudicium expectemus. *Nemo*, inquit Canon, *iudicabit primam sedem iustitiam temperare desiderantem*, vel, vt habet vulgata Concilij Romani sub S. Siluestro, editio, *quoniam omnes sedes à prima sede iustitiam desiderant temperari. Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo iudex iudicabitur.* Numquid verò istud propter mores Papam deponi posse tibi innuit? Sed glossam perscrutemur. *Nemo iudicabit primam sedem, nisi,* inquit glossa, *se alicuius iudicio submittat, & in causa hæresis, & cùm submittit se confessori suo, tenetur ei parere, & ligabit eum sententia illius. Item cùm Papa peccat potest ne eius peccatum etiam Ecclesiæ denunciari secundum admonitionem Euangelij, vt supra 2. quæst. 1. si peccauerit? Hoc determinant 40. dist. si Papa.* Istam verò determinationẽ adhuc inspiciamus. *Hic* (inquit idem auctor glossæ in hæc verba, *à fide deuius*, eiusdem Canonis, *si Papa* 40. distinct.) *specialiter fit mentio de hæresi, ideo quia etsi occulta esset hæresis, de illa posset accusari, sed de alio occulto crimine non posset. Item nunquid potest denunciari crimen Papæ, secundùm regulam*

can. Nemo. 9. quæst. 3.

Gloss. in can. Nemo. 9. quæst. 3. in hæc verba, Nemo iudicabit primã sedem, vbi pro eius elucidatione particula(ne) est addita.

Gloss. in can. Si Papa. 40. dist. in hæc verba, A fide deuius.

istam, si peccauerit in te frater tuus, cùm nomine fratris quilibet Christianus dicatur? Sed dico (nota) *quod non potest denunciari crimen de ipso, nisi inde posset accusari, nam inutilis esset denuntiatio*; vbi & in margine additum reperitur, *Nam denuntiatio fit ad correctionem, ad quam compelli non potest, cum superiorem non habeat, Archidiac.* Ex glossa ergo ista summus Pontifex, vnico crimine hæreseos excepto, nec denunciari potest, quanto minùs deponi? Hinc glossa sequens eiusdem Can. *Nemo*, in hæc verba, *Neque ab omni Clero. Argumentum*, inquit, *est, quod Concilium non potest iudicare Papam, vt ē. de electionib. significasti. Vnde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur quod sententiæ Papæ standum esset, vt 24. quæst. 2. hæc est fides.*

Glossa. margin. in verb. Denuntiatio.

Glossa in can. Nemo 9. q. 3. in hæc verba, Neque ab omni Clero.

OBIECTIO.

pag. 150. *Ioannis 23. diplomate Concilium Constantiense indictum fuit, eique etiam initio præsedit, & nihilominus tanquam verus Papa deponitur.*

RESPONSIO.

Ex S. Antonino patet Ioannem istū non priùs à Concilio depositum, quàm se à Pontificatu abdicasset. *Ioannes*, inquit, *cùm iam amplius quatuor mensibus in Concilio fuisset, tandem propter suspicionem noctu incognitus cum paucis comitantibus fugiens, Scafusam abijt.* Et post pauca. *Ioannes Pontifex Burgundiam petere festinans iussu Friderici ducis Austriæ per viam retentus Imperatori traditur. Timuit enim magnitudinem rei Fridericus, præsertim cùm per id factum Imperatorem simul, & Concilium in suam ruinam prouocasset. Itaque ex protectore proditor factus, vel potius ex malo*

S. Antonin. part. 3. histor. tit. 22. cap. 6. § 2.

promisso, fidem rescindens & pœnitens reducere illum, ac tradere constituit. Non tamen Constantiam reductus est, sed alia per oppida captiuus detẽtus, seu sponte, seu inuitus (quod magis videtur) se abdicauit. Quin & abdicationem istam ita fuisse necessariam idem auctor tradit, vt quia quodammodo violenter & non sponte ab ipso Ioanne facta videbatur, à quibusdam dubitatum fuerit num Martini V. electio legitima esset, ideoq; necesse fuisse ait, vt liber redderetur, abdicationemque suam sponte factam, Pontifice adorato, profiteretur. Præstat verò eius super hoc audire sententiam. *Post captiuitatem*, inquit, *illam de Ioanne factam, & abdicationem in Bauaria, seruabatur in carcere. Erat autem scrupulus quidam apud multos, quoniam depositio, abdicatioque illius violenta fuerat, non iure subsistere. Quòd si illa dubia, Martini quoque electio in ambiguum vertebatur, quoniam non vacãte Ecclesia, prouideri de nouo pastore non potuerit. Ob hunc timorem, & simul ne Germaniæ principes hoc habentes idolum, per eam occasionem aliquid quandoque molirentur, redimendum Ioannem, seu Baldassarem, & in Italiam reducendum, prouidit. Igitur per hunc modum exemptus carcere, cùm esset liber & sui iuris, siue conscientia ductus, siue quia desperabat aliquid posse proficere, sua sponte Florẽtiam venit, ac sese Martini pedibus subijciens, eum vt Pontificem verum & vnicum recognouit.* Idem S. Antonin. partt. 3. hist. tit. 22. capit. 7. §. 2.

Obiectio.

Damasus accusatus adulterij causam dixit in publico Concilio. pag. 150.

Responsio.

Ergone vt schismatico Vrcisino, in publico san-

ctorum Patrum consessu damnato, legibus Imperatorum sæpiùs proscripto, Catholicis omnibus, vt monstrum ostentui habito, patrocineris, tanti S. Damasum (à multis sacrosanctis Concilijs probatum, rescriptis Imperatorum ab iniustis oppressoribus vindicatum, antiquorum omnium præconio laudatum, toti Catholico orbi communicatione coniunctum, vita, moribusque insignem, miraculis illustratum, ac denique vnanimi totius Catholicæ Ecclesiæ consensu à tempore obitus in hanc vsque diem anniuersaria memoria celebratum) criminis argues? Numquid adulterij accusari potuit, quem S. Hieronymus virginem, Ecclesiæ virginis doctorem testatur? Quem Theodoretus vita laudabili conspicuum, plurimisque virtutum insignibus eximiè ornatum appellat? *At*, inquis, *causam in publico Concilio dixit:* In quo tandem? Vt quid Cõcilij locum tetices? Quis legitimus auctor hæc asseruit? Gratianum fortè testem adhibebis. Attende verò quo testimonio assertionem suam Gratianus fulciat. S. Hieronymum allegat in libro virorum illustrum. Sed vide quid super hoc glossa ipsa testetur. *In Catalogo*, inquit, *beati Hieronymi, aut alijs ipsius libris nihil tale legitur.* Falsum ergo falsa testificatione assertum, quid mirum si explodatur? Scio equidem eumdem sanctissimum Pontificem multis calumnijs ab hostibus impetitum, sed audi quid Gratianus & Valentinianus Augusti iudicum schismaticis fauentium torporem redarguentes, pro vindicanda eius innocentia, rescripserint. *Illi*, inquiũt, *insectatores sanctissimæ sedis, non solum Dei numine (quod satis erat) sed etiam iudiciorum examine ex-*

S. Hieron. epist. 50. ad Pammach. Theodoret. lib. 5. histor. cap. 2.

Gratian. 2. quæst. 7. post can. 41. §. Item cum Bilaam in fi. Gloss. ibid. in fi. textus eiusdem §.

Baronius ad ann. im 381. numero 4.

ploratum mentis sanctissimæ virum (vt etiam diuo patri Valentiniano est comprobatum) turpissimis calumnijs Episcopum Damasum inquietare non veriti, postquam desperauerunt posse percelli, populum, pro quo diuinitati ille obses est, inquietant. Sed hactenus stetit iners dissimulatio iudicantium, &c.

Obiectio.

Symmachus multorum criminum insimulatus in Concilio 120. Episcoporum. pag. 150.

Responsio.

Anastasius verò in eadem, de qua Simon agit, Synodo centum quindecim duntaxat Episcopos conueniſſe his verbis testatur. *Eodem*, inquit, *tempore beatus Symmachus congregauit Episcopos centum quindecim, & facta Synodo purgatur à crimine, & damnatur Petrus Altinas inuasor sedis Apostolicæ, & Laurentius Nucerinus, qui viuo Symmacho Episcopo, peruaserat sedem eius.* Anastas. in vita Symm.

Numquid autem quia insimulatus in Synodo Symmachus, ideò iudicatus à Synodo? Sanctissimus equidē Pontifex cùm se quamplurimis schismaticorum calumnijs agitatum cerneret, etsi nullius iudicio subiacens, diuinum tantùm iudicium sibi expectandum ob sedis prærogatiuam sciret. *Aliorum enim hominum causas*, inquit Ennodius eiusdem temporis scriptor, *Deus voluit per homines terminari, sed sedis istius præsulis suo sine quæstione reseruauit arbitrio: voluit beati Petri successores calo tantùm debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam.* Ennod. in lib. pro Symmach. tom. 1. Concil.

Vt sua nihilominus integritas omnib⁹ innotesceret, iuri suo quodammodo cedens, vel, vt testantur eiusdem Synodi

Acta Synodi Palmar. apud Baronium ad annum 502. numer. 8. 14.

acta. *Potestatis suæ priuilegia, æquè pro conscientiæ suæ emendatione submittens, seu, per directos Episcopos nominatis canonibus se cessisse allegans, & affectu purgationis suæ cælmen humilians, qui tantis periculis pene fuisset oppressus.* Synodo congregata eidem subijcere se voluit. Patres tamen ad Synodum vocatí, nec priùs congregari voluêre, quàm se ab eodem, qui impetebatur, Symmacho euocatos cognouissent. *Ideò enim*, vt inquiunt eadem acta, *memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum cõuocare, scientes quia eius sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel principatus; proinde secura iussione Domini, conuocandorum Conciliorum auctoritas ei singularem in Ecclesijs tradidit potestatem, nec antedictæ sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio. Vnde potentissimus Princeps* (Theodoricus Italię Rex) *ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse significauit, & à mansuetudine eius paginæ postulatæ sunt, quas ab ea directas constabat, hasque dari Sacerdotibus sine tarditate constituit.* Nec etiam super eius causa quidquam decernere, aut sententiam ferre sunt ausi Episcopi, quin potiùs totum negotium Dei iudicio committentes, hoc tantùm egerunt, vt eius innocentiam, quàtùm ad homines (seu quod ad hominum ædificationem, quæ in tanto præsule maximè desiderabatur, spectabat) omnibus prædicarent; omnesque cohortarentur, vt sine aliqua dificultate eidem communicare non vererentur.

Baron. ibid. numero 6.

Præstat verò eosdem sanctissimos Patres sic audire loquentes. *Cæsti*, inquiunt, *inspiratione perpensis omnibus, quæ in causa erant, decretis, decernimus, vt Sym-*

Baronius ad annum 502. numer. 18.

machus Papa sedis Apostolicæ Præsul ab huiusmodi propositionibus impetitus, quantùm ad homines respicit (quia totum, causis obstantibus superius designatis, constat arbitrio diuino fuisse dimissum) sit immunis, & liber. Et infrà. *Totam causam Dei iudicio reseruantes, vniuersos hortamur, vt sacram communionem (sicut res postulat) ab eo percipiant, & Dei, & animarum suarum meminerint, quia ipse & amator pacis, & ipse pax est.* Quid plura? Nec in subscriptionibus suis, quod Dei iudicio Symmachi causam commisissent, ijdem Patres tacere voluerunt: Ideò eosdem subscribentes sic legimus. *Laurentius Episcopus Ecclesiæ Mediolanensis huic statuto nostro, in quo totam causam Dei iudicio commisimus, subscripsi. Petrus Episcopus Rauennas huic statuto nostro, in quo totum Dei iudicio commisimus, subscripsi,* &c. Quorsum vero hæc, nisi quia prima sedes à nemine iudicari potest? Baron. ibid. numer. 20. & tom. 1. Cõncil.

OBIECTIO.

Ioannes 12. & Benedictus 9. propter turpitudinem morum ab Ecclesia sunt electi. pag. 151.

RESPONSIO.

Quod ad Ioannem spectat, si Luithprando credimus, non tam ob corruptionem morum, quàm propter mentitam Othoni Imperatori fidem, vt qui Othone relicto, Adelberto Berengarij Italiæ Regis filio contra pactum, se coniunxisset, eumdemque Romam euocasset, Ioannes ipse eiusdem Othonis in se persecutionem, quæ eum Roma discedere compulit, expertus est: Sic enim ait. *Ante legatorum reditum Adelbertus, inuitante Papa, à Fraxineto rediens, Centumcellas aduenit, deinde Romam* Luithprand. lib. 6. cap. 6.

profectus, non vt debuit repudiatus, sed à Papa honorificè est susceptus. Hæc dum aguntur Phœbi radijs graue Cancri sydus inæstuans Imperatorem Romanis arcibus propellebat. Et post pauca. *Quid multis morer? iuxta vrbem Imperator castra metatus est. Roma Papa simul, atque Adelbertus aufugiunt.* Et infrà de querelis ab Imperatore contra Ioannem in Pseudosynodo ab ipso coacta propositis, agens. *Verùm*, inquit, *quoniam eum non affuturum certoscimus, quàm perfidè nobiscum egerit, vt diligenter agnoscatis, etiam atque etiam s[cri]-tamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiscopo, &c. quod idem Ioannes Papa oppressus à Berengario, atque Adelberto rebellibus nostris, misit in Saxoniam nuntios, rogans vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & Ecclesiam S. Petri, & seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Ereptus verò mea opera ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus S. Petri promisit, eumdem Adelbertum Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus dux belli factus lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta Synodus decernat, edicat.* Scio equidem de corruptis Ioannis moribus etiam in eadem Pseudosynodo agitatũ, sed Othonis se vlciscendi desiderio flagrantis factum specioso aliquo prætextu erat adumbrandũ. Adde quod licèt ab Ecclesia ejectus, Othonis potentia, Ioannes fuerit, verus tamen Pontifex vsque ad obitum permãsit, vt pluribus supra docuimus.

Idem lib. 6. cap. 8.

Quod ad Benedictum autem attinet, non ob turpitudinẽ morum fuit ejectus, sed S. Bartholomæo Cryptæ ferratæ Abbate dignissimo suadente. *Depositâ sede*, vt inquiunt eiusdem acta, *instar primati*

Acta S. Bartholi. apud Baroniũ anno 1044. numero 4.

hominis se habuit, vt iam suprà diximus.

OBIECTIO.

Addam Dioscorum, qui licet in fide non peccasset, tamen ab Ecclesia Romana condemnatus est. Can. sane 24. *quæst.* 2. pag. 151.

RESPONSIO.

Quid inde? Nunquid Dioscorus verus ac legitimus Ecclesiæ Romanæ Pontifex fuit, an non potius Pseudopontifex schismaticus? Si hæc te latent, ad quid ergo quæ ex Pontificali Romano in Gregoriano codice descripta posteà citasti? *S. Bonifacius*, inquis, *cum Dioscoro ordinatus est sub contentione, Dioscorus in basilica Cōstantiniana, Bonifacius in basilica Iulij. Fuit itaque dissensio in Clero & Senatu dies* 28. *donec defunctus est Dioscorus* 5. *Idus Octobris.* Summo quippe Dei beneficio factum est, vt cita morte præuento schismatico, extingueretur & schisma. Quòd si nec ista sufficere contēdas, cōsule Chronographos, qui non Dioscorum, sed Bonifacium Felicis successorem vbique attestantur. Regino, *Felix*, inquit, *& Bonifacius Romanam regunt Ecclesiam*, Marianus Scotus. *Felix Papa obijt, huic successit Bonifacius Papa LV. post Petrum.* Compilatio Chronologica. *Iustini*, inquit, *tempore Bonifacius Papa ordinatur.* Quòd si textum Canonis ex V. Synodo desumptum nobis objicias, vel errore factum est, vt in textu Dioscorus Papa Romanæ vrbis nominaretur, vel Constantinopolitanæ Synodi Patres, quod tunc Romæ contigerat, ignorantes, Dioscorum, cùm schismaticus esset, legitimum Pontificem arbitrati sunt. Nec absre est irreptum hunc

Gloss. in can. Sanè. 24. q. 2. in verb. Dioscorum.

Regin. lib. 1. Chron. anno 530. Marian. Scotus in Chron. ad annū 530. Compilat. Chronol. ad annum 530.

fateri errorem, cùm & Iustinianus, quo præsente eadē Synodus celebrabatur, ijsdē pene verbis ad Ioannē Pontificem scribens, nihil tamen de Dioscoro, quod Romanæ vrbis Pōtifex fuerit, habeat. *Super hæc autē omnia*, inquit, *quis ignorat, ea, quæ nostris temporibus in Ecclesia antiquioris Romæ contra Dioscorū acta sunt? Qui cùm nihil in fidem peccasset, tamen solùm propter Ecclesiasticum ordinem, post mortem ab eadem Ecclesia Romana anathematizatus est.* Si ergo Dioscorus numquam legitimus Pontifex fuit, quid mirum si post mortem condemnatus?

Baronius ad annum 531. numero 4.

OBIECTIO.

Omitto abbreuiatorem Conciliorum idem admonere in Bonifacio 2. Quæ igitur negligentia in regio Theologiæ professore ea ignorasse, quæ in Summa Conciliorum extant?

RESPONSIO.

Imò verò quæ negligentia in regio Senatore, vt ea nobis venditet, quæ nec Conciliorum abbreuiator admonuit, nec in Summa Conciliorum reperiuntur? Mihi nō credis? Accipe ipsissima Summæ Conciliorum verba. *Bonifacius*, inquit, *natione Romanus ex patre Sigibuldo, sedit annos duos, dies 26. temporibus Athalarici Regis hæretici, & Iustiniani Augusti. Hic cum Dioscoro ordinatur sub contentione. Dioscorus ordinatur in Basilica Constantiniana, Bonifacius vero in Basilica Iulij, & fuit dissensio in Clero & Senatu dies 29. quo tēpore defunctus est Dioscorus, & quieuit seditio.* Hucusque Summa Conciliorum, quæ per contentionis, dissensionis, & seditionis verba, nihil aliud innuit, quàm quod Genebrardus de

Summa Cōcilior. in Bonifac. 2.

eodem Dioscoro agens admonuit. *Dioscorus*, inquit, *in schismate contra Bonifacium sedit dies* 28. Genebrard. Chronol. l. 3. in Bonifac. 2.

OBIECTIO.

Synodus Romana sub Siluestro, Vnde Can. nemo 9. *quæst.* 3. *depromptum narrant, fictitia est.* pag. 153.

RESPONSIO.

Quis verò hunc Canonem ex ista Synodo Romana depromptum tibi enarrauit? Gratianus certè & qui in Gregorianum Gratiani codicem notas inseruit, ex Innocentio citant. *In omnibus*, inquit glossator, *vetustis Gratiani exemplaribus, citatur ex Innocentio.* Ad quid ergo stomacharis? Licet enim alij nonnulli Canonum collectores, eumdem Canonem ex ea ipsa Synodo citēt, quid mihi & tibi, cùm de Gratiano tantùm sollicitudo sit? Quòd ad Synodum verò spectat, Crispo & Constantino tertiùm Consulibus, tertio Calendas Iunij Romæ in Thermis Traiani celebratam à S. Siluestro, eadem, cuius fidem paulò ante imploraſti, Summa Conciliorū, non obscurè testatur: Cuius etiam Canones, tum à Nicolao primo Romano Pontifice, tum à Theodoro Archiepiscopo, atque adeo ab ipso Hibernensi Concilio citari comperimus. Vnde ergo fictitiam esse coniectura tibi est? Iam audiamus. Notat. can. Nemo. 9. q. 3. apposita. Summa Cōcilior. post Concil. Nicæn. fol. 53. Nicolaus 1. in epist. ad Michaëlem. can. Presbyter. 82. dist.

OBIECTIO.

Fictitiam esse liquidò constat ex Can. 2. *quo Victorinum damnat, quasi errasset in computatione Cycli decemnouennalis: Victorinus verò temporibus Papæ Hilarij* 150. *annos post Siluestrum vixit.* pag. 153.

RESPONSIO.

Egregiam verò laudē! An non plures in mundo Victorini, sicut & plures Simones fuisse noscūtur? Atque equidem si quod in tertia huius Synodi editione de Victorino Pictauiensi Antistite additum reperitur, arguisses: Vel si Victorinus ille in Synodo condemnatus, Aquitanus fuisse & Paschalem circulum scripsisse, vt ait Marianus Scotus diceretur, manus vtiq; dedissem; cùm & prior ille Victorinus sub Diocletiano Imperatore martyrio vitam finierit, & posterior iubente Papa Hilario, vt auctores sunt Gennadius & Regino, reuolutionem magni anni descripserit. Cùm verò nihil tale de hoc Victorino in eadem Synodo Romana condemnato assertum reperiatur, sed tantùm quod receptos ab Ecclesia Paschales cyclos redarguere præsumpserit, vt quid aliquis alius ab his duobus esse non potuit?

Marian. Scotus anno 560.

Gennad. de viris illustr. cap. 88. Regino in Chron.

OBIECTIO.

pag. 153. *Omitto Cyclos decemnouennales inuentos in Concilio Nicæno ab Eusebio Cæsarienſi Episcopo.*

RESPONSIO.

Non Eusebius Cæsarienſis, sed illi ipsi, qui à Synodo Nicæna ad Paschales Cyclos conficiendos, quibus quo potissimum die singulis annis sanctū Pascha celebrandum esset, ostenderetur, delegati fuerē (inter quos præcipuè emicuit Alexander Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopus) circuli decemnouennalis, qui aureus numerus appellatur, ad faciliùs inueniendum cuiuslibet anni Paschalem diem, auctores extiterunt. Hinc S. Ambrosius. *Non mediocris*, inquit, *esse sapientiæ diem celebritatis*

S. Ambros. in epist. ad Episc. Æmil. prouinc.

definire Paschalis, & scriptura diuina nos instruit, & traditio maiorum, qui conuenientes ad Synodum Nicænam inter illa fidei, vt vera, ita admiranda decreta, etiã super celebritate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem & nouem annorum collegêre rationem & quasi quemdam constituêre circulum, ex quo exemplum in annos singulos gigneretur, hunc circulum Enneadecaterida nuncupauerunt. Indeque factum est, vt quòd in hoc perficiendo negotio idem Alexander egregiã nauasset operam, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcoporum ex eiusdem Synodi decreto, officium deinceps fuerit, quo potissimùm die singulis annis celebrandum Pascha foret, inuestigare, Romanæque Ecclesiæ Episcopis per litteras, quæ ideo Paschales dicebantur, significare, à quibus omnes deinceps Ecclesiæ certiores redderentur. *Paschale festum*, inquit S. Leo, *quo sacramentum salutis humanæ maximè continetur, quàmuis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est Lunaris cursus conditione, mutabile, vt plerumque sacratissimi diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerumque, quod non licet, vt non simul omnis Ecclesia, quod non nisi vnum esse oporteat, obseruet. Studuêreque sancti patres occasionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes, quoniam apud Ægyptios huius supputationis antiquitùs tradita esse videbatur peritia, per quam qui annis singulis dies prædictæ solemnitatis eueniret, sedi Apostolicæ indicaretur, vt huius scripti ad longinquiores Ecclesias iudicio generaliter percurreret.* Alioquin antehac antiquus in Ecclesia vigebat vsus, vt à Romano Pontifice Paschalis dies quæreretur. Vnde Arelatensis primæ Synodi Patres ad Silue-

S. Leo epist. 64.

Summa Cõcil. in Cõcil. 1. Arelat. can. 1.

strum Romanum Pontificem scribentes, *De obseruatione*, inquiunt, *Paschæ domini, vt vno die & tẽpore per omnem orbem obseruetur, & iuxta consuetudinem literas ad omnes tu dirigas.* Quod verò ad Eusebium spectat, ex Constantini ad eum missa Epistola, liquidò constat, scriptam ab eo de Paschate lucubrationem, non circa Paschale computum, sed circa duntaxat antiquum diei Paschatis celebrandi ritum, fuisse versatam. *Dificillimum sanè opus est*, inquit Constantinus, *& supra omnem orationis facultatem positum, mysteria Christi pro dignitate explicare, & institutam de Paschate controuersiam, vnde orta & quomodo laboriosè quidem, sed vtiliter ad exitum adducta sit, congruenti oratione exprimere. Nam numinis magnificentiam, ne illi quidem qui eam mente, cogitatione neque assequi queunt, satis pro dignitate sua, vlla orationis facultate explicare possunt. Verumtamen incredibilis voluntatis & studij tui magnitudinem admirans, cùm ipse libellum tuum libenter legi, tum etiam vt is pluribus diuinarum rerum verè studiosis ederetur, quoniam ita voluisti, edicto mandaui.* Quin & idem Eusebius de eodem suo libello agens hæc testatur. *Cùm nos*, inquit, *dedicato illi libellõ arcanam huius festi rationem retexeremus*, &c.

Euseb. vitæ Cõstant. lib. 4. cap. 34. 35.

Euseb. ibid.

Obiectio.

pag. 153. *Impossibile est Victorinum, etiamsi fuisset tempore Siluestri, Cyclos illos renouasse, qui nondum reperti erant.*

Responsio.

Victorinus non ideo condemnatus in Synodo, quòd Cyclos renouarit, sed quod eos, qui ab Ec-

clesia iam recepti erant, arguere præsumpserit.

OBIECTIO.

De Synodo contra Marcellinum, ex qua post Nicolaum Valla efficit primam sedem à nemine posse iudicari, hoc minùs est consentaneum veritati, cùm ex eadem Synodo docuerim trecentos Episcopos condemnationi Marcellini subscripsisse, & impossibile videatur tantum numerũ Episcoporum, flagrantibus persecutionibus grauissimis, conuenire potuisse sub Diocletiano. pag. 154.

RESPONSIO.

Quidni? Cùm & multò dificiliori tempore (vrgente, scilicet, sæuissima Decij persecutione, ipsa post S. Fabiani martyrium, vacante Romana sede, pluribusque è Romano Clero carceri mancipatis, quando de recipiendis lapsis non leuis est excitata controuersia) qui ex eodem Clero residui erant, Concilium Romæ, tum ex Italiæ, tum ex aliarum etiam remotiorum prouinciarum Episcopis, coëgerint, vt ex eorũmdem Epistola ad S. Cyprianum tunc scripta, apparet. *Cuius*, inquiunt, *temperamenti moderamen nos hic tenere quarentes, diu & quidem multi & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nostris, & appropinquantibus, & quos ex alijs Prouincijs longè positis persecutionis istius ardor ejecerat.* Apud Baron. ad annũ 253. num. 78. 79.

Quin & antea tempore Seueri, qui quintus à Nerone Christianos est persecutus, cùm sedis Apostolicæ clauum Victor regeret, plura Concilia legimus celebrata, in quibus Cæsariense in Palæstina, de die Paschatis, à Theophilo Cæsariensi Antistite eiusdem Victoris auctoritate coactum, ma-

Beda in lib. de Æquinoct. vern. apud Baronium ad annum 198. numero 2.

ximè enituit, de quo ita Beda. *Percepta*, inquit, *auctoritate, prædictus Theophilus Episcopus non solum de sua prouincia, sed etiam de diuersis regionibus omnes Episcopos euocauit: vbi cùm illa multitudo sacerdotum conuenit*, &c. Quid plura? Audi quæso & Eusebium, de alijs Concilijs per totum orbem tunc super Paschatis quæstione celebratis, hæc proloquentem. *Concilia*, inquit, *& conuentus Episcoporũ in vnum cogebantur.* Et post pauca. *Aliud est etiam Episcoporum, qui Romæ similiter conueniebant. Aliud item Episcoporum Ponti, quibus Palmas vtpote antiquissimus & maximè venerandus præsidebat; Aliud Ecclesiarum Galliæ, quas Irenæus regebat Episcopus. Aliud porro Episcoporum, qui Osroenam & reliquas in eo loco ciuitates incolebant: Aliud præterea Bacchylli Ecclesiæ Corinthiorum Episcopi, & alia denique aliorum prope infinitorum.* Vt non mireris, si Diocletiani tempore cùm in vnius Marcellini lapsu timenda iure esset totius Ecclesiæ ruina, datis à Clero Romano (cuius persecutionis tempore summũ semper viguit studiũ) ad omnes Episcopos ex more literis, eorum omnium ad tantam suffulciendam machinam pene collabentem, imploratum sit auxilium, & ab ijsdem exhibitum officium. Communis enim causa, communi omnium consultatione indigebat, atq; inauditus hactenus morbus paratum omnium sententia remedium exposcebat.

Euseb. lib. 5. hist. cap. 23.

OBIECTIO.

pag. 157. *Potestatem Papæ subiectam esse potestati Concilij sentire Iurisconsultos demonstrabam ex glossa.* si Papa 40. *distinct.*

RES-

RESPONSIO.

Bene equidem ad gloſſam, ipſo Canone tibi contradicente, recurris. Abſolutè enim S. Bonifacius egregius ille Moguntinenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus & Martyr, illius Canonis author hæc habet. *Huius*, inquit, *Pontificis culpas iſthic redarguere præſumit mortalium nullus, quia cunctos ipſe iudicaturus à nemine eſt iudicandus, niſi fortè deprehendatur à fide deuius.* Quod ad gloſſam verò ſpectat, audi quid Coſmas Guymier Regius Pariſienſis Parlamenti Conſiliarius, in ſuo ad Pragmaticam ſanctionem commentario, de ea teſtetur. *Dictam*, inquit, *gloſſam reprobat Antoninus in 4. part. ſummæ tit. 11. cap. 8. §. 3. vbi dicit, quod illa gloſſa loquitur opinatiuè, non aſſertiuè, & quod Ioannes Andreas, cuius eſt gloſſa, ſentit contrarium 79. diſt. can. ſi quis. Dicens quod cum dicitur propter hæreſim Papam poſſe deponi, ſumitur ibi propriè & ſtrictè hæreſis, pro errore in fide, non pro contumacia, vel inobedientia, quæ impropriè dicitur hæreſis, vt 81. diſt. can. ſi qui ſunt. Nec reperitur aliquis Papa depoſitus propter ſcelera ſua, ſed propter ſchiſma tollendum, & dicit hoc Petrum de palude tenere in 4. ſentent. & Auguſt. de Ancona in tractatu de poteſt. Eccleſiaſt.* Quid ergo de alijs Iuriſconſultis erit dicendum, quando & ipſe author gloſſæ ſibi non conſentit?

can. Si Papa. 40. diſt.

Coſmas Guymier in commentar. ad Pragmat. ſanctio. tit. de auctorit. Cõcil. ſuper verbo obedire.

OBIECTIO.

Principes Iuriſconſultorum teſtantur mundum vniuerſum hanc gloſſam amplecti, & canonizatam fuiſſe in Concilio Conſtantienſi, adeoq; eam in dubium reuocare proteruum, & ſacrilegũ eſſe. Sic Baldus, ſic Panormitanus, ſic Ludouic. Romanus.

pag. 157.

RESPONSIO.

Quid si plures sint qui contrarium sentiant, Papam nempe adeo esse supra Concilium, vt nec etiam se possit subijcere eius sententiæ, quis-nam proteruus, sacrilegusque censebitur? Iam ex citato Guymieri textu S. Antoninum, Petrum de Palude & Augustinum de Ancona illius esse sententię, nec ipsum etiam auctorem glossæ ab ea discrepare vidimus. Quod si Scolasticos requiras, consule Albertum magnum, S. Thomam, S. Bonauenturam, Richardum, alioſque in 4. sentent. dist. 19. scribentes: Item Ioannem de Turrecremata lib. 2. cap. 93. & 104. Summæ de Ecclesia, Aluarum Pelagium de planctu Ecclesiæ lib. 1. art. 6. Dominicũ Iacobatium lib. 10. de Concilijs art. 7. Albertum Pighium lib. 6. de hierarch. Ecclesiast. Franciscum Ferrarienſem lib. 4. contra gentes cap. 76. & Petrum de Monte lib. de potest. Papæ & Concilij, eiusdem eos esse opinionis reperies. Quòd si Canoniſtarum iudiciũ expostules, idem fere omnes sentiunt in cap. *significasti* ẽ. de elect. & Can. *si Papa* dist. 40.

OBIECTIO.

pag. 157. *Qui decretum Constantiensis Concilij expenderit, prima facie obseruabit Patres absolutè, & non in solo casu schismatis statuere, quandoquidem nominatim agitur de Ecclesiæ reformatione, tam in capite quàm in membris.*

RESPONSIO.

Rectè equidem qui prima facie, at qui secunda expenderit (quandoquidem vt vetus fert ada-

giũ δεύτερα φρονήσεις σοφώτερα) in solo casu schismatis statutum huiusmodi factũ obseruabit. Non enim simpliciter Concilium decernit Papam ordinationibus cuiuscumq; Concilij generalis obedire teneri, sed limitat ad ea, quæ paulò ante dixerat de extirpatione schismatis, vt nempe Concilium illud generale, de quo intendit, vel ideo congregatũ sit, vel ideo statuat, vt iam introducto schismati remediũ afferat. *Declarat Synodus*, inquit Decretũ, *quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiam si Papalis, qui mandatis, statutis, seu ordinationibus aut præceptis huius sacræ Synodi & cuiuscumque alterius Concilij generalis, legitimè congregati super præmissis* (nota) *seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis obedire contumaciter præsumpserit.* Concil. Cõstant. sess. 5.

Quod autem audis de Papali dignitate dictum, non propriè, sed impropriè tantùm nomen Papæ ibi sumptum existimes. Non enim Papa propriè censendus est, de quo dubitatur an sit verus Papa, sed ideo talis, Papa in schismate dicitur, quia se pro Papa gerit, vel quia Papatum affectat, nõn quod reuera semper Papa sit.

OBIECTIO.

Basileensis Synodus ex vi progressionis & conuocationis certissima, indubitata, & œcumenica fuit, ac proinde eius decreta fuerunt legitima & infaillibilia à Spiritu sancto profecta, & tanquam fidei oracula suscipienda, adeo vt nulla Pontificis confirmatione indigeant. pag. 159.

RESPONSIO.

Vis ergo quid de Basileensi Synodo sentien-

dum sit cognoscere? Audi S. Antoninum eximiũ illius temporis scriptorem. *Animaduertens*, inquit, *Eugenius ex fideli multorum relatione, Basileæ congregatos non vacare ad extirpationem hæresis Bohemorum, & reformationem Ecclesiæ, propter quod Concilium fuerat ordinatum, sed ad deformationem & conspirationem contra se, ad eum deponendum tanquam fautorem bellorum, & discordiarum, ne schisma sequeretur, destinauit solemnes oratores Ecclesiæ Prælatos, Basileam, inter quos fuit Abbas de Sicula, tunc Panormitanus Episcopus, ad monendũ illos, vt desisterent ab inceptis, rationibus reuincendo intentatum opus eorum, ipsumque Concilium auctoritate Apostolica dissolutũ est, & Legatus reuocatus ab ea præsidentia. Illi tamen obturauerunt aures suas, non audientes vocem Domini, sed congregatione illa facta Conciliabulo, nullas vires habente, nisi vt synagoga Sathanæ, auctoritate suæ temerariæ præsumptionis, cœperunt Eugenium ad Cõcilium adeundum citare, sollicitati ad hoc à Duce Mediolano, ægrè Pontificatum eius ferente, quia non sibi fauebat. Imperator Sigismundus iam coronatus illuc aduenies, omnino sub comminatione hoc fieri prohibebat, cùm schisma immediatè præteritum cum tanto labore vix fuerat ablatum. Qui igitur in Basilea congregati erant, inter quos aliqui priuati Episcopatu, & dignitatibus suis ab Eugenio, propter scelera sua, suam temeritatem prosequentes, deposito Eugenio à Papatu, erexerunt sibi in idolum prædictum ducem Sabaudiæ, Amedeum dictum, quem Apostaticum factum, Felicem nuncuparunt. Qui inthronizatus non in sede Petri, sed Luciferi, qui sedem suam posuit ad Aquilonem, aliquos Cardinales instituit. Et per hunc modum Basilea peperit basiliscum. Hunc tamen, ne veneno sui schismatis inficeret alios, Eugenius Florentiæ degens*

S. Antonin. 3. part. histor. tit. 22. cap. 10. §. 4.

maturo consilio super hoc habito cum Cardinalibus suis, & aliis Prælatis Ecclesiæ, & consensu, in publico Consistorio, orationibus solemnibus præmissis, sententiam excommunicationis fulminauit contra illum Amedeum Apostaticũ, & omnes eius sequaces. Paulus etiam Æmilius de eiusdem Basileensis progressu Concilij agens. *Qui Basileam*, inquit, *tolerant, quòd euocatus Pontifex, sui copiam non faceret, quòd dicto non pareret, fremunt deponendum, abrogato iure sacrarum clauium, nouum substituendum. Sigismundus Cæsar ita animatis superuenit, consilium huius rei, vt præceps protestatur, iubet meminisse quàm multa, quàm magna intulerit incommoda nomini Christiano superiùs schisma, post tot Pontificum ætates, ægrè sedatum.* Et paulò pòst de Eugenij depositione, & Amedei suffectione loquens. *Basileense*, inquit, *Concilium discessu Cæsarini, purpuratorumque, magis irritati, quàm territi, damnato Eugenij nomine Amadeum Sabaudum Pontificem salutauere, Felicem quintum nuncupantes.* Vnde colligas, non nisi tumultuariè in illo Concilio omnia peracta, actumque ab eo, vt dum schismati se occurrere velle iactaret, pernicioſissimum schisma introduxerit: Et ita licet Concilium istud legitimum ab initio fuerit, post reuocationem tamen, prorsus illegitimum fuit.

Paul. Æmil. hist. Franc. in Carolo 7.

Obiectio.

Galli nunquam Synodum Florentinam pro legitima habuêre, præsertim stante & continuante Concilio Basileensi. pag. 161.

Responsio.

Numquid Genebrardus (quem paulò pòst te-

stem contra Iulium 2. allegas) Gallus fuit? Audi tamen quid de eadem Florentina Synodo testetur. *Decimum octauum*, inquit, (*Græci autem vocant octauam Synodum*) *œcumenicum Concilium Florentinum, inchoatum quidem Ferrariæ 8. Idus Aprilis, sed inde, ingruente peste, translatum Florentiam, præside Eugenio 4. præsentibus Iosepho Constantinopolitano Patriarcha (qui Florentiæ obiit) Ioanne Palæologo Orientis Imperatore, multisque Græcorum & Latinorum Cardinalibus, & Episcopis. Platina, Volaterranus, Palmerius, Naucle-rus, Calchondylas. In eo Græca Ecclesia vltimò conuenit cum Romana, item cum ea Armeni & Indi vnitatem fidei redintegrarunt, recipientes Sacramentum Confir-mationis.* Quomodò vero Concilium Basileense, ab Eugenio reuocatum, legitimè tunc stare potuit cùm eodem Cosma Guymierio teste, *Ad Pontificem pertineat generalia Concilia celebrare, & sine Papa Con-cilium dicatur corpus acephalum, quia Concilium in actu iurisdictionis suæ exercito, non est iudex cum Papa, sed consultor, etiam in arduis.* Et infra. *Si in præfixione loci Concilij discordant Papa & Concilium, videtur stan-dum sententiæ Papæ, argument. 4. distinct. iuxtis, vbi dicit glossa, quod sententiæ Papæ stabitur, nisi Papa vellet assignare locum non tutum, aut minus idoneum Concilio. In his enim quæ dependent à plena potestate Papæ, quæ sunt omnino iuris positiui, nec tangit fidem, aut decolora-tionē status Ecclesiæ, sententia Papæ præferenda est.* Cùm ergo de loco vbi Concilium priùs Basileæ con-gregatum, continuandum esset, ob aduentum Imperatoris, præcipuorumque Ecclesiæ Orienta-lis Episcopotum (qui pro concordia inter vtram-que Ecclesiam Orientalem, nempe & Occiden-

Genebrard. Chronolog. lib. 4. in Eu-genio 4. an-no 1438.

Cosmas Guymier in commentar. ad Pragmat. sanct. tit. de auctorit. gene-ral Cōcil. verb. Ponti-fex

Idem ibidem verb. consen-tiente.

talem, incunda, summum Pontificem adire cupiebant) disceptatio orta fuisset, cur non Eugenij sententiæ Ferrariam, commodiorē vtique locum, Concilium reuocantis, standum erat? *Præscriptio mutandi loci*, inquit Paulus Æmilius, *fuit spes aduentus Ioannis Palæologi Imperatoris Græcorum, qui cum Patriarcha Byzātino, magno præterea tota ex Græcia Patrum comitatu, ad Romanum Pontificem profectus dicebatur, ad dirimendam controuersiam, si qua residua erat, inter Ecclesiam Orientis, nostramque.* Paul. Æmil. hist. Franc. in Carolo 7.

OBIECTIO.

Eugenius opibus, triremibusque Venetorū suorum popularium adiutus, Græcis iuit obuiam, cùm ad Concilium Basileense venirent, effecitque, vt potiùs Ferrariam, quàm Basileam appellerent, ac morarentur. pag. 163.

RESPONSIO.

Audi quid super hoc Paulus Æmilius asserat. *Græci*, inquit, *classe maxima ex parte Venetorum deferebantur, quibus maiori è dignitate videbatur, cùm ad componendas res coiretur Ferrariam, vbi caput Ecclesiæ nostræ Pontifex esset cum suo purpurato coetu, quàm Basileam, animis iam disiunctis, conuenire. Proinde Græci Ferrariam delati, ibique culti sunt, & quod pestis ibi exoriretur, Florentiam itum.* Quin & ab ipsis Basileensibus sollicitatos Græcos, vt Basileam se conferrent, testatur S. Antoninus. *Ex Constantinopoli*, inquit, *Patriarcha & Imperator cum fratre suo, & magno comitatu, numero ferè quingentorum, se mouentes, Venetias applicuêre. Ibi percipientes Concilium generale Basileæ congregatum, dissentire ab Eugenio, aliquandiu sia-* Paul. Æmil. ibidem. S. Antonin. 3. part. histor. tit. 22. cap. 11. in princip.

persederunt animo suspensi de loco accessus sui. Nec enim congregati Basileæ post dissolutionem & irritationem factam Concilij per Eugenium, desistebant à prosecutione incepti, sed solliciti inuitabant Græcos Basileam ad Concilium id accedere. Præualuit tamen auctoritas Eugenij, cum suasionibus plurimorum, vt ad præsentiam suam se conferrent. Et vt satisfieret petitioni eorum, Concilium generale indictū est & publicatum Ferrariæ celebrādum, quò ipse Eugenius cum sua curia è Bononia profectus est.

OBIECTIO.

pag. 163. *Carolus 7. Rex Christianissimus diplomate omnibus Episcopis illuc proficiscì prohibuit.*

RESPONSIO.

Vbinam gentium hoc tibi Caroli diploma innotuit? Petrus Pithœus vir doctissimus curiosè satis & accuratè ea omnia, quæ ad Ecclesiæ Gallicanæ in schismate statum pertinent, inter opera sua congessit, de huiusmodi tamen Caroli 7. diplomate nihil habet, vnde colligas fictitium prorsus, ac commentitium esse. Licèt verò idem Carolus neutralitatem quandam illis ipsis temporibus obseruasse (vt ex eius diplomate Bituricis 2. Septembris anno 1440. dato, & ab eodem Pithœo ibidem relato, appareat) deprehendatur, num quam tamen sui regni Episcopis, ne ad Concilium Florentiam euocatum proficiscerentur, interdixisse reperitur. Quin ipsum potiùs summos Pontifices semper coluisse, inde patet, quod non nisi coram summi Pontificis Legatis Pragmaticam sanctionem apud Bituricas promulgari voluerit, vt in articulis Ludouico xj. Franciæ Regi à Parisiensi

Pithœ. tract. de Eccles. Gallic. in schis. statu. pag. 605.

Parlamento propositis, videre est, qui Gallicè ita apud Pithoeum habentur. *Item le feu Roy Charles septiesme (à qui Dieu pardoint) le Roy lors Daulphin present, & plusieurs de Messeigneurs du sang, & de la plusspart des Prelats de ce Royaume: mesmes oys sur ce les Ambassadeurs de nostre S. Pere, & aussi les Ambassadeurs du S. Concile, en tout ce qu'ils voulurent dire, acceptа lesdits decrets,* &c. Et articulo sequenti. *Item, & laquelle loy print son essence, force & auctorité sur lesdits decrets faits és saincts Conciles, où presidoit le Pape, ou son Legat pour luy, qui fut lors, a esté & est reputé grande chose.* Pithœ. ibid. p. 612. art. 14. Ibid. art. 15.

OBIECTIO.

Concilium Lateranense sub Iulio 2. & Leone 10. non fuit œcumenicum, neque liberum, Vt ex Guichardino, Synodi Pisanæ & ipsius Lateranensis actis apparet, quæ docent solos Italos potissimùm aulicos sequentes Curiam Romanam, huic conuentui interfuisse. pag. 163.

RESPONSIO.

Malè ergo Genebrardus hæc de eodem Concilio asseruit. *Decimum nonum Concilium Oecumenicum Lateranense, indictum est à Iulio Papa contra Concilium Pisanum, contra Turcas & pro reformatione Ecclesiæ, sed ipsius morte est interruptum & postea continuatum & absolutum à Leone Papa 10. anno 1517.* Genebrard. Chronolog. lib. 4. in Iul. 2. anno 1511.

Male Franciscus ille magnus Francorum Rex huius nominis primus, in diplomate Concordatis præfixo, sacrum illud appellauit & ad illud sæpius inuitatum Ludouicum 12. cum vniuersa Gallicana Ecclesia, testatus est. *Cùm non pridem,* inquit, *su-* Francisc. 1. in diplomat. Concordat. præfixo in princip.

perstite adhuc Ludouico memoriæ commendabilis Rege socero nostro (cuius animæ propitietur altissimus) sacrum Lateranense Concilium, sæpius editis decretis, eumdem socerum nostrum ad eiusdem Concilij conuentum euocasset, cum eoque regni nostri Curias summas (quas parlamentarias vocant) Ecclesiam insuper vniuersam Gallicam, cunctasque regni nostri gentes, delphinatusque nostri potentatus admonendos censuisset. Malè denique Leo 10. in Concordatis, Concilium istud sub Iulio congregatum, vniuersalem Ecclesiam repræsentasse, cunctosque Galliæ Prælatos ad illud euocatos, affirmauit. *Præfatus*, inquit, *Iulius prædecessor in præsenti Concilio Lateranensi vniuersalem Ecclesiam repræsentante, per eum legitimè indicto, abrogationis pragmaticæ sanctionis huiusmodi negotium, & illius discussionem venerabilium fratrum suorum Cardinalium (de quorum numero tunc eramus) & aliorum Prælatorum congregationibus, relationemque discussorum sibi & eidem Concilio faciendam commisit, Gallicosque prælatos, Capitula Ecclesiarum, ac Monasteriorum conuentus, ac Parlamenta, & Laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiamsi Regalis existerent, sanctione prædicta per edictum publicum moneri & citari, &c.*

Leo 10. in Bulla Concordat. tit. de Constitut.

OBIECTIO.

pag. 164. *Ludouicus 12. Galliæ Rex ex Ecclesiæ Gallicanæ consilio, quam Turonis ea de causa conuocauit, à Iulio petijt, vt & sacramento à se emisso, & decretis Synodi Constantiensis & Basileensis de habendo Concilio de decennio in decennium satisfaceret.*

RESPONSIO.

Nihil de sacramento à Iulio emisso, nec de celebrando de decennio in decennium Concilio, Pithœus, qui Turonica acta descripsit, habet, sed hæc tantùm profitetur. *Visum est*, inquit, *Concilio Turonensi ante omnia mittendos esse ab Ecclesia Gallicana legatos ad dominum Papam Iulium, qui fraterna charitate & secundùm Euangelicam correctionem eum admoneant, vt à cœptis desistere velit, pacemque & concordiam Principum amplecti. Quod si nolit legatos in hoc audire, interpelletur de conuocando Concilio libero iuxta sacrosancti Concilij Basileensis decreta.* Pithœus in tract. de Eccles. Gallic. in schism. statu, pag. 652.

OBIECTIO.

Acta Constantiensis Synodi perhibent Sessione 5. inter nationes de ea re accurratè deliberatum, priusquam Synodicè & Conciliariter aliquid statueretur, quod est argumento fuisse facta præuio examine, quoniam inter nationes omnia priuatim examinabantur, quæ etiam inter se per deputatos conuenire solebant. pag. 169.

RESPONSIO.

Quid si ex Actis ipsis factitatum istud tantùm in sexta Sessione appareat; in præcedentibus verò non item, quid iuris? Ac in tertia quidem Sessione, quæ est prima post missam Papæ, vbi de articulis tunc promulgatis agitur, hæc habentur. *Subsequenter dominus Cardinalis Florentinus iuxta deliberationem sanctæ Synodi pronunciauit certos articulos suæ constitutionis seruandos ad perpetuam rei memoriam, quorum tenores sequuntur.* In quarta autem. *Cardinalis Florentinus pronunciauit articulos & constitutiones se-* Concil. Cōstant. sess. 3. 4. & 5.

quentes. In quinta denique. *Fuerunt pronunciati articuli & constitutiones sequentes, per Reuerendissimum dominum Andream electum Posernanensem.* At verò in sexta Sessione & sequentibus aliter gesta cuncta narrantur, dum ex quibusque nationibus quosdam deputatos acta memorant. *Eidem*, inquiunt, *Sessioni præsidebat tunc Reuerendissimus pater dominus Ioannes Episcopus Ostiensis, Vicecancellarius Cardinalis Viuariensis, & ascenderunt ambonem, in quo publicari solent constitutiones, & alia auisamenta in Concilio, Reuerendi patres Episcopus Atrebatensis pro natione Gallica, Archiepiscopus Rigensis pro natione Germanica, Lusseldensis Episcopus pro natione Anglicana & Abbas Florentinus pro natione Italica.* Vnde sole clariùs patet hunc modum per nationes cuncta examinandi, non nisi in sexta Sessione obseruatum.

Idem Cõcil. sess. 6.

Obiectio.

pag. 168. *In Vltima Sessione Martinus V. indicauit se ideo librum Ioannis Falkemberg excludere à conclusione Synodi, eò quòd esset tantùm damnatus priuatim, & Nationaliter, nihilque de eo actum fuisse Synodicè & Conciliariter Patribus sedentibus in Synodo.*

Responsio.

Martinus V. non ad interrogata tantùm oratorũ Regis Poloniæ & Ducis Lituaniæ super huiusmodi libro sibi facta, sed & ad ea omnia, quæ super factis, vel decretis à Synodo sibi proponi possent, definitiuè respondens. *Dixit*, inquiunt Acta, *se omnia & singula determinata, concluſa, & decreta in materijs fidei per præsens Concilium Conciliariter, tenere*

Concil. Cõstant. sess. 45. & vlt.

& inuiolabiliter obseruare velle, & numquam contraire quoquomodo, ipsaque sic Conciliariter facta se approbare, & ratificare non aliter, nec alio modo. Per hæc notoriè distinguens, ea quæ Conciliariter, ab his quę non Conciliariter in eodem Concilio sancita fuissent, id est, ea quæ more aliorum Conciliorum, præuio examine, & diligenti facta discussione, ab his quæ simplici facta propositione, ab vniuersis tamẽ præsentibus acceptata fuissent. Cuius posterioris generis quinque priores Sessiones fuisse, ex ipso suprà citato textu facilè dignoscuntur.

OBIECTIO.

Quæstio est, an Martinus impedire potuerit, quominus liber ille Nationaliter damnatus, Synodicè etiam damnaretur, hoc enim spectat ad absolutam Monarchiam. pag. 169.

RESPONSIO.

Vt quid quæstionem moues, quæ in Concilio neque agitata, neque mota aliquando fuit? Sed huic decreto à Martino edito, quotquot in Concilio aderant, libenter cõsenserunt, nec tantùm viua voce à Martino pronuntiari, sed iterùm per Augustinum de Pisis fiscalem aduocatum publicari, nulla appellatione interposita, permiserunt. *Illud idem*, inquiunt Acta, *iteratò fecit dici per organum domini Augustini de Pisis fiscalis, & sacri Consistorij Aduocati prædicti, qui nomine Papæ à Protonotarijs, & Notarijs, ad scribendum acta Concilij ordinatis, & deputatis petijt instrumenta publica fieri.* Quòd si ex eo absoluta deprehẽdatur Monarchia, cùm nullus ex tot Patribus, qui Concilio aderant, Martino dixe- Concil. Cõstant. sess. 45. & vlt.

rit, Cur ita facis? Quis deinceps illud denegare, vel in dubium reuocare audebit?

OBIECTIO.

pag. 170. *Papa decreta fidei condere non potest absque Synodo, aut Ecclesiæ consensu.*

RESPONSIO.

Ad quid ergo S. Hieronymus cum de tribus hypostasibus grauis quæstio agitaretur, non ad Synodum, sed ad Damasum prouocauit? *A pastore*, inquit, *præsidium ouis flagito, discerne si placet, non timebo tres hypostases dicere, si iubebis.* Ad quid Theodoretus cum Euthychetis vigeret hæresis, non Synodi, sed magni Leonis auxilium expetijt? *Si*, inquit, *Paulus præco veritatis, tuba sanctissimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt ijs qui Antiochiæ de institutis legalibus contendebant, ab ipso afferret solutionem, multò magis nos, qui abiecti sumus & pusilli, ad Apostolicam vestram sedem currimus, vt Ecclesiarum vlceribus medicinam à vobis accipiamus.* Ad quid S. Prosper hæresim Pelagianam, non nisi post Synodalium decretorum probationem à Zozimo factam, per totum mundum condemnatam, profitetur? *Concilio*, inquit, *apud Carthaginem habito ducentorum sexdecim Episcoporum, ad Pontificem Zozimum Synodalia decreta perlata, quibus probatis per totum mundum hæresis Pelagiana damnata est.* Ad quid S. Petrus Chrysologus obedientiam Romano Pontifici præstandam commendat. *Quia*, inquit, *beatus Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Ad quid denique S. Gregorius nihil alioqui, omnium iudicio, præter æquum sibi arrogans cùm

S. Hieron. in epistol. 1. ad Damasum de nomine hypostas.

Theodoret. in epist. ad S. Leonem.

S. Prosper in Chronic. anno 420.

S. Petr. Chrysol. in epist. ad Euthychē.

de fide agitur, nō alterius, quàm sedis Apostolicæ iudicio terminari debere, fatetur? *Si quam*, inquit, *contentionem, quod longè faciat diuina potentiâ, de fidei causa euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostrā studeat perducere notitiam, quatenus à nobis valeat congrua* (nota) *sine dubio sententia terminari.* Ita S. Zepherinus de recipiendis lapsis decretum edidit. *Audio*, inquit Tertullianus, de eo agens, *etiam edictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit, ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* Ita S. Stephanus hæreticos non rebaptizandos definiuit, vt patet ex Epistola S. Cypriani ad Pompeium. Et sic de alijs.

S. Gregor. lib. 4. epist. 32. ad Episc. Galliæ.

Tertull. lib. de pudicitia. in princip.

S. Cypria. in epist. ad Pōpeium.

Obiectio.

Papa non potest definitiuè absque Synodo generali hæreses damnare. pag. 170.

Responsio.

An non plures in mundo hæreses, antequam generales cogerentur Synodi, extiterunt, quæ & sine Synodis generalibus à Romanis Pōtificibus damnatæ fuerunt? Quis quæso Simonem illum Magum, hæreticorum omnium principem, & magistrum ab ipso ortus sui principio condemnauit, nonne alter ille Simon super quem totius Ecclesiastici ædificij altitudo consurgebat? *Fugiebat quidem ille*, inquit Philastrius, *beatum Petrum Apostolum de Jerosolymitana ciuitate, Romámque veniebat, ibique pugnabat cum beato Apostolo apud Neronem Regem, &*

Baronius ad annum 68. numero 18.

deuictus vndique oratione beati Petri, atque percussus ab Angelo, sic meruit interire, vt eius magiæ euidens mendacium cunctis hominibus patefieret. Diuino sanè nutu, vt per hoc, Petri partes esse, insurgentes aduersus Catholicam fidem hæreticos, eorumque hæreses Apostolica auctoritate damnare, ostenderetur. Quis Cherintum post eumdē Simonem primum omnium hæresiarcham, an non idem Petrus? *Cherintum*, inquit S. Epiphanius, *vnus ex his fuit, qui restiterunt S. Petro, quando venit ad S. Cornelium.* Et infrà. *Nam cùm ipse circumcisus esset, aduersandi videlicet gratia contra fideles in præputio, per circumcisionem venabatur prætextum & occasionem. Cùm autem Dominus semper curam hominum habuerit, & claritatem veritatis in filijs veritatis muniuerit, & sancto Petro Apostolo dederit, vt & ipsum & socios eius redarguerit, manifesta facta est Cherinthi amentia.* Quis Ebionitas, an non Petri successor Clemens, scriptis ad hoc Encyclicis Epistolis? Hinc idem Epiphanius. *Clemēs*, inquit, *Ebionitas per omnia redarguit in Epistolis, quas scripsit, Encyclicis, quæ in sanctis Ecclesijs leguntur.* Quis Valentinū, Marcionemque hæresiarchas sæpius conuictos ex Ecclesia eiecit, nonne Eleutherius? *Vbi*, inquit Tertullianus, *tunc Marcion Ponticus Nauclerus, Staicæ studiosus? Vbi tunc Valentinus Platonicæ sectator? Nam constat illos, neque adeò olim fuisse Antonini fere principatu, & in Catholicam primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec sub Episcopatu Eleutherij benedicti, ob inquietam semper illorum curiositatem, qua fratres quoque vitiabant, semel & iterùm sunt eiecti.* Quis Theodotum Byzantium hæresiarcham excommunicauit, nonne Victor? *Theodotum*, inquit Theodo-

S. Epiph. lib. 1. hæres. 28.

S. Epiph. lib. 1. hæres. 30. circa mediū.

Tertull. lib. de præscript. aduers. hæret. c. 10. in fi.

Theodoretus, *Beatissimus Victor Romanorum Episcopus abdicauit, & excommunicauit, vt qui decreta Ecclesiæ conatus esset adulterare.* Euſebius quoque. *Explorate*, inquit, *cognitum habeant Victorem, Theodotum illum Coriarium, qui prior Christum Deum pernegauit, Christiana communione interdixisse.* Quis Proclum, Cataphrygaſque à Caio ſpectatiſſimæ vitæ, & eruditionis viro, ſatagente Zephyrino conuictos anathemate percuſſit, an non idem Zephyrinus? Hinc enim Tertulliani eorumdem fautoris querela. *Nouitatem*, inquit, *obiectant, de cuius illicito præscribant, aut hæresim iudicandam, ſi humana præſumptio eſt, aut pſeudoprophetiam pronuntiandam ſi ſpiritualis inductio eſt, dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter annuntiamus.* Quis Sabellianam hæreſim verbo, ſcriptiſque condemnauit, an non Dionyſius Romanus Epiſcopus? *En tibi rurſum*, inquit S. Athanaſius, *alterum Dionyſium Romanum Epiſcopum, ita in ſcriptis ſuis contra Sabellianos, eoſque qui talia dicunt, expoſtulantem.* Quis Appolinarem hæreſiarcham condemnauit, an non Damaſus? vt ex Theodoreto liquet. *Sed & laudatiſsimus Damaſus*, inquit, *poſtquam hanc ſectam exortam cognouit, non ſolum Appolinarem, ſed etiam Timotheum diſcipulum ipſius exauctoratos abdicauit.* Omitto denique Priſcillianiſtas, Iouinianos, Vigilantios, innumeroſque alios hæreticos, quos inſurgentes, Petri ſucceſſores condemnarũt.

Theodoret. hæret. fabul. lib. 2.

Euſeb. lib. 5. hiſt. cap. 28.

Tertull. de Ieiunio, cap. 1. in fi.

S. Athanaſ. contra hæreſ. Arian decret. & lib. de ſentent. Dionyſ. Alexand.

Theodoret. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 9.

OBIECTIO.

Totam hanc diſputationem de Canonibus concludam illuſtriſsima & valde notabili Nili Theſſalonicenſis Archiepiſcopi ſententia. Iam expe-

pag. 171.

ctoquid ad hæc respondeatur. Conuitia fortè. Puta Nilum hominẽ esse Græcum, ac schismaticum.

RESPONSIO.

Rectè iudicasti. Quid enim aliud de Græco homine schismati addicto dici posset? Quod ad responsionem autem spectat, quam te expectare asseris, numquid illustrissimi Cardinalis Bellarmini egregias Cõtrouersiarum lucubrationes, Nilo apprimè satisfacientes aliquando vidisti? Vnde ergo tanta tibi cognoscendæ veritatis sitis? Debueras certè vel hæc non ignorasse, vel contra eumdem Bellarminum peremptoria produxisse.

Bellarm. de Rom. Põtif. lib 2. cap. 18. & 27. & lib. 4 cap. 7. & alibi.

OBIECTIO.

pag. 176. *Iam mihi agendum restat de electionibus. Dixi electiones à populo & Clero fieri debere, & populum ius eligendi in Regem transtulisse in Concordatis inter Franciscum* 1. *& Leonem* 10.

RESPONSIO.

A populo, inquis, *& Clero*, primùm à populo, deinde à Clero, quin à solo populo, cùm solus populus ius eligendi in Regem transtulerit. Anne hoc Catholicum sonat? Quantò meliùs Rebuffus egregius sui temporis Iurisconsultus, in suis ad Concordata notationibus, sex tempora in electionibus considerãda asserit? *A principio*, inquit, *ius eligendi erat, prout est, apud Deum, qui suo filio domino nostro Iesu Christo facultatem eligendi in mundo dedit, quam exercuit, vt patet Luc. 6. vocauit Iesus discipulos suos & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Hanc demum potestatem Christus Papæ tanquam suo vicario concessit, quam ex humilitate Pe-*

Rebuffus in notat. ad Cõcordat. tit. de elect. derogat. super verb. Et cum ex electionibus. in principio.

trus collegio Apostolorum & seniorum exercere permisit Act. 6. & 15. Secundum tempus subsequens fuit, in quo gens efferata cepit excrescere, & Clericis nolle obedire & per consequens neminem velle recipere, nisi ab ipsis approbatus fuisset, quod longo tolerarunt tempore summi Pontifices, vt fides Christiana augeretur, & per populum tueretur. Ideo aliquoties per Clerum & populum electio celebrata extitit, saltem de consensu populi, electio à Clero fiebat, can. plebs & can. seq. 63. dist. vnde statuit Nicolaus Papa Episcopos non esse consecrandos nisi post electionem, vel consensum cleri, & populi, can. Episcopos 63 dist. vbi cleri, plebisque consensus requiritur, ne plebs inuita Episcopum non optatum contemnat, aut odiat, can. final. ibidem can. In nomine 23. dist. Sed quia vulgus aliquando ad acclamationem ignaros, seu populares, nulla habita ratione probitatis, eligebat, ideo hac vsurpatione fuit priuata, & prohibita, ne deinceps electioni interesset, & sic. Tertium tempus successit, in quo Reges & Principes Ecclesiæ grati fuerunt, & erga illam bene meriti. Ideò Papa Carolo Regi Francorum & Imperatori facultatem eligendi summum Pontificem permisit, ac omnes Archiepiscopos, & Episcopos per suas prouincias ab eodem inuestituram accipere definiuit, can. Adrianus & seq. 63. dist. Et quia plurimas perturbationes in Ecclesia, imo ruinam sanctæ religionis oriri cognouit Gregorius: Ideo in Synodo generali hoc prohibitum extitit, in hæc verba. Decernimus vt nullus clericorum, inuestituras Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ de manu Imperatoris, vel Regis, vel alicuius laicæ personæ, viri, vel fœminæ suscipiat. Quòd si præsumpserit, recognoscat inuestituram illam Apostolica auctoritate irritam esse, & se vsque ad dignam satisfactionem excommunicationi subiacere, can. quoniam

inuestituras 16. *quæst.* 7. *Et sic. Quartum tempus aduenit, in quo electio omnino sæcularibus Principibus fuit prohibita, fuitque statutum, vt quicumque electionem Ecclesiastici ordinis tentauerit, Anathema sit, donec obediat, & consentiat, quidquid Ecclesia de electione proprij præsulis se velle monstrauerit, can.* 1. *& seq.* 63. *dist. Quintum tempus proximum fuit, in quo Canonicis & Religiosis simul concessæ sunt electiones Episcoporum, & Archiepiscoporum, can. sacrorum* 63. *dist. Quòd si exclusis Religiosis electio fieret, irrita haberetur, can. obeuntibus ibid. & Panormitan. in cap.* 1. *de electionib. Postea Concilium Basileense approbauit, vt vnaquæque Ecclesia, aut Collegium, seu Conuentus sibi Prælatum eligeret, vt in Pragmat. sanctione patet rubr. de electionib. Verùntamen quia Canonici & alij Electores abutebantur, & propter abusum perditur priuilegium, ideo electionibus fuerunt priuati. Sextum tempus est horum Concordatorum, in quo datur nominatio Regi Franciæ de Archiepiscopatibus, & Episcopatibus, Abbatijs & Prioratibus verè electiuis, & reditum est ad tertium tempus supra descriptum. Cauendum erit tamen ne per abusum. ω. aliquando reuolet ad α. can. ab exordio* 35. *dist.* Discat ergo Iurisconsultus à Iurisconsulto, quid de electionibus sit tenendum, & quis vetè & propriè ius istud in Regem transtulerit.

OBIECTIO.

pag. 179. *Populus non tanquam claues conferens, sed velut designans, cui ipsæ in ordinatione conferantur, potestati Ecclesiasticæ concurrit ad sacras electiones.*

RESPONSIO.

Imò nec tanquam claues conferens, nec tanquam designãs populus sacris electionibus quondam aderat, sed cùm primis illis surgentis adhuc Ecclesiæ temporibus maxima in electionibus faciendis adhiberi diligentia consueseret, vt non nisi præuia morum inquisitione ad regimen animarum, qui primi inter Christianos essent, adsciscerentur: Diacono etiam in Ecclesia tunc proclamante, omnibus patere aditum, si quod eligendus aliquando patrasse crimen, aperiendi & obijciendi: Optimum æquè visum est, populo electioni assistente, non tam eiusdem populi consensum in electione facienda exquirere, quàm, illius attestatione, eligendi mores cognoscere, quatenus per hoc eligentium Clericorum securitati, (dum non nisi bonis moribus, omnium iudicio, imbutus eligẽdus proponeretur) ac populi etiam totius saluti (cuius maximè interest, sub bono pastore vitam degere) consuleretur. Nec allegatus S. Cypriani textus his officit, quin potius eadem verissima esse non obscurè testatur, dum præsentiam plebis ad hoc tantùm necessariam astruit. *Vt Sacerdos*, inquit, *dignus, atque idoneus publico iudicio, ac testimonio comprobetur.* Et infra. *Coram omni Synagoga iubet Deus constitui sacerdotes, id est instruit, & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, vt plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.* Et paulò post, *Ad ordinationes ritè celebrandas ad eam plebem, cui*

S. Cyprian. lib. 1. epist. 4. circa princip.

præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem prouinciæ proximi quique conueniant, & Episcopus deligatur plebe præsente, quæ singulorum vitam plenissimè nouit & vniuscuiusque actum de eius conuersatione perspexit. Vbi notandum, plebe tantùm præsente, non autem suffragia ferente, vel designante, Episcopum ab eiusdem prouinciæ Episcopis deligi. Hinc grauis illa apud S. Athanasium Iulij summi Pontificis querela, de Georgij Ariani perperam facta in Episcopum Alexandrinum electione, dum ipsum neque plebi cognitum, ait, neque postulatum à Presbyteris, Antiochiæ creatum Episcopũ atque inde Alexandriam deductum, conqueritur: Vt inde colligas postulationem, seu designationem Episcopi Presbyteris tantùm, non autem plebi competere.

Apud S. Athanas. Apolog. 2.

Obiectio.

pag. 179. *Neque putandum est Canonem 4. Synodi Nicænæ huic ritui repugnare, sed tantùm eo loco de forma ordinationis agi.*

Responsio.

Quinimmo Nicænus ille Canon non de ordinandi Episcopi (quatenus ordinatio illa pro consecratione sumitur) sed de eiusdem constituendi, seu per electionem præficiendi forma proloquitur. Græcum enim verbum καθιστάζ in Canone positum constituere, seu præficere, non consecrare sonat. Hinc apud Mathæum ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω *supra multa te constituam*, & apud Lucam ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ *quem constituit dominus super familiam suam*: Et infra, ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν

Matth. 25. Luc. 12. Ibidem.

ὑπὲρ πάντα τὰ ἀγαθὰ αὐτοῦ, *super omnia bona sua constituet eum.* Quin & Demosthenes, ἐπειδὴ τυράννους ἐκεῖνος ἐν ταύταις ταῖς πόλεσι κατέστησε, *quandoquidem tyrannos ille in istis vrbibus constituit.* Adde quod & Episcopi in Synodo Constantinopolitana congregati in Epistola ad Damasum scripta apud Theodoretũ, eumdem Canonem recitantes de Episcopatuum collatione illum intelligunt. *De cura autem,* inquiunt, *administrationis singularum Ecclesiarum scitis veterem sanctionem & definitionem Nicænorum patrum semper voluisse, vt in vnaquaque prouincia, illius prouinciæ Antistites, assumptis etiam si videatur finitimis, conferant Ecclesiasticos honores ijs quos vtiliter gesturos esse confidũt.* Nec obstat nomen χειροτονία, ibidem vsurpatum; licet enim pro impositione manum quæ in consecratione fit, aliquando sumatur, in propria tamen significatione electionem, quæ per suffragia fit, nobis innuit, vnde & ibidem additum reperitur. *Ex cuius legis & decisionis præscripto scitote, tum alias quoque Ecclesias apud nos administratas esse, tum illustrissimarum Ecclesiarum sacerdotes delectos.* Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9. Idem ibid.

Obiectio.

Gelasius Can. Plebs Diotrensis 63. *dist.* Et ideo fratres charissimi diuersos ex omnibus sæpe dicti loci parochijs Presbyteros, Diaconos, & vniuersam turbã vos oportet sæpius conuocare. pag. 180.

Responsio.

Atqui non legisti glossam ibi positam super verbo *turbam? Hoc caput,* inquit, *& omnia quæ dicũt laicos vocari ad electionem, intelligit Hostiensis de Pa-* Gloss. in can. plebs Diotrẽsis. 63. dist. in verb. turbã.

ms. Indeque fit vt Canone, *Non est*, ead. distinct. ex Concilio Laodicensi desumpto sic sancitum reperiatur. *Non est*, inquit, *permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promouendi.*

can. Non est. 63. dist.

OBIECTIO.

pag. 180. *Et Can.* nosse, *ead. dist.* In hoc tuam plurimùm oportet adhibere sollicitudinem, vt conuocato Clero, & populo talis ibi eligatur per Dei misericordiam, cui sacri non obuient Canones.

RESPONSIO.

Vt quid reliqua, quæ ibi habentur, non protulisti? *Sacerdotum quippe est* (subdit immediatè Canon) *electio, & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus, non sequendus:* plebs ergo, etsi ad electionem vocata, debet tantùm electioni consentire, vt infert Ioannes de Fanno, non autem eligere. Hinc Can. *non licet*, ead. dist. *Non licet*, inquit, *populo electionem facere eorum, qui ad sacerdotium promouentur, sed in iudicio Episcoporum sit, vt ipsi eum probent, si in sermone & fide & spirituali vita edoctus sit.* Hinc & Gratianus ipse, *Quod populus*, inquit, *iubetur electioni interesse, non præcipitur aduocari ad electionem faciendam, sed ad consensum electioni adhibendum. Sacerdotum enim (vt in fine superioris Capituli Stephani Papæ legitur) est electio, & fidelis populi, est humiliter consentire: Desiderium ergo plebis requiritur vt clericorum electioni concordet. Tunc enim in Ecclesia Dei rectè præficietur Antistes, cùm populus pariter in eum acclamauerit, quem clerus cõmuni voto elegerit.* Et ideò Canon. *Vota.* hæc in Episcoporum electionibus

can. Nosse. 63. dist.

can. Non licet. ead. dist.

Gratian. post can. cum longe. ead. dist. §. electiones.

desiderari testatur. *Vota*, inquit, *ciuium*, (id est, ait glossa, *conniuentia & consensus*) *testimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus* (id est, ait glossa, *electionibus*) *expectantur*. can. Vota. 63. distinct. Gloss. ibid.

OBIECTIO.

Idē Can. Episcopos. *Can.* Metropolitano. *Can.* Si in plebibus. *Can.* Sacrorum. *ead. dist.* pag. 180.

RESPONSIO.

Vnicâ verò in eodem Can. *Sacrorum.* super hæc verba *per electionem*, positâ glossâ, quadripartitam illam Canonum vim in quibus de electione cleri & populi mentio habetur, propulsare facilè erit. *Hoc nomen electio*, inquit, *propriè & impropriè sumitur hîc, cum illis genitiuis cleri, & populi.* Quid est propriè & impropriè & cum genitiuis cleri, & populi? Propriè scilicet, cum genitiuo cleri, & impropriè cum genitiuo populi, adeò vt quàmuis in istis Canonibus cleri & populi electio dicatur, & ad clerum electio propriè pertineat, populo tamen impropriè etiam electio tribuitur, propter consensum, quem, vt paulò antè vidimus, in electionibus præstare tenebatur. Gloss. in can. Sacrosū. 63. dist. in verb. electionem.

OBIECTIO.

Aruernensis Synodus cap. 2. Episcopatum ergo desiderans electione clericorum, vel ciuium, cōsensu etiam Metropolitani eiusdem Prouinciæ Pontifex ordinetur. pag. 180.

RESPONSIO.

Summa Conciliorum cuius fidei te maximè inhærere iampridem demōstrasti, aliter nobis huius Canonis textum exhibet. *Placuit etiam*, inquit, *vt* Summa Cōcil. in Concil. Aruernēs. can. 2.

sacrum quis Pontificij honorem non votis quærat, sed meritis, nec diuinum videatur munus comparare rebus, sed moribus, atque eminentißimæ dignitatis apicem omnium conscendat electione, non paucorum fauore. Quid inde? Omnium, inquies fortè, electione conscēdi iubetur eminentissimæ dignitatis apex. Sit ita. At omnium, inquam, ad quos scilicet pertinet electio, non autem omnium omnino, ne cum hominibus & iumenta, ijsque non dissimiles asinos includere videaris: Vel certè omnium, quod à maiori parte totum denominetur, ad exclusionem quippe paucorum illorum, quorum fauore Ecclesiasticas obtineri dignitates nefas canon pronuntiat. Quòd si Canonis lectioni in obiectione positæ addictus permaneas, idem planè de electione clericorum, & ciuium, quod de cleri & populi, paulò antè docuimus, tenendum certòscias.

OBIECTIO.

pag. 80. *Synodus Parisiensis Can.* 8. Placuit vt iuxta antiquam consuetudinem Canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populi, & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate.

RESPONSIO.

Numquid & tibi placuit verba, sensumque Canonis istius ad libitum immutare, ipsumque etiam Canonem decurtare? Neque enim Canon duos genitiuos (*populi & clericorum*) habet, vt asseris, cum de electionibus agit, sed vnum tantùm, vt ad solos clericos, presente licèt & consentiente populo,

ipsas electiones pertinere, demonstret. *Nullus*, inquit germanus Canonis textus, *ciuibus inuitis ordinetur, nisi quem populus* (nota) *& clericorum electio plenissima quæsierit voluntate.* Deinde subiungit. *Non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum Prouincialium ingeratur.* Vt perspicuum fiat, etsi populi cõsensus, quodammodo requireretur, nihil tamen contra Metropolitani, vel Prouincialium Episcoporum volũtatem debere peragi. Addit præterea Simon Synodi Cabillonensis Can. 10. vbi à comprouincialibus, clero & ciuibus electio haberi præcipitur. Sed eadem iacula ijsdem planè clypeis retundi debent. Synod. Paris. can. 8.

Obiectio.

Leo Epist. 89. ad Episcopos per Viennensem prouinciam constitutos. pag. 181.

Responsio.

Rectè equidem, sed in caput tuum S. Leonis Epistolam non 89. sed 87. allegasti, quandoquidem solis Clericis electionem ipsam tribuit. *Expectarentur*, inquit, *vota ciuium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio* (nota) *clericorum, quæ in Sacerdotum solent ordinationibus, ab his qui norunt patrum regulas, custodiri.* Nec obstat quod de votis ciuium, testimonijs populorum, & honoratorum arbitrio textus habet; namque paulò pòst ad quid ista requirantur exponens. *Apostolicæ*, inquit, *auctoritatis norma præcipitur, vt Sacerdos Ecclesiæ præfuturus nõ solùm attestatione fidelium, sed etiam eorũ qui foris sunt, testimonio muniatur.* Ad hoc ergo dun- S. Leo epist. 87. Idem ibid.

taxat populus præsens aderat, seu vota, desideria quippe, aut testimonia populorum expectabantur, vt à clericis electus. *Dignus, atque idoneus*, inquit S. Cyprianus, *publico iudicio, ac testimonio comprobaretur.* Hinc enim, & ex eadem S. Leonis Epistola liquet, solos in electionibus subscribere solitos clericos, *Teneatur*, inquit, *subscriptio clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus, & plebis.*

S. Cyprian. lib. 1. epist. 4.

S. Leo epist. 87.

Obiectio.

pag. 181. *Nusquam probabunt vllam olim ordinationem factam absque conscientia & testimonio populi.*

Responsio.

Quin potiùs ex Leonis & Constantini Augustorum constitutione liquet solos clericos cum Primoribus ciuitatis Episcoporum electionibus interfuisse, καλῶμεν, inquiunt, εἰ μὲν ἐπίσκοπος χειροτονεῖσθαι σωκελητεύειν κληρικοὺς, καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, καὶ ἐπὶ ἴσοις προσώποις ψηφίσματα ποιεῖν καὶ ἕκαστον αὐτῶν χειροχαρῆν. *Iubemus vt si Episcopus ordinandus sit, conueniant clerici, & primi ciuitatis, vt super tribus personis decreta faciant, & vnusquisque manu sua subscribat.* Et paulò pòst. καὶ ἐν τῶν τριῶν προσώπων τῶν ψηφιζομένων ὁ βέλτιον χειροτονεῖσθω & *ex tribus personis, de quibus decretum factum est, optimus ordinetur.* Adde quod in Cõcilio Sardicensi, vt refertur cap. *Osius Episcopus* é. de electionib. cõdemnatum eum, qui electus à populo Episcopus fuerit, legimus.

Ius Graeco-Romanum in lib. Leonis, pag. 93.

Ibidem.

can. Osius é. de elect.

Obiectio.

pag. 181. *In huiusmodi electionibus consensus Regis, aut Magistratuum semper desideratus est.*

RESPONSIO.

Ad quid ergo in eodem Concilio Parisiensi à te paulò antè citato sanctum reperitur? *Si per ordinationem Regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus loci ipsius Episcopis recipi nullatenus mereatur, quem indebitè ordinatum cognoscunt. Si quis de comprouincialibus recipere eum contra interdicta præsumpserit, sit à fratribus omnibus segregatus, & ab ipsorum omnium charitate remotus.* Ad quid & in septima Synodo, quæ est Nicæna secunda. *Omnis electio Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, à Principibus facta irrita maneat, secundùm regulam, quæ dicit: Si quis Episcopus sæcularibus potestatibus vsus, Ecclesiam per ipsos obtinuerit, deponatur, & segregentur ab Ecclesia omnes, qui illi communicant.* Ad quid & in octaua Synodo Constantinopolitana. *Nullus Laïcorum principum vel potentum semet inferat electioni, aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio, præsertim cùm nullam in talibus potestatem quemquam potestatiuorum, vel cæterorum Laicorum habere conueniat.* Si in electionibus (vt ais) consensus regius, seu magistratuum semper desideratus est?

Concil. Parisiens. can. 8.

Concil. Nicæn. 2. can. 2.

Concil. Cõstant. 8. can. 29.

OBIECTIO.

Verba Can. 36. Apostolorum de iam ordinato, non de eligendo intelliguntur. Græcus textus χειροτονηθεὶς.

pag. 182.

RESPONSIO.

Quinimmò non tam de iam ordinato, seu cõsecreto, quàm de suffragijs iam electo, Græcus Apo-

stolorum Canon loquitur. χειροτονεῖν namque Græci verbi germana significatio (vt ex Aristophane, Demosthene, Herodiano, & alijs patet) nõ tam ad manuum impositionem, quæ in ipsa ordinatione, seu consecratione fieri consueuerat, quàm ad manuum protensionem, seu porrectionem, quæ in suffragijs ferendis, vt ex Cicerone liquet, obseruabatur, referri debet. Quidquid sit tamen, vnde tibi quęso futilis illa ratio, qua Canonis Apostolici, electum absque populi consensu Episcopum referentis, vim, auctoritatemque eludis? *De iam ordinato*, inquis, *non de eligendo Canon loquitur.* Sit ita. Quid inde? Ergo, concludis, ex Canone, Episcopũ absq; populo eligi posse; non elicitur. Vnde hoc? An tibi mirum, si cùm, super populo Episcopum sibi missum non recipiente, faciendum esset decretum, de iam electo potiùs, quàm de eligendo Canon loquitur? Quandoquidem non eligendũ, sed iam electum Episcopum tunc mitti par sit credere: Alioquin nec legitimam, imò nullam populus recusandi eum, qui nondum electus, sed eligendus duntaxat sibi proponebatur, causam habuisset, qui idcirco sibi missum repellere voluit, quia eo non consentiente, sed potiùs cõtradicente, electus offerebatur. Sed ipsa Canonis (qui apud Isidorum 35. apud Summã verò Conciliorum 37. reperitur) verba expendamus.

can. 36. Apostol. εἰ τις χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος ἀπελθὼν μὴ δεχθῇ ὑπ' αὐτῶν τοῦ ἑαυτῶ γάμου, ἀλλὰ διὰ τὸ λαῶ μοχθηρίαν, αὐτὸς μὲν ἔστω ἐπίσκοπος, ὁ δὲ κλῆρος τῆς πόλεως ἀφοριζέσθω. ὅτι πιστὸς λαὸς ἀνυποτάκτους παιδεύειν οὐκ ἐγένοντο. *Si quis*, inquit Isidorus Canonis interpres, *electus Episcopus perrexerit, nec*

Isidorus can. 35. Apostol.

receptus fuerit, non pro sua sententia, sed præ malitia populi, ipse quidem maneat Episcopus, clerici verò ciuitatis communione priuẽtur, quod eruditores inobedientis populi non fuerint. Quid ergo? Si electus, inquit, Episcopus, non ab alijs certè, quàm vel à comprouincialibus Episcopis, vel saltem à clericis, vt ex multis Canonibus iam citatis constat, perrexerit, ad eam quippe ciuitatem, ad quam electus est Episcopus, nec receptus fuerit, nõ ab alijs certè, quàm ab ipsis populis, præ malitia eiusdem electioni contradicentibus, ipse tamen, inquit Canon, maneat Episcopus, id est, licèt populus consensum electioni non præbeat, imò eidem contradicat, Episcopus tamen remanet. Clerus verò ciuitatis populum inobedientem non reprimens, excommunicationi subiacet. Quid clarius?

Obiectio.

Ad Canonem 18. *Antiochenæ Synodi, quem Valla ausu nefario vitiauit, eadem prorsus est responsio, atque ad præcedentem Canonem Apostolorum.* pag. 183.

Responsio.

Etsi doctissimus Valla eumdem Canonem ijsdem planè verbis, quibus conceptus est, non reddiderit, ipsius tamen sensum compendiò, verè, fideliterque retulit. Quid enim est dicere, εἰ τις ἐπίσκοπος χειροτονηθεὶς εἰς παροικίαν μὴ ἀπέλθῃ εἰς ἣν χειροτονήθη, καὶ ἐκβιάζηται αὐτὸν μένειν, ἀλλ' ἢ τοι διὰ τὴν τοῦ λαοῦ παραίτησιν ἢ διὰ ἑτέραν αἰτίαν μὴ ἐξ αὐτοῦ γενομένην, τὸν μετέχειν τῆς τιμῆς τῆς λειτουργίας, id est vt interpretatur Isidorus. *Si quis Episcopus ordinatus, seu electus* Concil. Antioch. can. 18. Isidor. ibid.

non abierit in parochiam, cui ordinatus est, si non suo vitio sed plebis forsitan contradictione, hic honorem susceptum retinere debebit, & sacerdotio fungi: Quid, inquam, est, nisi Episcopum etiam contradicente plebe ordinatum, honorem nihilominus Episcopalem retinere? Vnde enim eiusdem receptioni contradiceret populus, si ab ipso electus aliquando fuisset?

OBIECTIO.

pag. 182. *Hunc Apostolorum Canonem 36. explicat Balsamon de Episcopis, qui ab Apostolis mittebantur in regiones longinquas post manuum impositionẽ.*

RESPONSIO.

Imò nullum Balsamonis in hunc Çanonem extat Scholium, sed Photius ipse Nomocanonis author hæc duntaxat habet tit. 2. cap. 17. περὶ ἐπισκόπου ἢ χληρικῶ χειροτονηθέντος, ἢ μὴ δεχθέντος ὑπὸ τῆς παροικίας, ἢ μὴ καταδεξαμένου, ἢ μὴ δυναμένου ἀπελθεῖν. Ἀποστόλων κανὼν λς. id est vt interpretatur Iustellus *De Episcopo, aut Clerico ordinato, qui ab incolis (seu à Parœcia) non suscipitur, aut non suscipit, aut abire non potest. Apostolorum Canon 36. &c.*

Phot. in Nomocan. tit. 2. cap. 17.

OBIECTIO.

pag. 183. *Apostoli mittebant idoneos χειροτονήσαντες, id est suffragijs constituentes, quique non à seipsis solis, sed consensu plurimorum eligerentur Act. 14.*

RESPONSIO.

Licet verbum χειροτονεῖν aliquando significet (vt paulò antè diximus) suffragijs eligere, vt plurimùm tamen, vt ex Aristophane & Budæo notat doctissimus Henricus Stephanus, signat & scisCere, decernere & creare, vel scito suo probare: ac proinde

Henricus Stephan. in thes. linguæ Græcæ verb. χειροτονέω.

proinde quod in citato Actorũ loco de SS. Apostolis Paulo & Barnaba habetur, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, vulgata editio rectissimè interpretatur, *& cùm constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros*, eos nempe denotans, non expectatis suffragijs, sed propria auctoritate, Presbyteros per Ecclesias creasse, seu constituisse.

OBIECTIO.

Et 1. *ad Timotheum cap.* 4. pag. 183.

RESPONSIO.

Cùm de ipsa Timothei ad Episcopatum ordinatione locuturus esset Paulus, iam non verbo χειροτονεῖν, seu ab ipso deriuato nomine, χειροτονία vsus est, sed ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν, *impositione* scilicet *manuum*, quæ in ipsa ordinatione sine dubio peragitur, μὴ ἀμέλει τοῦ ἐν σοὶ χαρίσματος, ὃ ἐδόθη σοὶ διὰ προφητείας μετ' ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου. id est, *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Hinc enim S. Hieronymus *Prophetiæ*, inquit, *gratiam habebat, cum ordinatione Episcopatus*: Et Theophylactus, *Cum impositione manuum Presbyterij, hoc est*, inquit, *Episcoporum*, vel vt Lyranus, *Manuum*, inquit, *in plurali, quia in consecratione Episcopi, plures requiruntur alij Episcopi.* Ad quid ergo Pauli textus, cùm non de Episcopi consecratione, sed electione, nec de Episcoporum, sed de populi præsentia, & consensu sermo sit?

1. Timoth. 4.

S. Hieron. in 1. ad Timoth. cap. 4.

Theophyl. ibidem.

Lyran. ibid.

OBIECTIO.

Hocque modo Titum à Paulo consensu & testimonio Presbyterij missum conuincebam. pag. 183.

RESPONSIO.

Egregiam certè laudem, & spolia ampla retulisti, quando alios conuincere volens Titum pro Timotheo suppositisti: nusquam enim de Tito assertum reperies, quod de Timotheo dictũ mox demonstraui. Transeat interim, dum ex ipsa ad eumdem Titum scripta Epistola contrarium innotescit, Paulo scilicet eidem Tito præcipiente,

Tit. cap. 1. vt per ciuitates Presbyteros constituat, *κατασήσης κατὰ πόλιν πρεσβυτέρους, ὡς ἐγώ σοι διεταξάμην, constituas per ciuitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi. Presbyteros verò*, inquit, post S. Chrysostomum, Theophylactus, *hoc loco Episcopos dicit, sicut & in Epistola ad Timotheum prædixerat. Instituit autem, vt ciuitatibus singulis, singuli præsiterentur Episcopi.* Absolutè certè Paulus loquitur, nec plurimorum consensum in ipsa Episcopi ordinatione, seu institutione requiri testatur.

S Chrysost. & Theophylact. in epist. ad Tit. cap. 1.

OBIECTIO.

pag. 184. *Scio alicubi Magistrum obtendere Hadrianum 3. constitutionem edidisse, qua legitimè & secundùm antiquorum Canonum præscripta statuit, ne in creando Pontifice Imperatoris voluntas expectaretur. Sed vellem illos nobis Canones antiquos, si quos habet, exhibuisset.*

RESPONSIÔ.

Caligabant fortè, cum mente, oculi, quando Hadrianum 3. pro 2. perlegens, Canones etiam antiquos, de non expectanda, in Pontificum electionibus, Imperatoris voluntate, palàm & coram omnibus te prorsus ignorare ingenuè professus

fuisti. Nunquid ergo Iurisconsultus habendus, qui, quod Can *Nullus*. Can. *Hadrianus Papa*. Can. *Valentinianus*. Can. *Porrò*. Can. *Si per ordinationem regiam*. Can. *Omnis electio*, decretũ repetitur, ignorat? Quia verò in Hadriani mentionem incidimus, audi quid de antiquis istis canonibus, quos te ignorare libenter asseris, Concilium 8. generale Constantinopoli, eiusdem Hadriani iussu celebratum, anno Domini 869. testetur. *Apostolicis*, inquit Canon 12. *& Synodicis canonibus, promotiones, & consecrationes Episcoporum ex potentatu & præceptione Principum factas, penitus interdicentibus, concordantes definimus, & sententiam nos quoque proferimus, vt si quis Episcopus per versutiam, vel tyrannidem Principum huiusmodi dignitatis consecrationem susceperit, deponatur omnimodis, vtpote, qui non ex voluntate Dei, & ritu, ac decreto Ecclesiastico, sed ex voluntate carnalis sensus, & ex hominibus, & per homines Dei donum possidere voluit, vel consensit.* Can. vero 22. *Promotiones, & consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione, ac decreto Episcoporum collegij fieri, sancta hac Synodus vniuersalis definiuit, & statuit, atque iure promulgat neminem Laicorum principum, vel potentũ semet inserere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi.* Didicisti ergo tandem Apostolicis, Synodicisque Canonibus maximè cautum, ne in creando Pontifice Imperatoris voluntas expectaretur.

Dist. 63. can 1. 2. 3. 4. 5. 7

Concil. 8. generale can. 12. tempore Hadriani 2. Pontif.

Ibid. can. 22.

Obiectio.

Antiquissimus mos erat, ne Pontifex absque scientia, & iussione Imperatoris ordinaretur, pag. 184.

quod etiam fiebat certa pecuniæ summa Imperatori persoluta.

RESPONSIO.

Vt quid antiquissimum dicis, quod non nisi anno Christi 526. violenta Theodorici Italiæ Regis vsurpatione inchoatum reperitur? Quando videlicet, Ioanne summo Pontifice per martyrium sublato, Felicis successoris electionem impiè sibi arrogauit. Egregium certè facinus, quòd sæuus iste barbarus, dirus tyrannus, & impius Arianus, Ioannis sanctissimi Pontificis, ac clarissimorum virorum Boetij, ac Symmachi cruenta morte maculatus, auctor fuerit redigendi sub seruitute sanctam Romanam Ecclesiam, adeo vt electioni, vel nominationi Romani Pontificis se deinceps immiscerent Reges, ac Imperatores. Quod quàm nefandum fuerit, S. Gregorius plurimùm ingemiscendo, cùm de Simoniaca hæresi verba faceret, his verbis testatur. *Hæc est*, inquit, *hæresis, quæ prima nascentis Ecclesiæ rudimenta tentauit, & ante alias hæreses prima apparuit. Cuius erroris vesania licet extunc damnata fuerit, postea tamen in Ecclesia, germine pestifero, pullulauit: nostris verò maximè temporibus malitiæ suæ virus exercuit & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit. Concitauit enim aduersus Ecclesiam Dei, non solùm innumerabilem multitudinem, verum etiam regiam (si fas est dicere) potestatem. Nulla enim ratio sinit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius, quàm regat Imperium. Qui turpissimi lucri cupiditate allectus, sponsam Christi captiuam cupit abducere, & passionis dominicæ sacramentum, ausu temerario, con-*

Baronius ad annum 526. numero 22.

S. Gregor. in 5. Psal. Pœnitent. in illa verba. Et qui laudabāt me aduersum me iurabant.

tendit euacuare. Et post pauca. *In tãtum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum, Romanam Ecclesiam, sibi vendicet, & in domina gentium terrenæ ius potestatis vsurpet, quod omnino ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apostolo specialiter commisit, dicens, Tibi dabo Ecclesiam meam.* Tum demum in eos inuehens, qui tantam præsumerent laudare vsurpationem. *Obstruatur ergo,* inquit, *os loquentium iniqua, & omnis hæreticorum acies obmutescat, quia nullas vires habet mendacium, quod ipsius voce veritatis inuenitur destructum.* Vnde colligas, ius illud ab Imperatoribus vsurpatum, etsi aliquanto tempore in Ecclesia toleratum fuerit, non consentientibus tamen, sed reclamantibus potius sanctissimis Pontificibus viguisse, inter quos, qui sanctitate potiores, adepta occasione iugum istud excutere, Ecclesiamque in pristinam restituere libertatem summopere studuerunt. Ibidem in fi. expos. Verfic.

Obiectio.

Episcopos à principibus constitutos primis Ecclesiæ sæculis patet ex Can. Reatina *63. dist.* pag. 135.

Responsio.

Nunquid ea, primis Ecclesiæ sæculis, tibi facta videntur, quæ tempore Leonis 4. circa Colonum, seu Colonem Reatinæ Episcopum (quem Concilio generali sub eodem Leone Romæ habito anno Christi 853. subscripsisse legimus) peracta fuêre? Miror interim te Canonis *Reatina*, memorem, præcedentis Can. *Principalis*, necnon & subsequentium Can. *nobis*. Et Can. *lectis*, immemorem prorsus extitisse. Ideo fortassis ne cũ glossa ex Ho- Baronius ad annum 853. numero 42. Hostiens. in casu, Can. Principalis. circa medium

stienſi deprompta reſponderem, quòd *Iſta quatuor Capitula intelliguntur de Eccleſijs, in quibus Imperator habebat ius Patronatus.* Alioquin ex Can. *Inter nos* ead. diſt. liquet, ius illud ab Imperatoribus vſurpatum, eodem apud Lotharium & Ludouicum Auguſtos ſatagente Leone, irritatum prorſus, ac ſublatum fuiſſe. *Inter nos, & vos*, inquit Leo, *pacti ſerie ſtatutum eſt, & confirmatum, quòd electio & conſecratio futuri Romani Pōtificis non niſi iuſtè & Canonicè fieri debeat.*

can. Inter nos. 63. dist.

OBIECTIO.

pag. 185. *Can.* Salonitanæ *63. diſtinct.*

RESPONSIO.

Numquid verò & Maximum ſimoniacum in Eccleſiam Salonitanam, (cùm priùs ab eiuſdem Eccleſiæ clero Honoratus Diaconus electus eſſet) intruſum, & à S. Gregorio cenſuris eiectum, Miſſarumq; celebratione priuatum (quem tamen Mauritius Imperator, per ſuos miniſtros ſumma violentia in eadem Eccleſia retinuit) legitimum fuiſſe Epiſcopum audebis aſſerere? Scio equidem ſanctiſſimo Pontifici reſtitiſſe quoſdam Dalmatiæ Epiſcopos, atque Imperatoris prætenſa iuſſione, eumdem Maximum obſtinato animo conſecraſſe. Quantus tamen eſſet Apoſtolicæ ſedis vigor, idem ſanctiſſimus Pontifex Gregorius exhibuit, dum primùm minis contra illos agens. *Ex beati Petri*, inquit, *Principis Apoſtolorum auctoritate præcipimus, vt nulli penitus extra conſenſum, permiſſionemque noſtram, quantum ad Epiſcopatus ordinationem pertinet, in Saloniana ciuitate manus præſumatis imponere, nec quemquam*

S. Gregor. lib. 3. epiſt. 15. indict. 12.

in ciuitate ipsa aliter, quàm diximus ordinare. Quod si contra hæc quippiam, vel sponte vestra, vel à quolibet coacti, præsumpseritis, vel tentaueritis agere, decernimus vos à Dominici corporis & sanguinis participatione priuatos. Cùm tamen posteà cõtumaces eos expertus esset, omnes à communione suspendit: Nec Imperatoris iussio efficere potuit, vt nonnihil ipse de Ecclesiastico rigore remitteret, quin potiùs ad Sabinianum Apocrisarium Cõstantinopoli degentem rescribens, se pro Ecclesiæ libertate mori paratum non dubitanter asseruit. *Qualiter*, inquit, *ego patiar, scis, qui antè paratior sum mori, quàm beati Petri Apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes, quia diu porto, sed si semel deliberauero non portare, contra omnia pericula lætus vado.* Et alibi cum Augusta aduersus eũdem Maximum inuasorem (qui literis Imperatoris fretus eiusdem mandata contemnebat, Missasq; celebrare non desistebat) expostulans. *Si*, inquit, *Episcoporum causæ mihi cõmissorum apud pijssimos dominos aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad sæculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo: Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto, & si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo.*

Idem lib. 7. epist. 1. indict. 1.

Idem lib. 4. epist. 34. indict. 13.

OBIECTIO.

Can. Cùm longè. *ead. distinct.* pag. 185.

RESPONSIO.

Non in Italia tantùm Theodoricus Gothus, vt iam vidimus, sed & qui in Hispania principatum tenuêre Gothorum Reges, creandorum Episco-

porum nominationem sibi vsurparunt, cum ea tamen conditione, vt non nisi de consilio omnium Hispaniæ Episcoporum (vt notat glossa) electio fieret. Quia verò longa intercedente mora, quæ in consulendis omnibus Episcopis insumebatur. *Nascebatur Regiæ potestati* (vt habet Canon) *dum consultum nostrum pro subrogandis Pontificibus sustinet, iniuriosa necessitas.* Sæpeque contingebat, vacantes sedes diutius sine Episcopo permanere, cùm in Cõcilio Toletano duodecimo sancitum fuisset, vt *Toletanus Archiepiscopus*, inquit glossa, *potestatem haberet confirmandi & ordinandi, quos regalis potestas elegisset*, succedente tamen propter hoc inuidia, tumultuantibusque Episcopis, quòd decretum huiusmodi alijs Archiepiscopalibus sedibus præiudicare videretur, agente Vvamba Rege, postea *Idem Concilium Romani Pontificis assensu* (inquit Lucas Tudensis) *statuit, vt nullus Archiepiscopus Hispaniarum subderetur alicui Primati, nisi Romano.* Et ita quod Toletano Archiepiscopo indultum, super nominati Episcopi confirmatione, fuerat, iam ad summum Pontificem, omnium Episcoporum, ipsiusque Regis calculo, delatum fuit.

Gloss. super verb. priuilegio can. cum longè.

Gloss. in casu eiusdē Can.

Apud Baron. ad annū 681. numero 60.

OBIECTIO.

Nominatio non aliquo iure nouo, nec ex concessione Pontificum, sed tanquam lege naturali, & diuina debita Principi.

pag. 186.

RESPONSIO.

Quare ergo S. Ludouicus Francorum Rex, cùm ei Pastores instituendi (vt post Broimardum referunt Rebuffus & Genebrardus) à summo Pontifi-

ce potestas facta fuisset, ad idque diploma legatus eius Roma rediens, attulisset. *Quod mea*, inquit, *Romæ negotia strenuè obieris, laudo; quòd mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo, intelligo enim quanto cum periculo animæ meæ & regni, id susciperem, ac protinus diploma in ignem proiecit*: si naturali, diuinaque lege hoc ei debebatur? Numquam enim diuinæ, nec naturali legi refragare licitum est. Ideoque constitutione anno 1268. edita sanciuit. *Vt Ecclesiæ Cathedrales liberas electiones, & earum effectum effectualiter haberent.* Quare Franciscus 1. Leonem 10. in Concordatorum Bulla profiteri passus est, se de potestatis plenitudine ei nominationes ad Prælaturas concedere, si non ex concessione Pontificum, sed lege naturali, & diuina eadem nominatio ei competebat? *Ex nostra*, inquit Leo, *certa scientia & potestatis plenitudine statuimus, & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus Cathedralibus, & Metropolitanis Ecclesijs in regno Francorum, &c. vacantibus, illarum Capitula & Canonici ad electionem, seu postulationē inibi futuri Prælati procedere non possint, sed illarum occurrente huiusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, vnum, &c nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu sedi prædictæ nominare possit.* Quare & Rebuffus doctissimus vtique sui tēporis Iurisconsultus, cùm electionū potestatem à Christo Papæ tanquam suo vicario concessam, dixisset, de sexto tempore in electionibus considerando, agens. *Sextum tempus*, inquit, *est horum Concordatorum, in quo datur nominatio Regi Franciæ de Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Abbatijs, Prioratibus verè electis*, si non nouo iure, sed lege naturali, & diui-

Rebuffus in notat. Concordat. Genebrard. Chronolog. lib. 4. in Alexand. 4.

Citatur à Rebuff. in Notat. ad Concord. rubr de elect. derogat.

Leo 10. in Bulla Concord. rubr. de Reg. ad Prælat. nominat.

Rebuff. super Concord. rubr. de elect. derogat. ℣ b. & cum in electionibus.

na Regi debetur nominatio?

OBIECTIO.

pag. 186. *Apud Gallos consensus, & auctoritas Regis ad Episcopi electionem & ordinationem necessaria fuit, ab eo tempore, quo Reges nostri Christi religionem amplexi sunt.*

RESPONSIO.

Ad quid igitur Cosmas Guymier Parisiensis Consiliarius in suis ad Pragmaticam sanctionem notationibus. *Reges*, inquit, *Francorum semper pro electionibus insudauerunt, & vt refert Vincentius in speculo histor. lib. 22. cap. 23. de Clodoueo primo Frãciæ Rege Christiano, qui conuocatis Aurelianis sui regni Prælatis, inter quos erat S. Melonus, statuit electiones, & confirmationes fiendas esse secundum Canones antiquos. Similiter Rex Carolus Magnus statuit, can. Sacrorum. 63. dist. & Philippus Deodatus auus beati Ludouici.* Fuit equidem tempus, quo bello ciuili exorta licentia, illud effecerat, vt quorumdam ambitio, flexuoso gressu ad honores peruenire despiciens, breuiori via, sæculari iuncta potentiæ, ad primos Ecclesiarum honores aditum sibi patefaceret, cùm videlicet pro Episcopatibus adipiscendis ipsos Reges aditent, peterentque ab eis, quod per leges Ecclesiasticas obtinere non licebat. Sed sanctissimi Galliarum Episcopi, ipso præsertim satagente S. Germano Parisiensi Episcopo, aduersus hæc adeò temerè præsumpta, sacrilegè tentata, atque probrosè vsurpata obstiterunt, coactaque non in Galliæ angulo, sed in ipsâ regia ciuitate Synodo, anno Christi 559. hæc inter alia sanxerunt. *Quod in aliquibus rebus*, inquit

Cosmas Guymier in commentar. ad Pragmat. sanct. tit. de elect. & reseruat. verb. reseruationes.

Concil. Parisiens. 1. can. 6.

Synodus Parisiensis, *consuetudo prisca negligitur, ac decreta Canonum violantur, placuit vt iuxta antiquam consuetudinem Canonum decreta seruentur. Nullus ciuibus inuitis ordinetur Episcopus, nisi quem populus, & clericorum electio plenissima quæsierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem, contra Metropolis voluntatem, vel Episcoporum prouincialium ingeratur. Quòd si per ordinationem regiam honoris istius culmen peruadere aliquis nimia temeritate præsumpserit, à comprouincialibus loci ipsius Episcopis, recipi nullatenus mereatur.*

OBIECTIO.

Cùm Cato electus esset post obitum Galli in Episcopum Aruernorum, illum Episcopi comprouinciales absque iussu Regis, quod paruulus esset ordinare volebant, quibus Cato, Vos reuertimini, *inquit,* ad vestras ciuitates, nam ego canonicè hunc sumpturus sum honorem, *apud Gregor. Turones. lib. 4. cap. 6.* pag. 186.

RESPONSIO.

Cùm ex Agathia constet Theodebaldum Francorum Regem anno 555. ex hac vita migrasse, quomodo Galliarum Episcopi, post obitum Galli (quē post Gregorium Turonensem Baronius, alijque diem suum anno Christi 573. obijsse referunt) Catonem eligere cupientes, ipse Cato eiusdem Theodebaldi, qui iam decesserat, iussum prætendere potuit? Hunc nodum, obsecro, dissolue, & eris mihi magnus Apollo. Quòd verò ad Gregorij textum spectat, etsi Theodebaldi Regis, procerumque regni eius mentio habeatur, inde tamen

Agath. lib. 2. & Baron. ad annum 573. numero 26.

nulla ratione elici potest, quòd Regis consensus in electionibus esset necessarius. Quin ex allegato textu euidenter colligitur, Catonem existimasse, canonicam ad Episcopatum assumptionem eam esse, quæ ex sola electione, nulla Regij consensus habita ratione, prodiret. Cùm enim Episcopi eum eligentes, inferendam sibi à Rege iniuriam declarassent, ipse tamen (præsumptuosiùs licet, suis meritis totum ascribendo) electum se sentiens, *Vos reuertimini*, inquit, *ad vestras ciuitates, nam ego canonicè assumpturus sum hunc honorem*, quasi diceret: Sufficit mihi electio vestra, vtpote canonica, quod ad alia, mihi pro minimo est, vt regius consensus accedat. Adde quod ex eodē Gregorio constat, tam ipsum Catonem, quàm Cantinum Aruernensem Episcopatum ambientes, non expectata Regis voluntate, fuisse electos, ac de Catone quidem, *Episcopi*, inquit, *qui aduenerant ad sanctum Gallum sepelicdum, postquam eum sepelierunt, dixerunt Catoni Presbytero, videmus quia te elegit pars maxima populorum, vel consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatū.* Et post pauca. *Igitur cum consensu clericorum ad Episcopatum est electus.* De Cantino autem hæc habet. *Hic vero Cantinus*, inquit, *cùm se cerneret humiliari, atque calumniæ subijci, languore simulato, & per noctem ciuitatem egrediens, Theodoualdum Regem petijt, annuntians transitum S. Galli. Quod ille audiens, vel qui cum erant, conuocatis Sacerdotibus apud Metensem ciuitatem Cantinus Archidiaconus Episcopus ordinatur.* In quo nihil aliud Theodebaldus Rex in Cātini electione præstitisse videtur, quàm vt eius auctoritate, Sacerdotes ad peragendā electionē conuocarentur,

Gregor. Turonēs. lib. 4. histor. Franc. cap. 6.

Idem ibid.

Idem ibid. cap. 7.

OBIECTIO.

* *Quemadmodum autem Rex consensum præbebat, refert Gregor. Turonens. lib. 6. cap. 39. de electione D. Sulpitij Bituricensis Episcopi verba faciens.* Sulpitius, *inquit*, ad sacerdotium Gunthranno Rege fauente prælegitur. Nam cùm multi munera offerrent, Rex respondit, non est principatus nostri consuetudo sacerdotium vendere sub pretio. Sed nec vestrum est, illud pretijs comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini. Sed iuxta Dei præscientiam Sulpitius vobis erit Episcopus. pag. 186.

RESPONSIO.

An verò quia Gunthrannus Rex pijssimus, ac iustitiæ cultor tenacissimus (quique de Chilperici damnati sibi ostensa visione, vt auctor est idem Gregorius, multùm profecerat) cùm de eligendo, post Remigij mortem, Episcopo Bituricensi inter prouinciales Episcopos agitaretur, plurimùm laborauit, vt Sulpitius vir sanctissimus, pluribus exclusis, qui contra Canones eius fauorem, numerata etiam pecunia, expetebant, eligeretur, ideo auctoritatem eiusdem electioni, quasi sine ea nec valuisset electio, præstitisse dicendus erit? At, inquis, regius consensus per regia hæc verba, *Iuxta Dei præscientiam Sulpitius erit vobis Episcopus*, exprimitur. Itane? Equidem si ad Episcopos, vel Clericos, pro electione congrega- Gregor. Turonens. lib. 8. hist. Franc. cap. 5.

tos, regius sermo directus innotesceret, vtique manus darem: Cùm verò non nisi ad Simoniacos, eius fauorem pretio ambientes, dirigatur. *Non est enim*, inquit ille, *principatus nostri consuetudo sacerdotium vendere sub pretio sed nec vestrum illud pretijs comparare, ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini*, quis non videat, ideo tantum hoc à Rege dici, vt S. Sulpitij electionem tanquam Dei nutu factam, commendaret? Adde quod idem Gregorius de eadem electione agens illā, non auctoritate Gunthranni, sed Gunthranno tantùm fauente peractam, non dubitanter asserit. *Sulpitius*, inquit, *ad sacerdotium, Gunthranno Rege fauente, præelegitur*, vt electionem Sulpitij ab Episcopis plurimùm Gunthranni Regis commendationi deferentibus, factam demonstraret.

Idem Gregor. lib. 6. hist. cap. 39.

Idem ibid.

OBIECTIO.

pag. 187. *Alia forma Regij consensus notatur lib. 4. cap. 15. Cùm Euphronius Antistes Turonensis electus esset, Rex respondit*, Fiat voluntas Dei & S. Martini, electio compleatur, & data præceptione ordinatur Episcopus.

RESPONSIO.

Optimè equidem: Cùm Euphronius iam electus esset Episcopus, Clotarius Rex hoc audiens, & quod actum fuerat tanquam legitimè & secundùm Canones factum approbans. *Fiat*, inquit, *voluntas Dei & S. Martini.* Sed quia, eo licet electo, ordinatio tamen seu consecratio, quæ electionem complerer, adhuc desiderabatur, ideo hæc verba intulit, *Electio compleatur*, cunctaque ad tanti Anti-

Gregor. Turonēs. lib. 4. hist. cap. 15.

fitiis ordinationem, seu consecrationem necessaria, tunc parari iussit. Quid inde?

OBIECTIO.

Quam consuetudinem vetustissimam esse testatur Concilium Aurelianense 5. cap. 10. pag. 187.

RESPONSIO.

Nunquid antiquissimum dixeris, quod paucis ab hinc annis, vt iam diximus, vsurpatum, transacto demum seprennio in Concilio Parisiensi prohibitum fuit? Sed Canonis istius non quidem 10. sed 3. (si auctori Summæ Conciliorum credimus) verba expendamus. *Vt nullum Episcopatum*, inquit, *per præmia, aut comparatione liceat adipisci, sed voluntate Regis, iuxta electionem Cleri, ac plebis (sicut in antiquis Canonibus continetur scriptum) consensu Cleri, ac plebis, à Metropolitano, vel quem vice sua permiserit, cum comprouincialibus Pontifex consecretur.* Ergo voluntate quidem Regis, sed iuxta electionem imò & consensum Cleri, ac plebis, vt nempe ad electionem Cleri, & consensum plebis, Regis quoque voluntas accedat, non è contra: Cùm præsertim in sequēti Canone cautum reperiatur. *Iuxta quod*, inquit, *antiqui Canones decreuerunt, nullus inuitis detur Episcopus, sed nec per oppressionem potentium personarum, ad consensum faciendum ciues, aut Clerici, quod dici nefas est, inclinentur*, quod equidem fierer, si pro Regis voluntate cuncta peragerētur, nec liberum Clero esset eligere nisi quem Rex voluisset. Quod verò de antiquis Canonibus scriptum habes, non quidem ad Regiæ voluntatis accessionem est referendum, sed ad electionem Cleri, & consen-

Concil. Aurelianens 5. can. 1.

Ibid. can. 4.

sum populi, quam vetustissimam esse consuetudinem satis supra probauimus.

OBIECTIO.

pag. 387. *Si autem ordinatus esset aliquis inconsulto Rege, grauiter in Episcopos, qui ordinauerant, & ordinatum, Rex animaduertebat. Hoc patet ex eodem Gregorio lib. 4. cap. 26. de Heraclio, quem electo Emerio, Episcopi Prouinciæ Burdegalensis, inconsulto Hariberto Rege Clotarij filio ordinauerant in Episcopum Santonensem: Quare illum in exilium extrusit Haribertus.*

RESPONSIO.

Rem gestam accipe. Cùm in Concilio Parisiensi ante annos octo celebrato decretum fuisset neminem ad Episcopatum admittendum, quem Regis authoritas, absque Canonica electione, intruderet, sed tantùm, quem Clerus eligeret & Episcopi Prouinciales vnà cum Metropolitano probarent: Leontius Burdegalensis Episcopus, collecto Santonis collegarum Episcoporũ Concilio, inter alia decreta Emerium Santonensem Episcopum, à Clotario Rege contra huiusmodi Parisiense decretum, regia authoritate, in eum dẽ Episcopatum intrusum, sede priuauit. *Decretum enim*, inquit Gregorius Turonensis, *Regis Clotarij habuerat, vt absque Metropolitani consilio benediceretur.* Quo audito Charibertus Rex, & Emerium vi rursus intrusit, & Leontium exilio mulctauit. Neque vero hoc vnicum Chariberti tyrannidis monumentum extitit, quem ex eodẽ Gregorio exosis Clericis,

Gregor. Turonẽs. lib. 4. hist. Franc. cap. 26.

Clericis, Ecclesias Dei negligentem, imò & spoliantem, despectisque sacerdotibus apprimè ad luxuriam inclinatum discimus, adeò vt coniugis suæ sororem Marcouefam nomine, nefario prorsus coniugio sibi copularit? Qua de re cùm à S. Germano Patisiensi Episcopo interpellatus, non emendaretur, fuit ab eodem excommunicatione perculsus, ac paulò post misertimè interijt. *Post hæc*, inquit idem Gregorius, *Marcouefam Merouiendis scilicet sororem coniugio copulauit, pro qua re à S. Germano Episcopo excommunicatus vterque est, sed cùm eam Rex relinquere nollet, primùm illa percussa iudicio Dei obiit, nec multò post & ipse Rex post eam decessit Charibertus.* Idē lib. 1. de Miracul. S. Matt. cap. 29. Idem lib. 4. hist. Franc. cap. 26.

Obiectio.

Aliquando aliter factitatum legimus, Regis consensum scilicet, electionem præcessisse, vt Rex diplomate Clero, & populo liberam in eligendo potestatem relinqueret: ita tamen vt ad hanc electionem auctoritas Regis necessariò interueniret. Hincmarus ad Carolū Caluum, Dignetur mihi dominatio vestra literis suis significare, quem vultis de Coepiscopis nostris, vt ei ex more literas Canonicas dirigam, & Visitatoris officio fungens in eadem Ecclesia electionem Canonicam faciat, & aut per se, aut per literas suas, vicario suo deferente, eamdem electionem cum decreto Canonico singulorum manibus ro- p. 187. & 188.

borato, ad me referat, vel per me ipsa electio ad dominationis vestræ discretionem perueniat.

RESPONSIO.

Etsi Carolus magnus Episcoporum electionem à prædecessoribus vsurpatam in pristinam restituerit libertatem vt ex Can. *Sacrorum*, dist. 63. ex eiusdem Capitularibus excerpto, antea vidimus, quia tamen maximæ solerent in huiusmodi electionibus, ob diuersa diuersorum studia, accidere rixæ & contentiones, optimum visum est vt Visitator Episcopus à Rege designatus mitteretur, qui electioni interesset, & dissidia cõpesceret. Quod tamen electionum libertati nullum afferebat præiudicium, integro semper manente Clero, populoque eligendi iure, quin potius regia auctoritate corroborata electio, longè fortiori præsidio munita videbatur. Hinc ipse Hincmarus cùm in eadem Epistola de Legatis ad se tanquam Metropolitanum missis ab Ecclesia Siluanectensi pastore viduata, verba fecisset. *Responderunt*, inquit, *se non aliam petitionem ex parte sociorum afferre, nisi vt apud solitam misericordiam vestram, illi liberam, ac regularem electionem obtinere satagerent, quatenus secundum sacras regulas, illuc Canonico visitatore directo, ab omnibus Ecclesiæ ipsius alumnis valeat eligi, cui debet ab omnibus obediri.* Et ita licet Visitator regius adesset, ex præscripto tamen Canonũ electiones liberè peragebantur, adeo vt nec in decretis, quæ tunc fiebant, etsi de Regis præmonitione super electione tunc facienda, mentio quædam esset, nihil tamen

Capitul. lib. 1. cap. 94.

Baronius ad annum 613. numero 22.

de eiusdem consensu, vel auctoritate præstita pro electionis validitate, habebatur. Est apud Baronium videre egregium antiquitatis monumentū, quod ab eruditissimo Nicolao Fabro se accepisse profitetur, de electione Electranni Redonensis Episcopi eodem Caroli Calui tempore facta, de quo hæc pauca quæstioni propositæ satisfactura, excerpsimus. Ac in decreto quidem ordinationis, hæc habentur. *Anno Incarnationis Iesu Christi Domini nostri 866. Indictione 15. anno potentissimi Regis Caroli 27. 3. Calendas Octobris in parochia Turonensi ordinauimus, & ad Pontificalem sedem Redonensis Ecclesiæ consecrauimus Electrannum, electione, atque decreto Cleri & plebis eiusdem Ecclesiæ. Nos Dei nomine Antistites Herardus Turonicæ Metropolis, Actardus Nannetensis atque Robertus Cenomanensis cum consensu & literis cæterorum diœcesanorum habito, apicibus præmoniti iam dicti gloriosi Regis Caroli, huiusmodi statuto & paternæ commonitionis decreto ipsi viro allato, vt Canonicis sanctionibus quantum diuina suffragauerit pietas libenter obtemperet*, &c. In decreto verò electionis hæc reperiuntur. *Decretum Cleri & plebis. Vniuersalis Ecclesiæ sacrosanctis patribus, præcipuéque illius diœcesis præsulibus, Ecclesia illa, vnanimitas scilicet totius Cleri & plebis submissæ deuotionis obsequium in Domino. Ad aures vestræ beatitudinis peruenisse iam nouimus, excessum primi patris, & pastoris nostri & qualiter Ecclesia sibi credita præstantissimo pastore sic viduata, plurimis terrarum finibus manifestum esse comperimus. Et ideo lachrymabiliter preces vnanimis supplicationis paternitati vestræ mittimus, vt nobis in substituendo pastore morem patrum & pastorum beatorum Pontificum imitantes*

Idem Baron. ad annū 866. numero 91.

Idem ibid. numero 92. & 93.

paternũ nobis ferre auxilium, &c. Et post pauca nonnihil propter vetustatem corrosa. *Et cum diuina miserante clementia in eiusdem postulationis deuotione benevolum, atque cõcordem prænominatum nostræ humanitati effecit Regem, iuxta hoc quod Scriptura testatur, dicendo. Cor Regis in manu Domini est, quocumque voluerit vertet illud, totius Ecclesiæ Cleri, scilicet, plebisque in eiusdem præclarissimi viri electione····· est deuotio, vnus idemque assensus, in nullo dissimilis acclamatio.* Et infra. *Eumque idoneum quantum nostræ fragilitati nosse conceditur tanto Pontificio esse, sicut voce fatemur, ita omnium nostrorũ subscriptionibus deuotissimè roboramus, & communi annotationis decreto, Domini misericordia præduce diuturnitate temporum nobis pastorem habendum eligimus, & optamus, more quoque Canonico sub gestorum serie confirmamus.* Vbi vides quàm pauca de Regio consensu habeantur. Vnde colligere sit, non ita necessarium tunc pro electionis validitate fuisse.

OBIECTIO.

pag. 188. *Et Flodoardus historiæ Ecclesiæ Rhemensis lib. 4. cap. 3.* Idem scripsit *(Fulco Archiepiscopus Rhemensis)* eidem Archiepiscopo *(Vualtero Senonensi)* pro Bertario quodam Presbytero, quem Clerus & plebs Ecclesiæ Catalaunensis, consensu Regis Odonis, ad Episcopatum dicebatur elegisse.

RESPONSIO.

Quis verò crederet tam multipliciter hallucinatum Simonem, vt pro Formoso Pontifice maximo, Fulconem Archiepiscopum Rhemensem, & pro eodem Fulcone, Vualterum Senonẽsem sup-

poneret? Accipe igitur qualiter legendus ac intelligendus sit ipse Flodoardus. *Item* (non idem) *scripsit* (Formosus Papa) *eidem Archiepiscopo* (Fulconi Rhemensi) *pro Bertario*, &c. Quæ enim præcedunt verba (*Idem vero Papa rescribens ei*) & quæ sequuntur (*Cumque prænominatus Bertarius Apostolicam præsentiam adire vellet, comprehensus fuit à quodam Conrado huius domini Fulconis vassallo*) perspicuè assertionem meam verissimam esse demonstrant. Quòd ad consensum autem ab Odone præstitum spectat, quis legitimum eum dixerit, cùm nec ipse Odo legitimus Rex esset, sed inuasor regni ad Carolum Simplicem hæreditario iure pertinentis. Hinc enim apud eumdem Flodoardum legimus, quòd Formosus Papa, *Ad eumdem Regem Odonem, qui regnum occupauerat, literas suas delegauit, vt ab illicitis eum reuocaret, nec eumdem Regem Carolum, vel quæque ipsius essent, infestaret.* Flodoard. hist. rhemēs. lib. 4. cap. 2. Idem ibid.

OBIECTIO.

Fulbertus Episcopus Carnotensis sub Roberto Rege Epist. 8. Quod si ita est, *inquit*, & sic tibi consequēter substitutus est Frāco, eligente Clero, suffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonensis, fulcitur vtique substitutio & consecratio eius. pag. 188.

RESPONSIO.

Vt quid & sanctissimum Regem, quasi electionibus te immiscentem, inducis? *Cuius*, inquit Glaber, *cura erat maxima, si qua Pontificalis sedes in suo regno proprio viduaretur præsule, vt vtilis pastor, licet* Glaber lib. 5. cap. 2.

genere infimus, restitueretur Ecclesiæ potiùs quàm nobilitatis eligeretur persona sæcularis pompæ. Qua de causa etiam primates regni sensit plurimum contumaces, qui despectis humilibus, sui similes eligebant superbos. Dic quæso si penes eum fuisset electio, vel saltem electi assumptio, an non sui similes, humiles nempe, semper elegisset Episcopos? Cùm ergo superborum etiam electionem toleraſſe eum audis, nihil vltra curam, sollicitudinemque pro peragenda electione ipsum sibi vsurpasse credas. Atque equidem si ex eodem Fulberto, ea omnia, quæ suo tempore in Episcoporum electione exigebantur, inuestigare licet, accipe quæ de Ebalo Rhemensi Antistite ipse testatur. *Ab ordinatione,* inquit, *Ebali Rhemensis Archiepiscopi, non valde tibi metuendum puto esse, si est vt dicitur à Christianis ab infantia Christianus, sano sensu, sacris literis eruditus, sobrius, castus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nulla infamiæ nota turbatus, tandemque à Clero & populo suæ ciuitatis electus.* Et alibi cum de ordinatione Odolrici Aurelianensis Episcopi à seipso facta, agit. *Aurelianensem,* inquit, *Odolricum ego quidem ad Episcopatum non elegi, sicut vobis dictum est, sed à Clero, & populo suæ ciuitatis electum, sacraui Presbyterum.* Quin & Epist. 61. in eos qui à Principe, ablata clero, & populo eligendi libertate, obtruderentur inuehens. *Quomodo,* inquit, *electio rectè dici possit, vbi sic à Principe vnus obtruditur, vt nec Clero, nec populo, nec ipsis summis sacerdotibus ad alium deflectere concedatur. De violentia huiusmodi Constantinus Augustus talem contra se, & contra alios principes sententiam dedit. Quæcumque, inquit, contra leges fuerint à Principibus obtenta, non va-*

Fulbert. Carnot. epist. 32.

Idē epist. 30. in princip.

Idē epist. 61.

leant, & Rhegiense Concilium, sed nec ille, inquit, deinceps Episcopus erit, quem nec Clerus, nec populus propriæ ciuitatis elegerit. Vbi equidem de electione Cleri, & populi mentio fit, de regio autem consensu nullum verbum. Ad quid verò, inquies fortè, Fráco dono Regis factus ab eodem Fulberto perhibetur Episcopus? Rem gestam accipe. Auisgaudus Parisiensis Episcopus, Episcopatui causâ ægritudinis renuncians, Roberti Francorum Regis (quem sanctissimum virum nouerat) arbitrio reliquerat, vt quem ipse vellet, sibi subrogari per electionem procuraret, *Siue Franconem*, (inquit idem Fulbertus eumdem alloquens Auisgaudum) *tunc Decanum Parisiensis Ecclesiæ, siue quemlibet alium subrogari tibi verbis, & scriptis à Rege petisti.* Cùm ergo satagente ipso Rege, idem Franco à Clero, & populo electus fuerit Episcopus, quid mirum si Regis donum Fulbertus appellat, quod eiusdem Regis cura, & fauore Franconi obuenerat? Idē epist. 8.

Obiectio.

Iuo Carnotensis Epist. 60. Legimus enim sanctæ recordationis summos Pontifices aliquādo apud Reges pro electis Ecclesiarum, vt eis ab ipsis regibus concederentur Episcopatus, ad quos electi erāt, intercessisse: aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse. Quorum exempla proposuissemus, nisi prolixitatem Epistolæ vitauissemus. pag. 188.

RESPONSIO.

Rectè equidem, si modò ea, & quæ præcedunt, & quæ subsequuntur allegatam Iuonis sententiam, in Epistola non 60. sed 65. proferantur, vt clariùs cunctis eiusdem Iuonis intentio innotescat. Hæc sunt ergo quæ præcedunt. *Quod autem*, inquit, *scripsisti prædictum electum inuestituram Episcopatus de manu Regis accepisse, nec relatum nobis ab aliquo, qui vidit, nec cognitum. Quod tamen si factum esset, cum hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo Episcopo, vel admissum, vel omissum, quid fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus. Cùm post canonicam electionem, Reges ipsos Apostolica auctoritate* (nota) *à concessione Episcopatuũ prohibitos minimè videamus. Legimus enim sanctæ recordationis summos Põtifices*, &c. vt superius in obiectione notata sunt. Deinde prosequitur Iuo. *Dominus quoque Papa Vrbanus Reges tantùm à corporali inuestitura excludit, quantùm intelleximus, non ab electione, inquantum sunt caput populi, vel concessione, quàmuis octaua Synodus solùm prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio siue fiat manu, siue nutu, siue lingua, siue virga quid refert? Cùm Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tãtùm aut votis petentium annuere, aut villas Ecclesiasticas, & alia bona exteriora, quæ de munificentia Regũ obtinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere.* Hinc ergo scias quousque consensus tunc à Rege præstandus, post canonicam electionem se extenderet. Alioquin alibi summè inuehitur ipse Iuo in Reges aliud sibi quidpiam in electionibus vendicantes. *Quia*, inquit, *integritatem personæ electi per vos bene nostis, & voluntatem summi Pontificis, & consilium super hoc audistis, sanum consilium mihi videtur, vt com-*

Iuo Carnot. epist. 65.

Idem ibid.

Idē epist. 47.

municato & confirmato cum Episcopis consilio, consecrationem electi prædictæ Ecclesiæ acceleretis, ne differendo, vel non faciendo quod vestrum est, honorem vestrum alteri detis. Non enim licet Regibus, sicut sanxit octaua Synodus, quam Romana Ecclesia commendat, & veneratur, electionibus Episcoporum se immiscere, vel aliquas ea ratione impedire. Francorum etiam Reges Carolus & Ludouicus electiones Episcoporum Ecclesijs conceßerunt, quod & in suis Capitularibus scriptum reliquerunt, & in Concilijs Episcoporum prouincialibus sanciri permiserunt. Habeat ergo Deus in Ecclesia sua principaliter, quod suum est, habeat Rex posteriori ordine post Deum, quod sibi à Deo concessum est. Et alibi de electione Fulconis Decani Parisiensis in Episcopum Parisiensem interrogatus. *Electioni*, inquit, *domini Fulconis, vel alterius assensum non dabimus, nisi quem aut Cleri, plebisque consensus elegerit, aut Metropolitani iudicium cum conniuentia Suffraganeorum, habita legitima discussione, probauerit.*

OBIECTIO.

Et Epistola ad Paschalem 104. Rex itaque virulentis his verbis succensuit, & ab omni bona voluntate turbatus, non vult electioni assensum præbere, nec Electo bona Episcopalia dimittere. pag. 189.

RESPONSIO.

Sciendum porrò ex eodem Iuone in eadem Epistola, quæ est 49. quare Rex ipse succensuerit, & quod remedium, ipso Rege electioni Beluacēsis Episcopi assensum non præbente, ipse Iuo dederit. Ita ergo ad Paschalem summum vtique Pōtificem Iuo. *Beluacenses clerici*, inquit, *melioris famæ* Iuo Carnot. epist. 49.

& consilij sanioris præcedente consilio vestro, consilio optimatum diœcesis suæ, & laude populi, domnum Galonem, virum vita honestum, liberalibusque studijs & Ecclesiasticis disciplinis ornatum in Episcopatu sibi elegerũt. Pauci tamen ex clericis Stephani illius repudiati complices, quos sibi pelliculis peregrinorum murium, atque alijs huiusmodi vanitatum aucupijs inescauerat, huic electioni non assenserunt, nec tamen ei aliquid, quod sacris canonibus obuiet, obijcere potuerunt. Cùm verò rem per se impedire non valerent, Regem adierũt, quædam verba auribus eius instillauerunt, quæ facilè in cor eius eliquauerunt, videlicet quod prædictus electus discipulus meus fuerit, apud me nutritus, apud me eruditus, addentes quòd à sanctitate vestra fuerit electus, & quod magnus ei futurus esset aduersarius, si in regno eius aliquando fuerit Episcopus. Rex itaque virulentus his verbis succensuit, &c. quæ ideò dicta noscuntur, quod ipse Iuo, etsi per omnia tentatus, immobilis tamen pro iustitia, aduersus eumdem Regem adulterij, incestuúsque crimine pollutum, ideoque à summis Pontificibus Vrbano 2. in Concilio Claromontano, & Paschali 2. in Concilio Pictauiensi per legatos Ioannem & Benedictum excommunicatum, steterit, vnde & carcerem, bonorumque suorum iacturam pati coactus fuerit. Quod ad remedium autem spectat hęc

Idem ibid. addit Iuo. *Vnde electores eius ad paternitatem vestram iam confugissent, nisi quia Metropolitanus eorum eos detinet, condicto die inter contradictores & electores, sicut dicitur, pacem volens componere, vel forsitan propter voluntatem Regis rem callidè impedire. Superest ergo, dilectissime pater, vt pro potestate & auctoritate vestra, sicut cupistis Ecclesiæ, prout clerici rationabiliter postulauerint,*

succurratis, & consilium vestrum inconfusibile faciatis, ne insidiatores & detractores vestri, subsannando de vobis dicere incipiant, hic homo cepit ædificare, & non potuit consummare. Ita equidem, quòd ipse Paschalis Pontifex per legatos in Gallias missos eumdem Stephanum hominem scelestum, & ab Hugone Lugdunensi Antistite ob multa scelera iam ante damnatum, in Beluacensem Episcopum eligi prohibuisset. Quomodo verò idem Francorum Rex, quo de agitur, aliquid sibi in Episcoporum electionibus, hoc præsertim tempore, arrogasset, qui eiusdem Concilij Pictauiensis decretum ignorare non poterat, quo istud maximè cauebatur, ne de manu regis Episcopatus acciperetur? *Decreuit sancta Synodus*, inquit Canon primus, *vt nullus Episcopus, Abbas, Presbyter, vel quælibet persona de Clero, accipiat de manu Regis, vel Comitis, vel cuiuslibet laicæ personæ donum Episcopatus, vel Abbatiæ, vel Ecclesiæ, vel reliquarum rerum Ecclesiasticarum, sed Episcopi à suo Metropolitano, Abbates, Presbyteri, & cæteræ inferiores personæ, à proprio Episcopo. Si verò laici decretis canonicis resistentes Ecclesias violenter retinere præsumpserint, ipsi excommunicentur.*

Baronius ad annum 1101. numero 8.

Citatur à Baronio ad annum 1100. numero 22.

Obiectio.

Nicolaus Monachus in Vita S. Godefredi Episcopi Ambianensis lib. 1. cap. 29. Iussit igitur, (*Philippus Rex*) more regio eius promotionem accelerari. pag. 189.

Responsio.

Quid inde? Cùm enim de eius promotione, hoc est, post electionem ordinatione, seu conse-

cratione ibi agatur, quidni iussu Regis accelerari potuerit? Scio præterea Legatos ad Concilium Trecense ab Ambianensibus directos vnanimiter à Clero & populo electum asseruisse Godefridum, Rege quoque assentiente, vt author est idem Nicolaus. At quid de Regis assensu tenendum sit iam satis superque antea docuimus.

Baronius ad annum 1104. numero 7.

OBIECTIO.

pag. 189. *Apud Rigordum lib. 1. de gestis Philippi Augusti in eius testamento, cùm esset Ierosolymam profecturus.* Si fortè contigerit sedem Episcopalem, vel aliquam Abbatiam regalem vacare, volumus, vt Canonici Ecclesiæ, vel Monasterij vacantis monachi veniant ad Reginam, & Archiepiscopum, sicut ante nos venirent, & liberam electionem ab eis petant, & nos volumus quod sine contradictione eis concedant.

RESPONSIO.

Quidni? dummodo libera semper electio maneat. *Ex consuetudine namque,* inquit Rosella, *potest induci, vt mortuo prælato, capitulum non prius procedat ad electionem, quàm nuncietur principi mors prælati, & petatur ab eo potestas eligendi. Sed potuit hæc consuetudo induci, propter interesse Principis, vt proponat aliquem sibi fidelem. Nam Princeps posset opponere contra electum exceptiones alias legitimas, maximè si dubitat de proditione patriæ, vel reuelatione secretorum, vel consiliorum. Si tamen non vult consentire sine rationabili causa, non propter hoc cassabitur electio, & per hoc non valet consue-*

Rosell. verb. electio.

tudo, vt per hoc electio dependeat à voluntate principis, vel alterius, quia tolleret libertatem eligendi. Regius ergo ille assensus, etsi consuetudine introductus, & per Canones toleratus, de electionum tamen essentia non erat, cùm nec præstitus electionem minimè impediret. *Facta electione*, inquit Canon, *non prohibemus, quin Regis, seu Patriarchæ, qui pro tempore fuerit, requiratur assensus, sed propter hoc ipsam electionem nolumus impediri.* Hinc apud eumdem Rigordum assensum Regis assensui plebis legimus adæquatum. *Michael*, inquit, *Decanus Parisiensis electus est in Patriarchã Ierosolymitanum, sed domino aliter ordinante, reuolutis quindecim diebus iterum à Clero Senonensi electus est in Archiepiscopum, assensu Regis Philippi, & totius populi eiusdem ciuitatis.* Vel saltem astante Clero & populo à Rege præstitum. *Vnanimiter*, inquit idem Rigordus, *ab omnibus fratribus Hugo venerabilis Prior eiusdem Ecclesiæ, in Abbatem est electus, & statim à Christianissimo Rege, in ipso Capitulo astante Clero, & populo, electio illius est confirmata.* Adde quod in allegato Rigordi textu de beneficijs tantum Regalibus, hoc est quæ Regiæ fundationis erant, videtur agi.

can. Cum terra ē. de elect.

Rigord. de gest. Philipp. August. ad annum 1194.

Idem ibid. ad annum 1185.

DE CONCILIIS.

LIBER IIII.

ABsoluto de disciplina Ecclesiastica tractatu, quid est quòd Simon repetito lapsu iterum in lapidem illum, nobis quidem, Catholicisque omnibus *Probatum*, vt Isaias loquitur, *angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*, hæreticis verò ac nostri temporis Acephalis, *lapidem offensionis ac Petram scandali*, de Concilijs agẽs, impingit? Nec pretiosum illum arguens, vnde tamen consensio in doctrina, vinculum pacis, vnitas fidei, quæ est ipsa salus, & vita religionis, emanauit: Nec etiam in fundamento fundatum, tanquam secundarium, post primarium (quod Christus est) fundamentum: Dum aliud nititur in Concilijs non generalibus tantùm, sed & particularibus ipso nec conuocante, nec consentiente, celebratis, statuere: Cùm tamen S. Athanasius de eodem lapide dixerit. *Tu es Petrus, & super fundamentum tum Ecclesiæ columnæ, id est, Episcopi sunt confirmatæ*, & Leo magnus disertè asseruerit, *Exortem mysterij illum esse diuini, qui ausus fuerit à Petri soliditate recedere.* Non attendens interim dictum à Domino esse, *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur, super quem verò lapis ceciderit, conteret eum*, quò significaret eos, qui apud hanc Apostolicam se-

Isai. 28.

Idem 8.

1. Petr. 2. Rom. 9.

S. Athanas. in epist. ad Felic.

S. Leo in epistol. ad Episc. Vienn. prouinc.

Matthæ. 21.

dem (*quæ semper*, vt ait S. Augustinus, *frustra circumlatrantibus hæreticis, culmen auctoritatis obtinuit*) offenderent, ab ea citiùs, absque vel minima sui fractione, cõterendos, *Quisquis enim*, inquit idem S. Leo, *huic sedi principatum existimat denegandum, illius quidem nullo modo potest minuere dignitatem, sed inflatus spiritu superbiæ suæ, semetipsum in inferna demergit.* Sed iam quid contra hæc Simon arguat, discutiamus. S. Leo in epistol. ad Episc. Vienn. prouinc.

OBIECTIO.

Cyprianus lib. 1. Epist. 3. cùm ait, quibus obtemperare debet fraternitas vniuersa, *non de Pontifice agit, sed de excõmunicatione à quocumque Episcopo lata, cui acquiescere debet fraternitas vniuersa, etiam Romanus Pontifex.* pag. 190.

RESPONSIO.

Ergone Romanus Pontifex excommunicationi à quocumque Episcopo latæ acquiescere tenebitur? *A quocumque Episcopo*, inquis; Si ita est, ergo & Romano Pontifice quilibet Episcopus maior? Si enim saltem, vel æqualis esset, acquiescere vtique non teneretur, cùm par in parem imperium non habeat. Quid ampliùs? Ergo nullus Petri, vel successorum eius Romanorum Põtificum primatus, quidquid pro eo, vtcumque asserendo, Simon antea dixerit, cùm alicuius superioris, cuiuslibet nempe Episcopi sententiæ subiaceat. Ergo nullus in Ecclesia Hierarchicus ordo, qui ex eo maximè dignoscitur, quod visibili capiti, visibilia membra cohæreant, sed omnia confusa & in antiquum Chaos redacta, non cohærentibus vti-

que capiti membris, sed ipso capite membris cohæréte, adeò vt ipsum ab ijs, non ipsa ab eo, quod vitam influat, sumant. Vnde equidem concludere liceat Simonem, non tantùm cum Valdensibus, Vuiclefo, Hussio, Luthero, Caluino, alijsque eiusdem fæcis hominibus, sentire, omnes Presbyteros pares esse, nec vnum alio potestate superiorem esse, sed & quod peius est, prioribusque sæculis inauditum dogma statuere, quo Romanus ipse Pontifex omnibus Episcopis, ne dicam & Presbyteris inferior censebitur. *O derelicta! ô mœsta! ô desolata Galliarum Ecclesia*, exclamauit olim Fulbertus, *qua iam erit spes salutis vlterior? Vbi amplius afflicta Christiani anima respirabit?* Si enim à corpore caput ipsum auulseris, vbi spiritus, vbi motus, vbi vita ipsa? quid nisi mors? Vel si alium capiti locũ, quàm qui conuenit, infrà videlicet membra ipsa, præbueris, vbi fluxus, vbi descensus, vbi communicatio? Quid nisi ruina? Teneat Nauclerus infimum in naui locum, quid nisi iactura? At S. Cyprianum, veluti primarium huius doctrinæ auctorem, per te citatum audio. Siccine verò sanctissimo Doctori proptio sanguine purpurato illudis? Perlege textum, non quidem decurtatum, sed integrum & intellige, quid de vno illo singulari sacerdote & iudice, Christique vicario testetur. *Non aliunde*, inquit, *hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt schismata, quàm inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Ecce ergo de vno Sacerdote, non de pluribus, sermo illi est. Quis porrò sit ille, cui denegata obedientia schisma inducat, & vnde innotescat,

Fulbert. Carnot. epist. 21.

S. Cypr. lib. 1. epist. 3.

noteſcat, iam paulò pòſt, his verbis manifeſtat. *Cui*, inquit, (nota, non *quibus*) *ſi ſecundùm magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotum collegium quidquam moueret, nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Idem ibid. paulò pòſt.

Quòd ſi adhuc hęſitas, nec planè intelligis de quo ſermo ſit. *Ideò*, inquit alibi, *factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti eius iudicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm Fabiani locus, id eſt, cùm locus Petri & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* Idem lib. 4. epiſt. 2.

Iam ergo S. Cyprianum de S. Cornelij Romani Pontificis electione verba facientem habemus, cui quia Nouatus Africanus Preſbyter, Nouatiano Pſeudopontifice creato, cõtradixit, ideò ſchiſmaticus, vtpote Eccleſię vnitatem diuidens, ab eo cenſetur. *Quo occupato*, inquit, *de Dei voluntate, atque omnium noſtrùm conſenſione firmato, quiſquis iam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiæ ordinationem, quia Eccleſiæ non tenet vnitatem.* Idem ibid.

Sicque ab hoc ſchiſmate, ad reliqua alia Eccleſiam deinceps infeſtantia cõcluſionem eliciens, non aliunde aſſerit ea oboriri, quàm quòd à quibuſdam de vniuerſa Chriſtianorũ fraternitate Romano Pontifici ſecundùm magiſteria diuina, hoc eſt, ſecundùm doctrinam à Chriſto traditam, non obtemperatur; Si enim obtemperarent, ſummi vtique Pontificis electione ritè, & ſecundùm Canones peracta, ſeditionem, rixaſque non mouerent, nec poſt tot concurrentia diuinæ electionis indicia;

non tam aduersus electum Pontificem, quàm contra ipsum Deum arma sumerent.

OBIECTIO.

pag. 192. *Celebratio annua Synodorum neglecta, quanta Ecclesiæ scandala attulerit, testatur Basilius ad Nazianzenum.* Si secundùm statuta antiqua, *inquit*, tum secundùm eam, quam debemus Ecclesijs curam, & sollicitudinem, sæpius per annum conuenissemus, ianuam certè calumniatoribus non aperuissemus.

RESPONSIO.

Quid si nec de Synodis, eo in loco S. Basilium loqui, sed de mutua tantùm eius cum S. Gregorio Nazianzeno conuersatione, ex eodem S. Basilio monstrauero, quid iuris? Sanctus igitur Basilius, cùm se vndique propter glorificationis hymnum, paulò à se immutatum (absque dispendio tamen Catholicæ fidei) calumnijs agitari, hostiumque pariter, atque amicorum iaculis confodi cerneret, adeò vt tædio victus, mortemque vitæ præferens, ad Demophilum ita scriberet. *Anno præterito cùm ex grauissima febri ægrotassem, & prope ad ipsas portas mortis deuenissem, lenitate verò Dei reuocatus essem, ægrè ferebam illam mei restitutionem, expendens ad quæ mala iterùm reuersus essem.* Vnum illud sibi relictum videns refugium, vt nempe S. Gregorij Nazianzeni, (quem sibi maximè fidelem sciebat, quique illum de his primus admonuerat) opem expeteret, literis tandem illum, non sine querela, quod pactis conuentis, de mutua, videlicet, per annos singulos

Baronius ad annum 371. numero 72. & seqq.

S. Basil. epist. 82. ad Demoph.

visitatione, non stetisset, his verbis ad se vocauit. *Si*, inquit, *illa sufficiunt, nuga censeantur ea, quæ nobis à calumniatoribus obijciuntur, verumtamen si permittamus, vt ora effrænata, & corda inerudita loquantur, de quibus velint, & paratas habuerimus ad suscipiendum aures, non solum nos res aliorum suscipiemus, sed etiam alij nostras. Horum verò causa illa est, quam iam olim nos non admittere debere cohortatus sum, nunc vero renũtiatione facta taceo, quòd videlicet* (nota) *inter nos mutuò non conuersamur. Si enim iuxta vetus pactum, & iuxta eam, quæ nunc Ecclesijs à nobis debetur curam, maximam anni partem simul transigeremus, calumniatoribus aditum non dedissemus. Tu verò si ita videtur illos quidem valere sinito. Ipse autem admonitus sis, vt auxiliarius nobis adsis in præsenti certamine, & nobiscum incurras in eum, qui contra nos arma mouet.* Quod & ipse S. Gregorius Epistola ad eum missa se præstiturum spopondit. *Hoc autem*, inquit, *habeto, me Deo inspirante, & tibi affuturum, simulque dimicaturum, virilemque operam impensurum esse.* Et reuerà quomodo S. Basilius tanti frequentem Conciliorum celebrationem fecisset, qui nec eam à S. Gregorio Nazianzeno fidelissimo vtique suo Achate probari sciebat? Legerat namque eum aliquando ita scribẽtem. *Sic quidem*, inquit, *affectus sum, si verum scribere oportet, vt omnem Episcoporum conuentum fugiam, propterea quod nullius Concilij finem bonum viderim, & quòd non magis malorum acteßionem, quàm solutionem habeat.*

S. Basilius epist. 33.

S. Gregorius Nazianzen. epist. 27.

S. Greg. Nazianz. epist. 102.

Obiectio.

Hodie hæc disciplina prorsus iacet, ac desperata est, adeò vt nemo quantumuis pius de ea hiscere pag. 191.

audeat, quin continuò veniat in suspitionem schismatis, aut hæreseos apud homines fiduciarios.

RESPONSIO.

Vnde quæso iacet? Vnde desperata est hæc disciplina? Nostro sęculo Concilium maximum, vniuersale, Oecumenicum, præsidentibus quatuor Legatis Apostolicis, præsentibus duobus Cardinalibus, tribus Patriarchis, viginti quinque Archiepiscopis, centum sexaginta octo Episcopis, septem Abbatibus, septem Ordinum generalibus, triginta nouem Procuratoribus absentium cum legitimo mandato, celebratum est, in quo præcipua Catholicæ fidei dogmata elucidata, in quo præclara pro morum reformatione decreta edita, in quo emergentes ex Orci faucibus hæreses condemnatæ, & tamen de eo, quis è tota fermè Gallia, quàmuis impiè, hiscere non audet? Imò verò quot maledictis proscissum, quot calumnijs exagitatũ, quot edictis proscriptum, quot Senatusconsultis interdictum illud, & olim vidimus, & quotidie videmus? Vt quid ergo Concilium tibi nouum cordi est, cui nec de veteri illo tam augusto cura est vel minima?

OBIECTIO.

pag. 194. *Responsio à Schola Parisiensi facta Christianissimo Regi Carolo 8. super quæstionibus propositis satis demonstrat conuocationem Concilij ad solum Pontificem non pertinere.*

RESPONSIO.

Capitul. lib. 6. cap. 187. Malè ergo magnus ille Carolus Francorum Rex & Imperator. *Auctoritas*, inquit, *Ecclesiastica, atque*

canonica docet non debere, absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari. Malè egregius ille Stephanus iunior martyr, (vt testantur eius Acta fidelissimè à sancto Ioanne Damasceno descripta) dum Iconoclastarum Concilium sub Copronymo celebratum, arguens. *Quomodo,* inquit, *Oecumenicum illud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes (citra cuius auctoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiastica ad normam redigantur) gratum habuit?* Citantur à Baron. ad annum 754. numero 30.

Malè & Synodi Romanæ in causa Symmachi summi Pontificis coactæ, quæ & Palmaria dicta est. *Pontifices suggesserunt,* inquiunt Acta, *ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum conuocare, scientes, quia eius sedis primum Petri Apostoli est meritum, vel principatus, proinde secura iussione Domini, Conciliorum conuocandorum auctoritas ei singularem in Ecclesijs tradidit potestatẽ.* Acta Palmar. Synod. apud Baronium ad annum 502. num. 5. & 6.

Malè denique vetus ille Canon Ecclesiasticus à Socrate, alijsq; memoratus. *Non debere scilicet Ecclesias conuocari sine consensu Romani Pontificis.* Vel vt Sozomenus habet. *Irrita haberi debere, quæ præter sententiam Romani Pontificis geruntur,* edixit. Socrat. lib. 2. hist. cap. 8. Sozom. l. 3. hist. cap. 10.

Obiectio.

Ad decreti Sorbonici normam Ecclesia Gallicana Concilium Turonense habuit sub Ludouico XII. contra Iulij II. *Vsurpationes.* pag. 197.

Responsio.

Ex Pithœo discimus his posterioribus sæculis duo Turonis celebrata fuisse Concilia, in quorum priori sub Carolo VIII. Francorum Rege anno 1483. coacto, propter quorumdam Cardinalium, ac Prælatorum oppositiones, nihil contra summũ

Pithœ. in tra&a. de Eccles. Gallica. in schism. statu. pag. 650.

Pontificem decretum fuit. *Sur le Chapitre de l'Eglise*, dit Pithou, *n'a eſté donnée aucune reſponſe, à cauſe de l'oppoſition faite ſur aucuns des articles contenus audit Chapitre par Meſſieurs les Cardinaux, & quelques Prelats, & eſt ladite reſponſe demeurée indeciſe, juſqu'à ce que ladite oppoſition fuſt vuidée.* In poſteriore verò anno 1510. tempore Ludouici XII. celebrato, etſi plura dubia ſuper temporalium defenſione propoſita, reperiantur elucidata, nihil tamen de Concilij ſuprà Papam auctoritate, vel quod Cõcilium ab alio, quàm à Papa legitimè conuocari poſſit, ibi videre licet: quinimmò legatos in eo ad Iulium ab Eccleſia Gallicana deſtinatos legimus. *Qui cum eo*; inquit Genebrardus, *de pace agerent, vel ſi ipſos nollet audire, eum ad conuocandum generale Concilium prouocarent.* Vel vt habent Acta ab eodem Pithœo relata. *Viſum eſt Concilio ante omnia mittendos ab Eccleſia Gallicana Legatos, ad D. Papam Julium, qui fraterna charitate, & ſecundum Euangelicam correctionem, eum admoneant, vt ab inceptis deſiſtere velit, pacémque, & concordiam Principum amplecti. Quod ſi nolit Legatos in hoc audire, interpelletur de conuocando Concilio libero.* Quod vtique Gallicani Patres non feciſſent ſi Concilium generale abſque eo legitimè congregari poſſe exiſtimaſſent.

Genebrard. Chronolog. lib. 4. in Iul. 2. ann. 1510.

Pithœus vbi ſup. pag. 652. & 653.

OBIECTIO.

pag. 197.

Prima Concilia generalia ab Imperatoribus indicta, & coacta, ab Eccleſia tamen velut quatuor Euangelia recepta, quod numquam feciſſet Eccleſia, ſi agnouiſſet Imperatores, ius non habuiſſe indicendorum Conciliorum.

RESPONSIO.

Numquid verò prima illa Concilia generalia, ideò ab Ecclesia fuêre recepta, quòd ab Imperatoribus fuerint indicta, an non potiùs, quia *In his*, vt inquit S. Gregorius magnus, *velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit? Quando enim vnquam*, ait S. Athanasius, *iudicium Ecclesiæ ab Imperatore auctoritatem habuit?* Quòd si aliquoties, seu propter sumptus in Episcoporum ad Concilij locum transuectionibus faciendos, seu ob ciuitatem colligendo Concilio destinatam Imperatoris ditioni subiectam, Imperatoris assensus requisitus, auctoritasve etiam quandoque ad comprimendos hæreticorum motus, adhibita, numquid propterea quasi lege firmatum extitit, vt sine Imperatore Synodus non celebraretur, vel sine eo celebrata nullius roboris esset? Cùm præsertim plura, quã duodecim Oecumenica Concilia posterioribus sæculis reperiantur coacta, quæ à solo Pontifice summo indicta, non minorem quàm prima illa, obtinuerint in Ecclesia auctoritatem. At nec de primis illis quoque certum est, quòd ab Imperatore solo, sine consensu, & auctoritáte summi Pontificis congregata fuerint. Quin ex Photio, Nicænum Concilium Constantini tantùm curâ congregatum constat. *In his omnibus*, inquit ille ex Iustelli versione, *magnus & admiratione dignus Constantinus Romani Imperij moderator excellebat, qui & Concilium congregandum curauerat, & illud præsentia sua clarius efficiebat.* Ruffinus quoque non ex decreto Imperatoris, sed ex sententia Sacerdotum Concilium idem coactum non dubitanter asserit.

S. Greg. lib. 1. epist. 24. indict. 9. circa finem.

S. Athanas. in epist. ad Solitar.

Phot. in lib. de 7. Synod.

Ruffin. lib. 1. hist. cap. 1.

Ex literis verò à Constantinopolitana Synodo ad Damasum directis patet, & ipsam nō tam à Theodosio, quàm ab eodem Damaso indictam. *Concurreramus Constantinopolim*, inquiunt Patres, *ad vestræ reuerentiæ literas post Concilium Aquileense missas Theodosio summa pietate Imperatori.* De Ephesino autem, Theodosij duntaxat cura, congregato Concilio, ita Cœlestinus Pontifex ad S. Cyrillum Episcopum Alexandrinum rescribens. *Indifficulter*, inquit, *est Ecclesiarum & Catholicæ fidei sperandæ tranquillitas, quando pro hac elaborare Christianissimos Principes, sic videmus. Non est inefficax, in diuinis maximè causis, cura regalis, quæ pertinet ad Deum, qui fideliter tenet corda regnantium.* Cui nihilominus suam se & operam præstitisse ipse Cœlestinus, eidem Theodosio rescribens, manifestat. *Huic*, inquit, *cœlestis curæ, vel gloriæ, vnusquisque nostrûm pro Sacerdotali officio, operam nostram in quantum valemus, impendimus.* Quòd si decretum ab eodem Theodosio super Concilij congregatione editum arguas; non mirandum: Id enim ad comprimendos Nestorianorum iam in Romana Synodo condemnatorum tumultus salubriter inuentum est. Vnde & Irenæum, & Candidianum Comites cum armato milite, ob id ab Imperatore Ephesum missos fuisse, legimus. Quòd autem ad Chalcedonēse Concilium spectat, nunquid illud non Imperatoris Martiani, sed magni Leonis decreto, primò Niceæ, posteà Chalcedone coactum dices, quando eumdem Martianum sic ad eumdem Leonem scribentem audieris? *Si placuerit*, inquit, *tuæ beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur,*

Theodoret. lib. 5. hist. cap. 9.

Cœlest. epist. ad Cyrill. apud Baron. ad ann. 431. numero 19.

Ibidem numero 16.

Baronius ad annum 450. numero 23.

nostris vtique desiderijs vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ sunt vtilia decernet. Si verò hoc onerosum est, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum proprijs literis tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum nostræ literæ dirigantur, vt ad quemdam destinatum locum, vbi (nota) vobis placuerit omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire. Quod & S. Pulcheria Augusta eiusdem Martiani coniux literis ad eumdē S. Leonem datis, testata est. *Tua*, inquit, *reuerentia, quocumque modo prospexerit, significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ, & Illyrici (sicut etiam nostro domino pijssimo Imperatori, meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire, & illic sancto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore, decernant.* Si verò edictum eiusdem Martiani super eodem Concilio editum obijcias, audi quid de eo magnus idem sentiat Leo. *Amplectendū est*, inquit, *clementissimi Principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, beatissimi Petri intre, atque honore seruato.* Hinc & Photius sanctum istud Concilium *præsentem atque fauentem συμπάρονται & συμψηφίζεται* tantùm habuisse Martianum testatur.

Ibidem numero 26.

S. Leo epist. 47. ad Synod. Chalcedon.

Phot. lib. de 7. Synod.

Obiectio.

Socrates in Proœmio lib. 5. Passim in historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quòd ex illo tempore, quo Christiani

pag. 190.

esse ceperunt, Ecclesiæ negotia ab illorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorumdem sententia, & conuocata fuerunt, & conuocantur.

RESPONSIO.

Quomodo verò Imperatores, ex quo Christiani esse ceperunt Ecclesiasticis se negotijs immiscuissent, quando nec Ethnicis adhuc addicti superstitionibus, quidquam super hoc ausi fuerunt, sed Romani Pontificis, Episcoporumque iudicio terminanda cuncta sanxerũt? Paulus equidem Samosatenus hæresiarcha, hæreticorumq; omnium deterrimus, Antiocheni Concilij decreto cõdemnatus Aurelianum Imperatorem appellauerat, sed audi quid Ethnicus ille Imperator super hoc tunc edixerit. *Cùm Paulus*, inquit Eusebius, *ex Episcop. domo, eius Ecclesia propria, exire nollet, Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiam, sanctissimè quid esset agendum decreuit. Præcepit enim, vt domus Ecclesia illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ, & vrbis Romæ Episcopi, per literas tribuendam præscriberent.* Quid autẽ Constãtinus, antequam etiam Christo per baptismum nomen daret? Nonne Donatistarum Melchiadis summi Pontificis sententia condemnatorum appellationem ad se factam edicto seueriore, ad Catholicos Episcopos dato, redarguit? *Meum*, inquit, *iudicium postulant, qui ipse iudicium Christi expecto. Dico enim (vt se veritas habet) Sacerdotũ iudicium, ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil enim licet his aliud sentire, vel aliud iudicare, nisi quod Christi magisterio sunt edocti. Quid igitur sentiunt ma-*

Euseb. lib. 7. hist. cap. 30. in fine.

S. Optat. cõtra Parmenian. lib. 1. Baronius ad annum 313. num. 22. 23.

ligni homines officia (vt verè dixit) diaboli. Perquirunt sæcularia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet, appellationem interposuerunt. Quin & ad Ablauium Præfectũ Prætorio posteà rescribens. *Sanximus*, inquit, *sententias Episcoporum, quolibet genere prolatas, sine aliqua ætatis discretione inuiolatas semper, incorruptasque seruari, scilicet vt pro sanctis semper, & venerabilibus habeatur, quidquid Episcoporum fuerit sententia terminatum. Siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum summam tenetis, & apud cæteros omnes iudices ad executionem volumus peruenire.* De Epist. iudic. L. 1. C. Theod. Baronius ad annum 314. numero 18.

Vnde & de eodem Constantino hæc testatur Eusebius. *Iam*, inquit, *quæ ab Episcopis in publicis Conuentibus edita erant regulæ, sua confignabat, & confirmabat auctoritate, ne reliquarum gentium principibus liceret, quæ ab eis decreta essent, abrogare, cuiusuis enim iudicis sententia, Sacerdotum Dei iudicium anteponendum esse.* Euseb. de vita Constant. lib. 4. cap. 27.

Sozomenus verò. *Illud*, inquit, *est planè maximum reuerentiæ Imperatoris erga religionem argumẽtum, quod Clericos vbique per legem eam ob rem conditam immunitate donari voluit, quodque illis, qui erãt in iudicium vocati dedit potestatem, si modo animum inducerent, magistratus ciuiles reijcere, ad Episcoporum iudicium prouocandi, atque eorum sententiam ratam esse, & aliorum iudicum sententijs plùs habere auctoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatam statuit.* Sozom. lib. 1. hist. cap. 9.

Quomodo ergo ab eius nutu Ecclesiæ negotia pependissent, qui iam Christianus factus tantùm Episcoporum iudicio tribuebat, vt se Episcoporum iudicio subiectum, in amplissimo consessu Nicæno palàm profiteretur? *Deus*, inquit, *vos constituit Sacerdotes, & potestatem* Ruff. lib. 1. histor. cap. 2.

dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Vos nobis à Deo dati estis dij, & conueniens non est vt homo iudicet Deos. Quòd ad citatum autem Socratis textum spectat, Græcus ita se habet, διὸπ ἀφ' ὧ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτηντο ἐξ αὐτῶν, καὶ αἱ μείζους συνόδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασι τε καὶ γίνονται. id est, *Propterea, ex quo Christiani esse ceperūt, res Ecclesiæ, ex eis pependerunt, & maxima Concilia cum illorum consilio, & facta fuerunt, & fiunt.* Quid inde? Audi germanam huius loci explicationem. Imperatores, inquit, non quidem antea, sed ex quo dūraxat Christiani esse ceperunt, quia ipsi certè ad Ecclesiam, non Ecclesia ad ipsos accessit, adeò vt tanquam membra Ecclesiæ corpori, iam ex capite, membrisque constāte vnita fuerint: Res Ecclesiæ, seu de bonis ipsis Ecclesiasticis intelligere volueris, quorum plura ex eorum liberalitate processerunt, seu etiam de ipsis negotijs, quæ quia eorum auctoritate, ad comprimendos multiplices hæreticorum impetus, maximè indigebant, ab eis quodammodo pendere videbantur, cùm non nisi frequentibus Imperatorum edictis coërceri vix potuerint. Maximæ autem Synodi ex eorum consilio, & factæ fuerunt, & fiunt: Quod nullus certè in dubium reuocauerit ob rationes præsertim iam superiùs allatas.

Socrat. in Procem. lib. 5. hist.

Obiectio.

pag. 198. *Qui secundùm Imperatoris mandatum Synodis interesse recusabant, Regia auctoritate plectebantur. Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap.*

42. Quod si quis, quod quidem non futurum arbitror, reiecto & spreto mandato nostro adesse noluerit, delegabimus aliquem, qui Regia illum auctoritate in exiliumeiectum, docebit hominem minimè decere summi Imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem editis repugnare.

RESPONSIO.

Itane Eusebio imponere licitum tibi erit? Licèt enim Cõstantini edictum pro Tyrij congregatione Concilij promulgatum referat Eusebius, nihil tamen prorsus eorum habet, quæ hîc objiciuntur: Quin potiùs exhortatione tantùm, non aliqua iussione Imperatorem fuisse vsum ex ipso Græco textu apparet, προτρέπομαι, inquit, χρῆναι πάντα σπουδῇ καὶ σπεύδοντας, Ὅπως εἰς ταυτὸ συνδραμεῖν πληρῶσαι τὴν σύνοδον, *Hortor vos* (vertit Musculus) *vt mox visis hisce literis sine aliqua dilatione in vnum concurratis, Synodum compleatis*: vel vt Ioannes Portesius, *Vos oro & obtestor, inspecto, quod rectè atque ordine fieri debeat, ocyßimè concurrite, Senatum habete.* Scio equidem Theodoretum in eiusdem Constantiniani edicti recitatione, nonnihil ab Eusebio dissentire, atque non dissimilia ab his, quæ in Obiectione habentur, proponere: Audi tamen quid de huiusmodi Tyrio Cõuenticulo (quod equidem non Episcoporũ Concilij, sed fori Præsidis præ se ferebat imaginem, speciemque repræsentabat apparituræ fiscalis) testentur Patres Alexandrini Concilij paulò post

Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 42.

Theod. lib. 1. hist. cap. 28.

celebrati in sua Epistola à S. Athanasio recitata.

S. Athanas. Apolog. 2. *Præclari Eusebiani*, inquiunt, *quò veritatem, scriptaque sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexunt, cùm res ipsa negotium Imperatorium, non Synodale haberi debeat, quippe vbi Comes præsideat, & milites Episcopos suo satellitio cingant, & Imperatoria edicta, quos ipsi volunt coire compellant.* Et paulo post. *Si enim volunt Episcopi sese iudices volebant esse, quid opus erat vel Comite, vel militibus, aut edictis* (nota) *ad coëundum Imperialibus?* Vt iam non mireris, si Constantinus ipse ab Arianis deceptus, qui contra Canones sanctũ persequebatur Athanasium, etiam contra Canones congregandi contra eumdem S. Athanasium malignantiùm Conuentui, ius, potestatemque sibi vsurparit. Hinc ijdem Patres Alexandrini. *Qua*

S. Athanas. ibidem. *fronte*, inquiunt, *talem conuentum Synodum appellare audẽt, cui Comes præsedit, & vbi speculator apparebat, & Commentariensis, siue Carcerarius pro Diaconis Ecclesiæ aduentantes introducebat, vbi Comes verba faciebat, cæteri præsentes in silentio erant, vel potius Comiti obsequium suum accommodabant, vbi quod communiter Episcopis placuit ab illo impediebatur, ille Imperio vtebatur. In summa, dilectissimi, quæ species ibi Synodi, vbi vel cædes, vel exilium, si Cæsari placuisset, constituebatur?* Cùm ergo de legitima Synodo quæstio non agatur, valeat quod valeat Constãtiniana præceptio.

OBIECTIO.

pag. 199. *Theodosius magnus Synodum generalem Constantinopoli coegerat.*

RESPONSIO.

Vnde ergo Patres secundæ Synodi Constanti-

nopolitanæ in Synodali Epistola ad Damasum Romanũ Pontificem scripta & à Theodoreto relata, hæc testantur: Συνδιεδραμήκειμεν γὰρ εἰς τὸ κωνσταντινούπολιν ἐπὶ τῇ πίστει γεγραμμένων τῇ παρὰ σοῦ καὶ τῶν ὑμετέρων τιμιότητι καὶ μὴ τῷ ἐν Ἀκυληίᾳ ζωίλῳ πρὸς τὸν θεοφιλέστατον βασιλέα Θεοδόσιον ἐπισταλέντων. *Concurreramus enim* (vertit Musculus) *Constantinopolim ad vestræ reuerentiæ literas post Concilium Aquileense missus Theodosio summa pietate Imperatori.* Nunquid certè quia Damasi, & non Theodosij literis Constantinopolim fuerant accersiti, ea nempe ratione, quia πίστει, hoc est *superiori anno* (quod in sua versione Musculus omisit) quando scilicet celebratum fuit primum Concilium Constantinopolitanum, datę dicuntur. Hinc & in actis S. Damasi, quæ Baronius refert, hæc leguntur. *Sententiam*, inquiunt, *de damnatione Macedonij & Eunomij Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ præcepto* (nota) *& auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.*

Theod. lib. 5. histor. cap. 9.

Baronius ad annum 381. numero 19.

Obiectio.

Concilio autem Constantinopolitano œcumenico Damasus, nec quisquam alius Episcopus Occidentalis Ecclesiæ interfuit. pag. 159.

Responsio.

Vnde ergo Nilus cùm de eo loquitur, hæc ait, ἡγεῖτο δὲ τούτου Δάμασος Ῥώμης, Νεκτάριος δὲ Κωνσταντινουπόλεως, *Præerant autem Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopoleôs, &c. Episcopi,* Numquid certè ideò præfuisse dicitur, quòd professio fidei ab eodem Damaso ad Paulinum Episcopum, non quidem Thessalonicensem (vt malè asserit Theo-

Nilus in lib. de Synod.

Theod. lib. 5. hist. cap. 10.

dorctus) sed Antiochenum scripta, anathematismos aduersus omnes hæreses tunc temporis, Orientalem potissimùm Ecclesiam infestantes, continens, sub titulo voluminis Occidentalium, (cuius mentio fit in eiusdem Cõcilij can. 5.) recitata fuerit, ac secundùm eam pro Spiritussancti diuinitate contra Macedonium à Patribus decretum? vel quod eiusdem Damasi auctoritate, vt supra dictum est euocata; ab eodem etiam, vt testatur Photius, confirmata fuerit?

Cõcil. Constãt. 1. can. 5.

Phot. in lib. de 7. Synod.

OBIECTIO.

pag. 200. *Patres Orientalis Ecclesiæ Epistola Synodali ad Synodum Romanam Episcopos Occidentis graviter negligentiæ accusabant, Theodoretus lib. 5, cap. 9.*

RESPONSIO.

Numquid verò hi dici possunt negligentiæ accusati, de quibus hæc ab ijsdem Patribus ibidem referuntur? *Neque enim*, inquiunt, *ita parui pietatem vestram pendere arbitramur res nostras, vt quibus misericordia debeatur, eorum nunc primùm cognitionem requiratis.* Et paulò pòst. *Postquam vos Romanam cogentes Dei voluntate Synodum, pro fraterna charitate tanquam vestra membra, nos quoque literis summa pietate Imperatoris accersiuistis, ne cùm afflictionum supplicia nos soli perpessi sumus, nunc in consensu Imperatoris de pietate sine nobis regnaretis, sed haberetis nos regni iuxta Apostolicam vocem, socios, sanè perquam optamus vniuersi, si fieri posset, Ecclesijs derelictis obsequi. Quis enim nobis det alas velut columbæ, vt ad vos deuolemus, & vobiscum requiescamus?* Et infra. *Concurreramus Constantinopolim*

Theodoret. lib. 5. histor. cap. 9.

Ibidem.

tinopolim ad vestræ reuerentiæ literas superiori anno post Concilium Aquileiense missas Theodosio summa pietate Imperatori. Et paulò pòst. *Quò rectius negotium perficeretur & vestræ charitati studium nostrum probaretur, fecimus, vt reuerendissimos ac honorabiles fratres, ac collegas nostros Episcopos Cyriacum, Eusebium, Priscianum exoraremus, vt proficiscendi ad vos laborem libenter subire vellent, per quos & declarari vobis nostra pacifica, & spectans vnitatem voluntas & feruor pro sanitate fidei ostendi poterit.*

Obiectio.

Basilius Epist. 10. *ad Gregorium Nazianzenum*, fastum & supercilium *eorumdem carpit.* pag. 200.

Responsio.

Numquid porro alio fastu? (si Platonico scommate in Diogenem retorto vti liceat) cuius & ab eodem S. Gregorio ei licèt addictissimo, insimulatus olim fuit. Condonandum equidem esse sanctissimis viris afflictis animo, ærumnis pressis, densaquè molestiarum caligine obuolutis, si ex infirmitate in aliquod exorbitans verbum interdum erumpant, hi perquàm facilè iudicabunt, qui præstantissimos etiam Prophetas Iob, & Ieremiam considerauerint. Cùm enim S. Basilius pluribus calumniis iam ab aduersarijs exagitatus, etiam se apud Damasum Romanum Pontificem, alioſque Occidentales Episcopos, propter habitam cum Eustathio Sebasteno & Apollinari communicationem, malè audire intelligeret, atque ad purgandum se iteratis legationibus eiusdem Damasi opem imploraſſet, nec tamen legatos ille

S. Gregor. Nazianz. in Carm. de vita sua.

Iob 3. Ierem. 15.

in Orientem, pacificas reddituros literas misisset, commoueri facilè ex perturbatione eius animus potuit, atque instar Solis, alioquin semper effulgentis, ad breue temporis spatium, deliquium pati, vt quædam verba, haud omnino in omnibus rationi consentanea, proferret. Cæterum ab ea opinione eumdem sanctum Basilium tandem recessisse, suæ ipsius ad Occidentales datæ posthac literæ officij plenæ apertè demonstrant, vbi hæc inter alia. *Ad vos*, inquit, *respeximus fratres reuerendissimi, quos in præsenti tribulationum tempore frequenter ad nos venturos sperauimus.* Et paulò post. *Quoniã vno membro afflicto reliqua simul omnia compatiuntur, conueniebat vt & nobis iamdiu admodum laborantibus affectu commiserationis condoleretis. Non enim locorum vicinitas, sed coniunctio spiritus conciliare, & propinquos facere solet, quam inter nos, ac dilectionem vestram intercedere persuasi sumus.* Et infra. *Obsecramus itaque vt vel nunc tandem manum Orientalibus porrigatis Ecclesijs, quæ iam velut in genua depressæ inclinant, ac viros aliquos mittatis, qui illas de præmijs admoneant, quæ patientiæ ac passionibus pro Christo toleratis reseruantur. Haud enim tantùm habet efficaciæ sermo consuetus quantùm vox peregrina ad consolandum deiectos valet, præsertim si illa afferantur à viris, qui cùm primis gratia Dei instructi esse cognoscuntur, quales vos cunctis mortalibus prædicamus, quod in fide illibatè permaneatis & Apostolicum depositum illæsum seruetis.* Et sub finem. *Vos itaque, ô dilecti, & desiderati fratres, sitis vulneratorum medici & eorum, qui adhuc sani sunt, pædotribæ, quod morbidum est curantes, quod sanum ad pietatem instituentes.*

S. Basil. epist. 1. in addit. Baronius ad annum 373. numero 31.

OBIECTIO.

Martianus Imperator magnopere Synodum generalem cupiebat, qua religione ductus, & precibus Leonis, Nicææ indixit Leo Epist. 42. ad Martianum Augustum, Synodum fieri, vt meminit clementia vestra, ipsi poposcimus. pag. 200.

RESPONSIO.

Ad quid ergo ipse Martianus ad eumdem S. Leonem rescribens, celebrandæ Synodi eum auctorem profitetur? *Inuitantes,* inquit, *atque rogantes, vt pro firmitate, statuque nostri Imperij, æternam diuinitatem tua sanctitas deprecetur, vt & tale propositum, atque desiderium habeamus, quatenus omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum te auctore* (nota) *maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat.* Extant litteræ ante Concil. Chalced. tom. 2. Concil. & apud Baronium ad annum 450. numero 21.

Ad quid & Pulcheria Augusta eiusdem Martiani sanctissima coniux, in Epistola ad eumdē S. Leonem missa, *Tua reuerentia,* inquit, *quocumque modo prosexerit significare dignetur, vt omnes etiam totius Orientis Episcopi, Thraciæ, atque Illyrici (sicut etiam nostro domino pijssimo Imperatori meo coniugi placuit) in vnam ciuitatem velociter ab Orientalibus partibus valeant conuenire, & illic sancto Concilio, & de Catholica confessione, & de his Episcopis, qui ante hoc segregati sunt, sicut fides & Christiana pietas exigit, te auctore* (nota) *decernant.* Ibidem, & numero 25.

Ad quid & idem S. Leo ad eamdem Oecumenicam Synodum scribens, de eiusdem indictione talia proloquitur? *Amplectendum est,* inquit, *clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem vestram ad destruen-* S. Leo epist. 47.

das insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, beatissimi Petri (nota) *iure atque honore seruato.* Quòd ad citatum autem S. Leonis textũ spectat, ex eiusdem, cum germano ipso, collatione, suppositus deprehenditur. Ita enim verus atque germanus habet. *Popposceram à gloriosa clementia vestra, vt Synodum, quam ad rẽparandam Orientalis Ecclesiæ pacem, à nobis etiam petitam, necessariam iudicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius iuberetis, vt liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Episcopi, quos hostilitatis motus detinet, conuenirent.* Quid inde? Cùm in Oriente celebranda Synodus, non nisi in Imperatoria aliqua ciuitate congregari posset, expediebat equidem, vt ad summi Pontificis voluntatem, Imperatoris quoque consensus accederet, eo præsertim tempore, quo tumultuantes hæretici non nisi maxima vi cohiberi poterant. Hinc ab eodem Imperatore, tunc promulgatum contra seditiosos edictum, comperimus. *Denunciamus*, inquit Imperator, *omnibus, vt in sacrosanctis Ecclesijs, & in alijs quidem venerabilibus locis, in quibus cum pace & quiete vota competit celebrari, abstineatis ab omni seditione, nemo conclamationibus vtatur, nemo moueat tumultum, &c.* Hinc & S. Pulcheria ad Strategum Consularem Bithyniæ in hæc verba rescripsit. *Necessarias has pias literas ad tuam direximus claritatem, vt cum omni disciplina considente sancta Synodo, sine aliqua commotione, atque contentione, quæ à Domino Christo reuelata fuerint, pariter ab omnibus confirmentur*, &c.

S. Leo epist. 42.

Leg. 5. Cod. de his qui ad Eccl. confug.

Extant literæ ante Concil. Chalced. & Baronius ad annum 451. numero 28.

OBIECTIO.

pag. 200. *Et Epistola* 40. Pijssimæ sollicitudini ve-

ſtræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini, per legationem, quę confeſtim ad clementiã veſtram Deo annuente perueniet, quidquid ad cauſæ vtilitatem arbitror pertinere, pleniùs ac opportuniùs ſuggeretur.

RESPONSIO.

Vnde verò S. Leo, pleniùs, atque opportuniùs ſuggerendum Martiano, pro indicenda Synodo tantopere ſollicito, per legationem à ſe mittendam profitetur, niſi quia totum ſua auctoritate fulciendum erat?

OBIECTIO.

Verùm Leo, neſcio qua ratione motus, Concilium in aliud tempus differri ab Imperatore poſtulabat. pag. 201.

RESPONSIO.

In prõmptu cauſa eſt: Sanctus ipſe Pontifex, ob ingruentes Hunnorum exercitus Gallias deuaſtãtes, & iam Italiam cogitantes, ad opportunius tempus differendum eſſe exiſtimabat vniuerſale Concilium, quod minimè liberum iter Epiſcopis ad Concilium ex omnibus prouincijs, vti petierat Imperator, proficiſcentibus, eſſe poſſet. Baronius ad annum 451. num. 33. 34. 35. & ſeqq.

OBIECTIO.

Cùm multi Epiſcopi conueniſſent, vehementer optauit Martianus, vt & Leo Synodo adeſſet. Epiſtola Martiani ad Leonem. Supereſt, vt ſi placeat beatitudini tuæ, in his partibus pag. 201.

aduenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, noſtris vtiq; deſiderijs veſtra ſanctitas ſatisfaciet.

RESPONSIO.

Rectè equidèm. Rectiùs autem ſi ea quæ immediatè ſequuntur addidiſſet, vnde planum fieret Marcianum Leoni, illius loci, vbi Synodus celebranda foret, electionem detuliſſe. *Si verò*, addit Martianus, *hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum propriis literis tua ſanctitas manifeſtet, quatenus & in omnem Orientem, & in ipſam Thraciã, & Illyricum, noſtræ literæ dirigantur, vt ad quemdam deſtinatum locum, vbi vobis placuerit (nota) omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianæ religioni & Catholicæ fidei proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundùm Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.* Quid apertius?

Ante Cõcil. Chalcedoñ. & Baron ad annum 450. numero 32.

OBIECTIO.

Congregatis autem patribus Nicææ, Imperator ſuopte motu, inconſulto Leone, Synodum tranſtulit Chalcedonem.

pag. 201.

RESPONSIO.

Audi verò quid ſuper hoc Martianus edixerit. *Ea*, inquit, *quæ in Illyrico contigerunt, & ad veſtras aures peruenisſe confidimus, licèt Dei voluntate, competenti vindicta, contigerint: tamen publicarum rerum vtilitas exigebat ad Illyricum noſtræ tranquillitatis profectionem, ſed quoniam nihil orthodoxæ fidei, & vt hæc roboretur, præponendum eſſe iudicamus, propterea huic quidem expeditioni interim ſuperſedimus. Et nunc propriè veſtram venerationem, per alias noſtras ſacratiſſimas literas ad-*

Ante Cõcil. Chalcedoñ. & Baron. ad annum 451. numero 31.

hortamur, quatenus sine vlla dilatione accedatis Chalcedonensium ciuitatẽ. Illyrici ergo perturbatio, translationis Cõcilij à Nicæa Bithyniæ Chalcedonem, causa fuit. Qualis autem hæc fuerit, & vnde orta, inde scias, quòd cùm Attilla Hũnorum Rex malè pugnasset in Gallijs, vnà cum suis, qui certamini superfuerant, longiùs à Romanorum regione, atque viribus Gothorum abscedens, tentauit Illyricum; Sed tamen inde reiectus, consedit in superioribus Veneticæ prouinciæ partibus illic hyematurus, donec reparato exercitu appeteret Aquileiam. Martianus itaque literis Præfectorum, de imminente barbarica inuasione, certior factus, in Illyricum profectionem parauerat, quam tamen religione ductus, in aliud tempus distulit, inchoatumque de celebrando Concilio institutum adimplere curauit, Patresque à Nicæa, vbi iam conuenerant, Chalcedonem, propinquiorem vtique Constantinopoli ciuitatem euocauit, tum quod minùs tutum videretur, ob bellicas expeditiones Constantinopoli longè recedere, tum quia etiam ipse Martianus Synodo presens esse vellet, *Ad cõfirmandam quidem fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Imperatoris Constantini, ne in posterum multitudo populi, institutionibus prauis attracti, inueniatur dissentiens*, vt postea Synodum alloquens ipsemet protestatus est. Quòd autem obijcis inconsulto Leone factam huiusmodi translationem: Non mirandum: Nec enim breuitas, nec necessitas temporis patiebatur, vt tam longo itinere à Constantinopoli quippe Romam vsque peragendo, sanctus ipse Leo certior de hoc reddi posset. Iam

Cõcil. Chalcedoñ act. 1. & Baron. ad annum 451. numero 70.

enim complures Episcopi Nicææ conuenerant, quando de hac translatione agi cœptum, quos in expectando responso tandiu moram agere æquũ non erat: cùm præsertim plurimi ob laborem itineris varijs detinerentur infirmitatibus, aliisque afflictarentur angustijs, vt ex eorũ literis ad eumdem Imperatorem tunc directis, apparet.

Ante Cõcil. Chalced. & Baronius ad annum 451. numero 29.

OBIECTIO.

pag. 201. *Ad illam indictionem probandam, alios testes producam Leonem Papam dicta Epist. 40.*

RESPONSIO.

Agedum ergo quid ait ipse Leo? Imperatorem certè alloquitur, dum scribit, *Tyssimæ sollicitudini vestræ, quam de indicenda Synodo habere dignamini.* Quid inde? Sollicitum equidem protestatur Imperatorem de indicenda Synodo: A se verò, an ab Imperatore indicenda foret, non loquitur. Quod si coniectura valet, quis ex sequentibus à Pontifice potiùs, quàm ab Imperatore indicendam illam non coniiciat? Ad quid enim legatione missa suggessurum se plenius, atque opportuniùs Imperatori de indicenda Synodo tantopere sollicito, quidquid ad causæ (propter quam nempe indicẽda Synodus erat) vtilitatem pertinere arbitraretur, Leo professus fuisset, nisi illam Synodi indictionem sibi competere, ipsumque Imperatorẽ eam à se expetere, præstolarique intellexisset?

S. Leo epist. 40.

S. Leo ibid.

OBIECTIO.

pag. 201. *Euagrium lib. 2. cap. 2.* Martiano istá cogitanti, &c. tùm alij, qui erant iniuria affecti à Dioscoro, orantque vt de ipsorum

rebus Concilium diiudicaret. *Et infra.* His de causis Concilium Calcedone coactum est, nuncijque ac tabellarij missi, sacerdotes per literas pietatis plenas vndiq; acciri.

RESPONSIO.

Vnde tibi, bone vir, hæc Euagrij expositio per datiuum resoluta? Rectè equidem cum particula, *&c.* periodum terminasti, aliter enim sequentia cum præcedentibus neutiquam conuenissent. Quid enim quæso fuisset post illa verba, *Martiano ista cogitanti*, statim ea quæ in Græco textu immediatè sequuntur addere (*accedunt Apocrisarij Leonis*): Nec minùs hercle ineptum, quod Musculus per accusatiuum vertit. *Hæc itaque Martianum volentem accedunt primùm*, &c. Vtrobique certè (dicere cum venia liceat) non est vox, neque sensus. Quidergo? Græcus ipse fons perquirendus, licèt fortè errandi, librariorum vitio, causam in vno participio præbuerit. Neque enim legendum in genitiuo plurali βυλομένων, vt habet Roberti Stephanieditio, neque in datiuo βυλομένῳ, vt putauit Simon, neque in accusatiuo βυλόμενον, vt habet Musculi versio, sed in nominatiuo plurali βυλόμενοι: adeo vt participium istud, ad Apocrisarios Leonis Papæ, de quibus proximè eo in loco agit, referatur. Ita ergo repurgatus & integer prodeat Euagrij textus προσιασι τοίνυν αὐτῷ ταῦτα βυλόμενοι, οἵτε λέοντος τῆς τε πρεσβυτέρας Ρώμης ἐπισκόπου διακονούμενοι ταῖς ἀποκρίσεσι, φάσκοντες δικαιότερον εἶναι τὸ δεύτερον ἐν ἐφέσῳ συνέδριον, μὴ δέχεσθαι τὸν λέοντος τόμον, ὀρθοδοξίας ὅρον τυγχάνοντα. οἵτε παρ' αὐτῆς βιοσκόρου καταβριθέντες τὰς χεῖρας ἱκετεύοντες ζωοδικῶς κριθῆναι,

Euagr. lib 2. hist. cap. 2.

id est. *Accedunt itaque eadem cum ipso sentientes & Apocrisarij Leonis veteris Romæ Episcopi, dicentes Dioscorum in secundo Ephesino conuentu non recepisse tomum Leonis, in quo erat rectæ doctrinæ determinatio, & qui ab ipso Dioscoro contumelia affecti fuerant, supplicantes ea, quæ circa ipsos erãt Synodicè iudicari.* Et optimè quidem omnia congruunt. Cùm enim in præcedenti capitulo Euagrius dixisset, Martianum Imperatorem factum, verbis testatum fuisse, summopere se Ecclesiæ vnionem cupere, rectissimè in sequenti addere potuit, S. Leonis Apocrisarios (quiam à tempore Theodosij, in cuius demortui locum Martianus suffectus fuerat, Constantinopol. erãt) eadem cum ipso sentientes, quoad nempe Ecclesiæ vnionem (ad id enim ab ipso Leone ad Theodosum legati missi fuerant, vt ex eius Epistola ad eum scripta apparet) causam huiusce diuisionis Martiano exposuisse, quòd scilicet Dioscorus in Ephesino conuenticulo Leonis Epistolam auersatus, hæresim Euthychetis stabilijsset. Quòd ad eos autem spectat, qui contumelijs affecti fuerant, non mirum, si apud Martianum expostulent, qui iam pluries antea, & apud Theodosium, de sibi illata vi, non à Dioscoro tantùm, sed & à Chrysaphio Eunucho mali totius opifice, conquesti fuerant. Vnde & Theodosius, vbi *Re secum perpensa*, vt ait Nicephorus, *se Chrysaphij astutia deceptum esse comperit, perquam grauiter & impietatem in Flauianum perpetratam, & alijs Episcopis nefariè illatam contumeliam, & condemnationem, tulit, & cùm dolori suo mederi non posset, in Chrysaphium legitimum, iustumque effudit furorem. Itaque illum primum dignitã-*

S. Leo epist. 33.

Niceph. l. 14. hist. cap. 49.

te, mox etiam substantia omni spoliatum, in insulam quamdam relegauit. Et hæc quidē Theodōsius contra Chrysaphium. Contra Dioscorum verò, alioſque eiusdem farinæ Episcopos, dum literis S. Leonis, Valentiniani filij & Gallæ Placidiæ matris, tandem excitatus multa molitur, Conciliumque generale meditatur, morte absumptus, Martiano successori vindicandam S. Flauiani, aliorumque sanctorum Episcoporum in Ephesino conuenticulo condemnatorū, innocentiam reliquit. Quod tamen, nisi priùs à Leone petita venia, aggredi non est ausus Martianus. Ideoque, *Leoni Papæ Romano*, inquit Theodorus lector, *Martianus & Pulcheria scripserunt, illique cunctam auctoritatem tribuerunt. Constituta sunt autem ea de re & mandata, scripsitque Imperator singulorum locorum Episcopis:* Vnde patet etsi literis Imperatoris, vt habet Euagrius, conuocati fuerint Episcopi, Leonis tamen auctoritate indictum, coactumque ipsum fuisse Concilium. Hinc & Photius de eodem Concilio agens, *Præsentem*, inquit, *atque fauentem habuit Martianum, pijssimum Imperatorem*, τὸν ἐν βασιλεῦσι εὐσεβέστατον Μαρκιανὸν συμπαρόντα καὶ συμπνέοντα ἔχουσα: Fauentem ergo, seu potius consentientem (id enim Græcum participium συμπνέων sonat) non autem indicentem, vel authoritatem dantem, habuit Imperatorem, istud Cōcilium. Hinc & ipse Euagrius. ἐξ ὧν, inquit, ἡ ἐν Χαλκηδόνι ζωὴ δ' ἀλίζεται. *His de causis Cōcilium Chalcedone conuocatur*, indefinitè equidem, quoad conuocandi Concilij auctoritatem, etsi definitè quoad Episcopos conuocādi modum, cùm addit. *Literis Imperatoris per nūtios tabellariosque missis.*

Citantur à Baron. anno 449. numer. 150. 157. 159. & 162.

Theodor. lector Collectaneor. lib. 1. in princip.

Phot. lib. de 7. Synod. in Synod. Chalcedoneni.

Euag. lib. 2. hist. cap. 2.

Ibidem. euocatos fuisse Episcopos ἀγχιθύντι καὶ ἀξιωματέρων πιμφθέντων καὶ τῶν ἑκατοντάχω ἱερέων διαβέσι χράμμασι καλεθέντων.

OBIECTIO.

pag. 201. *Iustinianum in Epistola ad quintam Synodum.* Is (*Martianus*) interfuit à se coacto Chalcedone 630. Patrum Concilio.

RESPONSIO.

Quid si Græca Iustiniani verba à Cedreno relata, nec id propriè sonent, quod Simon post Guillelmum Xylandrum eiusdem Cedreni interpretem retulit? Accipe ergo germanum Epistolæ Iustiniani textum. Cedren. in Iustiniano. Μαρκίαν ὁ βασιλεὺς ζωγαγὼν ἐν Χαλκηδόνι τὴν ἁγίαν πατέρων συνόδον ποιοῦντος Διοσκόρε καὶ Εὐτυχοῦς, id est, *Martianus Imperator conuocauit in Chalcedone sexcentorũ trigintà Patrum Cõcilium, presente Dioscoro, & Euthychete.* Vbi de conuocatione tantùm Episcoporum per Imperatorias literas Chalcedonem facta, quam non negamus, non autem de Synodi indictione auctoritatiuè facta, agi perspicuum est, sicuti & in Liberati à Simone citati textu.

OBIECTIO.

pag. 202. *Congregatio Episcoporum comprouincialium solebat fieri à singulis Patriarchis, post mandatum Imperatoris, de necessitate habendi Concilij generalis, qui suos Coëpiscopos ducebant ad Synodum, vt cognoscitur ex actionibus Ephesinæ Synodi de Ioanne Episcopo Antiocheno, & Episcopis Orientis.*

RESPONSIO.

Egregiam verò laudem, quòd ad probandam theſim impiſſimũ iſtum Ioannem Antiochenum, Neſtorio apprimè fauentem in medium protuleris, qui ideò ad aliquod tempus Epheſini Concilij præſentiam refugit, ne vel inuitus in Neſtorij damnationem calculum ferre teneretur, vel ſi ſe illius defenſorẽ exhiberet, eandem cum illo ſententiam ſubire cogeretur. *Sine*, vt ait S. Cyrillus, *detrectauit aduẽtum ſuum, vt cunctando improbitati eius, qui contra Chriſtum nugatus eſt*, (Neſtorij) *gratificaretur, immò ob id quod* (*vt veriſimilè, vel certè verum, & indubitatum eſt*) *eadem cum illo ſentiret.* Quod & reuera præſtitit, cùm quinta die à Neſtorij damnatione. *Simulatq; Epheſum ingreſſus eſt*, inquit Synodalis Epiſtola ad Cæleſtinum miſſa, *antequam puluerem ex itinere contractum abluiſſet, nondum depoſito pallio, collectis quibuſdam, qui vnà cum Neſtorio defecerunt, & blaſphema contra ſuum ipſorum caput loquuntur, & gloriæ Chriſti tantùm non illudunt, quos ſibi ipſi veluti collegium circiter triginta hominum, nomen Epiſcopatuum habentium collegit, quorum alij extorres vagantur, nec Eccleſias habent, alij ſæpenumero grauibus de cauſis à Metropolitanis ſuis ſunt depoſiti, his, inquam, collectis rem auſus eſt impiam, qualem nemo vnquam ante illum auſus eſt.* Schiſma igitur conflat, Concilium contra Concilium congregat, fretus Ioannes Comitis auxilio, iuſſit verberari Epiſcopos, qui ſibi obuiam proceſſerant. Denique aduerſus S. Cyrillum, Memnonẽque Epheſinum Epiſcopum, condemnationis ſententiam profert. Vnde cùm ter citatus ad Concilium accedere noluiſſet, iuſtè ab vniuerſo Con-

S. Cyrill. in Apolog. ad Theodoſ.

Extat apud S. Cyrillum, epiſt. Synod. 12.

Baronius ad annum 431. nume. 72. 73. 74. & ſeqq.

cilio excommunicatus, & depositus fuit. En tibi ergo qualis Ioannes ille Antiochenus, qualesque Episcopi illi, quos secum adduxit, qui tuæ probationi inseruiunt.

OBIECTIO.

pag. 202. *In Epistola Constantini ad Donum Papam de Concilio in Trullo.* Per personas verò, quæ dirigentur à paterna vestra beatitudine ita decernat. Ex vestra quidem Ecclesia, si vtique videtur ei, tres personas: quòd si & plures quantæ ei placuerint, dirigat. De Concilio verò vsque ad duodecim Metropolitas Episcopos.

RESPONSIO.

Ad quid, quæso, hæc nobis Simon ingerit, de Epistola Constantini Pogonati ad Donum Pontificum maximum? Sileant iam Romanæ sedis priuilegia, sit Patriarchatus tantùm, ab alijs quatuor distinctus; Nunquid plures sub eo quàm tres Episcopi, quos ab eo mitti Imperator exigit? Quâtò meliùs ex eodem textu elicitur, Imperatorem Pontifici, seu eius Legatis ab eo dirigendis, cuncta in Cõcilio decernenda relinquere. *Per personas*, inquit, *quæ dirigentur à paterna vestra beatitudine, ita decernat.* Quales verò quantique numero esse deberent ipsi legati, tres licèt, aliorum Conciliorum instar, proponat, numerum tamen nullatenus præscribit, sed totum Pontifici statuendum relinquit. *Ex vestra*, inquit, *sancta Ecclesia, si vtique videtur ei, tres personas, quod si plures, quantæ ei placuerint dirigat.*

Baronius ad annum 678. numero 9.

Ibidem.

Quòd autẽ de Concilio addit, licet ad particulare Concilium à summo Pontifice Romam euocandum, ex quo legati ad vniuersale mitti deberent, referri possit (sicut & factum fuisse deprehendimus, quando *Agatho sanctissimus*, inquiunt literæ eiusdem Cõstantini ad Georgium Constantinopolitanum Episcopũ, *destinauit in præsenti propriam eius indutos personam Theodorum, & Georgium Deo amabiles Presbyteros, & Ioannem Deo amabilem Diaconum, ex persona verò totius eius Concilij, Ioannem & Abundantium, & Ioannem Venerabiles Episcopos, cum cæteris Clericis, & Monachis*) Ad vniuersale tamen ipsum etiam Cõcilium, ex duodecim nempe Metropolitis Episcopis, cum Legatis, Monachisq;, ex quatuor Monasterijs Byzacenis, ab ipso summo Pontifice euocandis, congregandum, hæc etiam spectare posse verba, inde colligere liceat, quod paulò pòst idem Imperator profiteretur tempus sei non suppetere ad ampliorem congregandam Synodum. *Nam*, inquit, *si recepisset tempus, perfectam congregationem studuissemus facere, sed quoniam tempus non admisit*, &c.

Baronius ad annum 680. numero 1.

Literæ extãt in præamb. 6. Synodi, & apud Baron. ad ann. 680. numero 5.

Baronius ad annum 678. numero 9.

Obiectio.

Imperatorem singulis Episcopis scribere fuisset impossibile. pag. 203.

Responsio.

Itane? Imò verò ante Concilij Chalcedonensis celebrationem, literas ab Imperatore Martiano ad omnes Episcopos decimo Calendas Iunij datas, Baronius auctor est.

Baronius ad annum 451. numero 9.

OBIECTIO.

Pag. 201. *Pulcheria Augusta ad Leonem.* Tua reuerentia significare dignetur, vt omnes totius Orientis Episcopi, Thraciæ, & Illyrici in vnam ciuitatem valeant conuenire. *Vbi Valla substituit,* vt omnes totius orbis.

RESPONSIO.

Substituerit-ne doctissimus Valla, aut non substituerit verba, quæ recitas mihi pro minimo est. Ille de se loquatur. Ex eo tamen Pulcheriæ textu omnium Orientalium Episcoporũ ad Concilium proximè celebrandum, conuocationem penes Leonem fuisse, quis non videt? Nec enim satis ei fuit in sua Epistola Orientis Episcopos nominasse, nisi Thraciæ, & Illyrici etiam Episcopos nominaret, vt omnes omnino, qui sub Orientali degerent Imperio, Episcopos, à Leone, etsi literis Imperatoris, conuocandos, significare se velle innueret. Quod & Martianus paulò ante literis ad eumdem Leonem scriptis declarauerat. *Si hoc onerosum est,* inquit, *vt tu ad has partes aduenias, hoc ipsum propriis literis tua sanctitas manifestet, quatenus & in omnem Orientem, & in ipsam Thraciam, & Illyricum nostræ literæ dirigantur, vt ad quemdam destinatum locum, vbi* (nota) *vobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant conuenire.* Non in Orientem, inquit, tantùm, sed & in Thraciam, & Illyricum. Vnde hoc? Imperium equidem Orientale, in tres has partes quodammodo diuidebatur. Cùm enim à Cõstantino, immensa Præfectorum Prætorio potestate diuisa, ac diminuta, pro duobus, quatuor constituti

Ante Cõcil. Chalcedon. tom. 2. Concil.

Pancirol. in Notit. Imper. Orient. cap. 5. de Præfect. Prætor.

tuti fuissent, quorum vnus Orienti, alter Illyrico, tertius Italiæ, & Africæ, quartus Gallijs præesset: Atque etiam post obitum Cõstantini, Constantisque eius filij, Imperio in Orientale & Occidentale diuiso, à Constantio Orientis Imperatore, quò maiorem Præfecto Constantinopolitanæ vrbis auctoritatem adderet, statutum fuisset, vt à tribus Thraciarum diœceseôs Europe, Rhodope, & Hęmimonti rectoribus, alijsque, ad ipsum appellaretur: Iam penes hos tres Præfectos Orientis nempe, Illyrici, & vrbis Constantinopolitanæ, qui & Thraciæ dominabatur, saltẽ quoad Prouinciales, sicut & penes magistros militum (quorum præter Præsentales, tres per Orientem, Thracias, & Illyricum liber Notitiæ Imperij Romani cõmemorat) quoad milites, totius Orientalis Imperij post Imperatorem summa esse cepit. Sicut ergo Prefectorum Prætorio præcipuum munus erat Imperatoria edicta obseruanda promulgare, sic & veredis currere, alijsque currendo facultatem per codicillos (qui quòd duplicata charta scriberentur, duplomata vocabantur) concedere, *Quò celeriùs ac sub manu annuntiari, cognoscique posset, quid in prouincia quaque gereretur*, inquit Tranquillus: Vel vt Procopus. *Quo cũcta quàm celerrimè possent nuntiari*, licitum eis erat. Indeque fit, vt Martianus, quò generalem omnium Episcoporum Orientalium cõuocationem, ad locum ab ipso Leone designandum, significaret, suas literas in Orientem, Thraciam, & Illyricũ, seu potius ad earumdem prouinciarum Præfectos missurum se, pollicetur, vt eos quisque Episcopos sub sua præfectura degentes, ad cele-

Idem ibid. cap. 25. de Præfect. vrb. Constant.

Idem ibid. cap. 5.

Tranquill. in August. capit. 49.

Procop. in ἀνεκδότῳ apud eumdẽ Panc. rol. ibidem cap. 6.

brandum Concilium inuitaret.

OBIECTIO.

pag. 203. *Patriarchatus Romanus habebat Thraciam, & Illyricum pro Oriente.*

RESPONSIO.

Quid est hoc? Vix intelligo. Anne, quòd sub Patriarchio Romano degentes, Thraciam & Illyricum existimarent inter Orientis prouincias cõputati debere? An verò quòd Patriarcha Romanus, quem nos summum Pontificem, Papamque nominamus, nihil iuris in toto Oriente haberet, præterquam in Thracia & Illyrico? Si primum, ignorantia. Licèt enim sub Orientali Imperio Thracia contineretur, non tamen sub Orientis regione, quæ Præfecto Prætorio Orientis suberat, sed sub ditione Præfecti vrbis Constantinopolitanæ, à tempore saltem Constantij Imperatoris, posita erat, vt iam suprà vidimus. Quod verò ad Illyricum spectat, duplex olim fuisse legimus, Orientale nempe, cuius duæ erant diœceses, Macedonia, & Dacia, Præfecto Prætorio Illyrici subiectæ, & Occidentale sex Prouincijs constans, Pannonia prima, Pannonia secunda, Sauia seu Pannonia Ripẽsi, Valeria, Norico Mediterraneo, & Norico Ripensi, quæ erant sub dispositione Præfecti Prætorio Italiæ, Occidentalisque Imperij. Si secundùm, malitia. Nec enim par est credere, Iurisconsultum ignorasse ea, quæ can. *Constantinus*, 96. distinct. habentur, vbi hæc Imperator Constantinus. *Sicut*, inquit, *nostram terrenam Imperialem potentiam, sic eius sacrosanctam Romanam Ecclesiam iubemus*

Pancirol. in Notit. Imper. Rom. c. 23. de Præfect. Illyric.

can Constantinus. 96. distinct.

veneranter honorari, & amplius quàm nostrũ Imperium & terrenum thronum, sedem sanctissimam beati Petri glorioſe exaltari, tribuentes ei poteſtatem, & gloria dignitatem, atque vigorem, atque honorificentiam Imperialem. Atque decernentes ſancimus, vt principatum teneat tam ſuper quatuor præcipuas ſedes Alexandrinam, Antiochenam, Ieroſolymitanam, & Conſtãtinopolitanam, quàm etiam ſuper omnes in vniuerſo terrarũ orbe Eccleſias Dei.

Vbi ex verbis ipſis, quibus Conſtantinus ſe ait, poteſtatem ſummo Pontifici tribuere, non quidem ſpiritualem, (ſciebat enim illũ habere eam à Chriſto datam in omnes totius orbis Chriſtianos) ſed Imperialem (vt nempe Imperatoris poteſtate vteretur ad tuendam ſuæ ſedis dignitatem): Vel certè ex ijs, quibus ſubiungit, decernere ſe, vt principatum non quidem accipiat, ſed teneat, patet nihil Pontifici Romano ex hoc Conſtantini edicto acceſſiſſe, ſed ea tantùm quæ iam habebat, omnibus nota per illud facta fuiſſe. Hincque Theodorus Balſamon, infenſiſſimus alioqui ſanctæ Romanæ Eccleſiæ hoſtis, etſi malo animo, veritate tamen adactus, profiteri cogitur illud ipſum referendo decretum. Διακρίνοντες δικαίζομεν ἵνα ἔχῃ ἐξουσίαν ἀρχικὴν ἓν καὶ ταυτὸν κεφάλαιον τῶν τεσσάρων θρόνων, ἤτοι τοῦ θρόνου τῆς Ἀλεξανδρείας, τῆς Ἀντιοχείας, τῆς Ἱεροσολύμων, καὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἁπλῶς εἰς ὅλας τὰς ἐκκλησίας ἁπάσης οἰκουμένης, id eſt, vt vertit Iuſtellus, *Confirmato deinde iudicio ſancimus, vt primariam illam habeat poteſtatẽ, atque caput ſit quatuor ſoliorum Alexãdrini, videlicet Antiocheni, Ieroſolymitani, & Conſtantinopolitani, ac breuiter omnium Eccleſiarum vniuerſi terrarum orbis.* Quòd ſi vniuerſi terrarum orbis caput,

Theod. Balſam. in Nomocan. tit. 8. de Paroch.

nũquid & Orientis? Vnde firmum, stabileque maneat Nicolai summi Pontificis, ex S. Bonifacij ad vniuersos Episcopos per Thessaliam constitutos, Epistola, sumptum testimonium. *Instituti*, inquit, *vniuersalis nascentis Ecclesiæ, de B. Petro sumpsit honore principium, in quo regimẽ eius, & summa consistit. Ex eius enim Ecclesiastica disciplina, per omnes Ecclesias, religionis iam crescente cultura, fons emanauit.* Et alibi, plures enumerans Orientis prouincias Romanæ sedi subiectas. *Oportet*, inquit, *vestrum Imperiale decus, quod in omnibus Ecclesiasticis vtilitatibus vigere audiuimus, vt antiquum morem, quem nostra Ecclesia habuit, vestris tẽporibus restaurare dignemini, quatenus vicem, quam nostra sedes per Episcopos vestris in partibus constitutos habuit, videlicet Thessalonicensem, qui Romanæ sedis vicem per Epirum veterem, Epirumque nouum, atque Illyricum, Macedoniam, Thessaliam, Achaiam, Daciam Ripensem, Daciam Mediterraneã, Misiam, Dardaniam, & Trebalim, beato Petro Apostolorum principi contradicere nullus præsumat.*

Nicolaus 1. in epist. 8. ad Michaelem Imper. tom. 3. Concil. part. 1.

Idẽ epist. 2. ad Michaël. Imper. tom. 3. Concil. part. 1. sub fi.

OBIECTIO.

Ante Concilium Chalcedonense Episcopus Romanus ordinabat Metropolitanos Thraciæ Asianæ, vsque ad Diarrachium, de quo Balsamon can. 28. Chalcedonens. Concilij, qui postea tributi sunt Constantinopolitano.

pag. 203.

RESPONSIO.

Quid verò tandem post celebratum Chalcedonense Cõcilium? Quis ab eo tempore Romanum Pontificem ordinandi Thraces Metropolitanos iure priuauit? Qua potestate Constantinopolitano

Patriarchę ius illud attributum fuit? Canonem 28. eiusdem Concilij allegas, cùm non nisi 26. vel saltem 27. reperiatur. Quid plura? Etiam Balsamonis auctoritate niteris, vt & inimici sint iudices. Scio equidem Anatolium Patriarcham Constantinopolitanum post duodecimam Concilij Chalcedonensis sessionem, solutis iam comitijs, egressisque iudicibus, necnon & Apostolicæ sedis Legatis, ambitiosè nimis, dolosèque, canonem nescio quem, à quibusdam Episcopis Orientalibus, qui remanserant, suffuratum, quo sanciebatur. *Cõstantinopolitanam Ecclesiam in Ecclesiasticis, sicut Romanam, maiestatem habere negotijs, & secundum post illam existere, & in his quæ in Pontis sunt, & in Asia, & in Thracia diœcesibus, Metropolitanos solos, rursus autem & qui inter barbaros sunt Episcopos præfatarum diœceseõm ordinari à prædictæ sanctissimæ Constantinopolitanæ sedis sanctissima Ecclesia.* Nec ignorare etiam debes, sequenti die congregata Synodo, ipsos Apostolicæ sedis Legatos, contra indebitam huiusmodi Anatolij vsurpationem expostulasse. Quin & S. Leonem, Synodali licèt totius Concilij Epistola, vt his assentiretur, interpellatum, literis tum ad eumdem Anatolium, tum ad Marcianum, & Pulcheriam scriptis, reclamasse, ac denique Canonem irritasse. *Non conuellantur*, inquit ad Anotalium scribens, *prouincialium iura Primatum, nec priuilegijs antiquitus institutis, Metropolitani Antistites fraudentur. Nihil Alexandrinæ sedi eius, quam per S. Marcum Euangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis: Antiochena quoque Ecclesia in paternæ constitutionis ordine perseueret, & in gradu tertio collocata numquam se*

Baronius ad annum 451. numero 136.

Ibid. numer. 137. & 138.

S. Leo epist. 53.

fiat inferior: Aliud enim sunt sedes, aliud præsidentes.

Idē epist. 54. Ad Martianum verò. *Priuilegia Ecclesiarum sanctorum Patrum canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate cōuelli, nulla nouitate mutari.* Clariùs verò ad S. Pulcheriam scribens. *Consensiones,* inquit, *Episcoporum, & sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.*

Idē epist. 55.

Obiectio.

pag. 203. *Sancta Synodus in principio primæ actionis,* facta est Synodus ex decreto pijssimorum, & sanctissimorum Imperatorum Valentiniani & Martiani. *Quòd si facta est decreto, ergo auctoritate coactiua Imperatoris.*

Responsio.

Dic sodes, cuius hæc sunt verba? Numquid sanctissimæ Synodi, an non potiùs, vel scribæ, vel notarij, vel etiam librarij, hæc eadem verba primæ eiusdem Synodi sessioni tanquam titulum præfigentis? Quòd si nec satis tibi factum arguas, audi ex ipso Martiano qualem in conuocandis ad Synodum Episcopis coactiuam auctoritatem sibi vsurpauerit. *Quia,* inquit ad Metropolitanos scribēs, *dubitationes quædam circa Orthodoxam fidem commotæ sunt, sicut & indicant literæ sanctissimi Archiepiscopi felicissimæ Romæ Leonis, placuit nobis properè sanctum Concilium fieri in Nicæa Bithyniæ ciuitate.* Et post pauca. *Vnde tua sanctitas ad memoratam Nicæam ciuitatem proximis Calendis Septembris aduenire festinet.*

Baronius ad annum 451. numero 9.

Quisquis autem generalem, & omnimodo vtilem futuram Synodum refutauerit, peccare quidem & circa diuinitatem ipsam, & pietatem nostram ostendit. Et in alia Epistola pro transferenda Calcedonem Synodo ad Episcopos iam Nicææ congregatos missa. *Nunc* Ibid. num. 31.
propriè, inquit, *vestram venerationem per alias sacratissimas literas adhortamur, quatenus sine vlla dilatione accedatis Chalcedonensium ciuitatem.* Quin & in concione ad Synodum habita. *Sanctam*, inquit, *Synodum, hoc proposito, fieri studuimus, & vobis laborem indixisse videmur, quatenus omni errore & caligine detersa*, &c. Et post pauca. *Nos ad fidem corroborandam,* Ibidem.
non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo religiosi principis Constantini Synodo interesse voluimus. Ideoque S. Leo de eodem Martiano ad Synodum rescribens hæc ait. *Amplectendum est clementissimi principis plenum religione consilium, quo sanctam fraternitatem* S. Leo epist. 47.
vestram, ad destruendas insidias diaboli, & ad reformandam Ecclesiasticam pacem voluit conuenire, beatissimi Petri iure, atque honore seruato. Vnde planum mehercle fit, etiamsi germana ea esse Synodi verba, quæ in obiectione habentur, concederetur, aliud nihil ipsa sonare, quàm quæ ab œcumenica Ephesina Synodo in Epistola ad legatos Constantinopolim missos, vsurpata reperiuntur. *Philippo religiosissimo, deoque dilectissimo Presbytero Celestini pijssimi Apostolicæ sedis magnæ Romæ vicario, pijssimis & sanctissimis Episcopis Arcadio, Iuuenali, Flauiano, Firmo, Theodoto, Acapio, Euoptio, sancta & œcumenica Synodus, quæ per gratiam Dei, glorioſissimorumque Regum nostrorum nutum* (nota) *in Ephesiorum metropoli coacta est, in Domino salutem.* Per nutum ergo Imperatoris, Apud Acta Ephes. edit. Pelt. tom. 4. cap. 19. Baronius ad annum 451. numero 147.

id est, requisito priùs pro Concilij celebratione Imperatoris consensu, celebratum est Concilium Ephesinum, sicut & Chalcedonense: Nisi per decretum Imperatorium illud intelligas, quod ad Episcoporum conuocationem, statuto iam à summo Pontifice celebrandi Concilij die & loco, per literas ad hoc ipsum ab Imperatore ad Prætectos directas, necessarium iam demõstrauimus Quod vt apertius adhuc fiat, omnisque prorsus dubitatio de Chalcedonensi, quo de agimus, Concilio tollatur, extat Epistola Episcoporum Mæsiæ secundæ ad Leonem Imperatorem scripta, vbi hæc leguntur. *In Chalcedonensium ciuitate multi sancti Episcopi conuenerunt per iussionem* (nota) *Leonis Romani Pontificis qui verè est caput Episcoporum.*

Citatur à Bellarm. lib. 1. de Cõcil. & Eccl. cap. 13.

Obiectio.

pag. 204. *Quinta Synodus generalis coacta à Iustiniano Imperatore.*

Responsio.

Non à Iustiniano, sed à Vigilio Pontifice Romano coactam Synodum, ipsum Vigilij Constitutum, ad eumdem Imperatorem, eamdemque Synodum missum, perhibet: Vbi & de pactis conuentis inter eumdem Pontificem, & Imperatorem pro celebranda Synodo, hæc leguntur. *Optauimus quidem,* inquit Vigilius, *venerabilis Imperator, sicut frequentissimè supplici prece poposcimus, eundum ad quemlibet Italiæ locum, aut certè ad Siciliam, & conuocatis ad nos Africanæ, & aliarum prouinciarum Latinæ linguæ sacerdotibus, vel Ecclesiæ nostræ sacratis ordinibus, secundum consuetudinem tractaremus, & de quæ-*

Baronius ad annum 553. numero 56.

stionibus trium capitulorum pietati vestræ redderemus plena deliberatione responsum. Quod quia fieri serenitas vestra non annuit, hoc iterum noscitur constitutum, vt oblatis à nobis mansuetudini vestræ nominibus, de suprascriptis prouincijs, qui nobiscum ad tractandum adhiberentur Antistites, clementia vestra faceret aduenire? Cui dispositioni præbuimus, Ecclesiasticæ pacis amore, consensum. Vnde innotescit, quod licèt Iustiniani opera conuocati fuerint ad Synodum illam Episcopi, nihil tamen actum, nisi consulto priùs, cõsentiente que (imò & numerum Episcoporum, qui eidem adesse deberent quodammodo præscribẽte) ipso summo Pontifice. Hinc Leontius eiusdem temporis scriptor, eamdem Synodum studio tantùm, & diligentia, non autem auctoritate Iustiniani celebratam, testatur. Adde Mopsuestenam Synodum paulò ante celebratam, literis Vigilij, etsi exhortatione Imperatoris, factam reperiri, vt ex eiusdem Concilij Epistola Synodali ad Vigilium scripta apparet, vbi de Imperatore loquens. *Pijssimus*, inquit, *ad nos literis vestris hortatus est, ad Mopsuestenam ciuitatem conuenire*, vt & planè eadẽ colligas & de quinta Synodo paulò post celebrata.

Leont. de sect. act. 6.

Hæc epist. habetur inserta inter acta Synodi 5. act. 5. Baronius ad annum 550. numero 38.

OBIECTIO.

Sexta Synodus coacta secundùm sanctionem Imperialem. In Epistola Leonis 2. ad Constantinum Pogonatum. Cognouimus enim quòd sancta & vniuersalis Synodus, quæ per Dei gratiam, Imperiali decreto, in Regia vrbe nuper congregata est.

pag. 204.

RESPONSIO.

Vt quid fictitiam nobis, multisque imposturis refertissimam Leonis 2. Epistolam, ad tantæ rei probationem, ingeris? Sat mihi sit te ad eruditissimum Cardinalem Baronium, pluribus errores ipsos, quibus scatet, in Annalibus prosequentem, (ne candido lectori, tempus in ea confutanda terens, fastidio sim) remisisse.

Baronius ad annum 683. numero 13.

OBIECTIO.

pag. 205. *Synodus Constantinopolitana à Copronymo coacta, eam ob causam tantùm est improbata, quia contra Canones Ecclesiasticos fuisset celebrata.*

RESPONSIO.

Optimè quidem: Ideo condemnata Synodus ista, nec Concilij œcumenici nomine digna censita, quòd contra Canones, hoc est, non priùs habito Romani Pontificis consensu, fuisset celebrata. *Quî enim œcumenicum illud Concilium vocari queat,* (inquiunt acta S. Stephani, sociorumque martyrum à Baronio relata cum de eodem Concilio agunt) *quod nec Romanus Antistes (citra cuius auctoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiasticæ ad normam redigantur) gratum habuit?*

Baronius ad annum 754. numero 30.

OBIECTIO.

pag. 206. *Falsissimum est in Concilio Chalcedonensi à legatis accusatum Dioscorum, quia absque auctoritate, & consensu Papæ Concilium Ephesinum facere ausus esset.*

RESPONSIO.

Si non falsum tantùm, sed & falsissimum hoc deprehenditur, vt ais: Ad quid ergo ea, quæ in

prima eiusdem Concilij actione leguntur? *Gloriosissimi Iudices, & amplissimus Senatus dixerunt*, inquiunt acta, *quid enim specialiter ingeritur Dioscoro Episcopo? Paschasinus verò Episcopus, & vicarius sedis Apostolicæ dixit. Cùm intromissus fuerit, necesse est vt illi obijciatur. Iudices, & Senatus dixerunt, vt iam interfati sumus, causa, qua obijcitur specialiter manifestetur. Lucentius Episcopus, & Vicarius sedis Apostolicæ dixit. Iudicij sui necesse est eum dare rationem, quia cùm nec iudicandi personam haberet, præsumpsit, ac Synodum* (nota) *ausus est facere sine auctoritate sedis Apostolicæ, quod numquã licuit, nec vnquam factum est.* Dic quæso, numquid ea vnquam perlegisti? Si asseris, & reticeS, numquid malitia? si negas, numquid ignorantia? Cõcil. Chalcedon act. 1. tom. 2. Concil.

Obiectio.

Id non numeratur inter causas condemnationis Dioscori, vt patet ex Epistola Paschasini legati Apostolici de condemnatione Dioscori. pag. 208.

Responsio.

Vnde ergo hæc in eadem Dioscori condemnatione inserta reperiuntur verba? *Manifesta facta sunt, quæ à Dioscoro quondam Alexandriæ magnæ ciuitatis Episcopo, commissa sunt aduersus sanctum regularem ordinem, & Ecclesiasticam disciplinam, tam ex ijs, quæ dudum examinata sunt in priori confessu, quàm ex ijs, quæ hodie acta sunt.* Numquid verò contra regularem ordinem, Ecclesiasticamque disciplinam erat (vt mox ex prima eiusdem Synodi actione, & ex actis S. Stephani vidimus) Synodum facere absque sedis Apostolicæ auctoritate? *Canon enim Ecclesia-* Cõcil. Chalcedon. act. 3. Socrat. lib. 2. hist. cap. 17.

ſticus, inquit Socrates, *vetat præter Romani Pontificis ſententiam Eccleſias conuocari*, vel vt Carolus ipſe magnus in Capitulatibus, *Auctoritas Eccleſiaſtica, atque Canonica docet, non debere, abſque ſententia Romani Pontificis, Concilia celebrari.*

Capitul. lib. 6. cap. 187.

OBIECTIO.

pag. 207. *Theodoſius Imperator ſecundam Synodum Epheſinam coëgit.*

RESPONSIO.

Coëgit equidem, ſed non abſque S. Leonis ſummi Pontificis auctoritate. Id enim diſertis verbis idem S. Leo in Epiſtola, ad eamdem Synodum ſcripta, teſtatur, vbi de Theodoſio Imperatore Synodum cogente loquens. *Religioſa*, inquit, *clementiſſimi principis fides, ſciens ad ſuam gloriam maximè pertinere, ſi intra Eccleſiam Catholicam nullius erroris germen exurgeret, hanc reuerentiam diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis effectum, auctoritatem Apoſtolicæ ſedis adhiberet, tanquam ab ipſo Petro cuperet declarari, quod in eius confeſsione laudatum eſt.*

S. Leo epiſt. 15.

OBIECTIO.

pag. 206. *Theodoſius Dioſcorum præſidem Synodi nominauit, cum Iuuenali Ieroſolymorum Antiſtite.*

RESPONSIO.

Nominauit equidem, ſed nominando intentatum hactenus ſibi ius vſurpauit, quod Romani erat Pontificis iniuſtè prorſus ſibi arrogans: Nec enim Conſtantinus, ſed Siluester, Oſium Nicænę Synodi olim præſidem, nec idem Theodoſius, ſed Celeſtinus Pontifex, Cyrillum prioris Epheſinæ Synodi etiam præſidem, nominauerat. Vnde

ergo tanta nunc eidem Theodosio audacia, vt quod ei non competebat, nequiter appeteret, imò & arriperet? Mirum certè fuit, quòd tanta vnius Eunuchi Chrysaphij auctoritas tunc extiterit, vt eius arbitrio cuncta sursum, deorsumque agitarentur, Theodosiusque, vt ei faueret, Pontificiam sibi arrogaret potestatem. Sed vide quid tandem, Deo ipso vindice, euenerit. Talibus enim sacrilegijs cœptum istud Concilium, tantis postea sceleribus auctum, consummatumque fuit, dum nihil in eo nisi per vim, metumque extortum esset, dum loco sacrorum librorum gladij cernerentur, ac fustes, dum suffragiorum libertas velut catenis vincta appareret, dum pro Dei laudibus militum minæ audirentur, dum perfidus Hæresiarcha patronus, hæresisque stabilita videretur, dum de oppressa fide Catholica hæretica impietas exultaret, & de cæde Martyris Flauiani superba Dioscori tyrannis triumpharet, vt propterea Synodi prædatoriæ, Latrocinijque Ephesini sibi nomen iure meritoque posteritati acquisierit. Quid plura? Nec ipse Theodosius hęc perpetrans, vel saltem his consensum prębens, omnipotentis manum euasit, dum sequenti anno Imperio simul, & vita priuatur.

OBIECTIO.

Quò fit vt non possit negari Pontificem agnouisse Imperatoris indictionem esse legitimam. pag. 296.

RESPONSIO.

Quinimmò nec Leonem legitimam eam censuisse, tum ob angustiorem ab eo terminum Con-

cilio prefixum, adeo vt ei adesse nullus nisi magno cum incommodo posset, tum quia nulla esset legitima causa, propter quam Synodus deberet œcumenica celebrari, ex pluribus ab eo super hoc scriptis Epistolis constat. *Augustissimus, & Christianissimus Imperator* (inquit ille ad S. Pulcheriam scribens & apud eam super hoc expostulans) *cupiens quàm celerrimè turbata componi Episcopali Concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breue & angustum tempus indixit, diem Calendarum Augustarum præstituendo Conuentui, cùm à tertio Iduum Maiarum, quo serenitatis suæ scripta suscepimus, maior pars sit reliqui temporis assumenda, vt profectio sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari.* Alibi vero de causa minus legitima hęc ad eumdem Theodosium scribens testatur. *Quàmuis,* inquit, *ad diem Concilij Episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cùm nec aliqua de hoc exempla præcesserint, & temporalis necessitas me non patiatur deserere ciuitatem, præsertim cùm tam euidens causa sit, vt rationabilibus de causis ab indicenda Synodo fuisset abstinendum.* Quòd si obijcias, nec propterea Leonem Theodosij indictionem roprobasse, sat mihi sit, iam ex eodem S. Leone demonstrasse, non sine eius auctoritate factam fuisse huiusmodi indictionem, ac propterea, nec ei displicere potuisse. *Hanc reuerentiam,* inquit ad Synodum scribens, *diuinus detulit institutis* (Imperator) *vt ad sanctæ dispositionis effectum auctoritatem Apostolicæ sedis adhiberet.*

8. Leo epist. 13.

Idē epist. 17.

Idē epist. 15.

OBIECTIO.

pag. 206. *Cùm Dioscorus in Concilio sederet, & Legati*

Leonis illum auctoritate sedis Apostolicæ eijcere conarentur: Iudices à Martiano constituti responderunt, primùm videndum, quid Dioscoro obijceretur. Quæ verba satis indicant, nec Leonis censuram, nec rationem, propter quam Legati Leonis egrediendum Dioscoro contendebant, iam alicuius apud Patres fuisse momenti, cùm ijs disceptantibus, Dioscorus tunc temporis in sua sede remanserit, quousque contra illum accusatio informata esset, tunc enim Dioscorus, tanquam reus, sedere iussus est in medio consessu.

RESPONSIO.

Imò verò ex ipsius Concilij actis, & ex Euagrio constat, quanti momenti apud Patres, Iudicesque fuerit S. Leonis decretum, quo Dioscorus in Concilio sedere prohibebatur, quando morem ei gerentes Dioscorum in medio sedere iusserunt. Atque equidem ipsa acta hæc habent. *Paschasinus,* inquit, *reuerendissimus Episcopus & Vicarius sedis Apostolicæ dixit, Beatissimi atque Apostolici viri Papæ vrbis Romæ (quæ est caput omnium Ecclesiarum) præcepta habemus, quibus præcipere dignatus est, vt Dioscorus Alexandrinorum Archiepiscopus non sedeat in Concilio, sed audiens intromittatur, quod nos seruare necesse est. Quibus in Græco interpretatis per Beronicianum virum deuotissimum & secretarium sacri consistorij, gloriosissimi Iudices & amplissimus Senatus dixerunt, Quid enim specialiter ingeritur Dioscoro Episcopo. Paschasinus vero Episcopus & Vicarius sedis Apostolicæ dixit. Cùm intromissus fuerit, necesse est vt illi obijciatur.* Et post pauca. *Dioscoro Epis-* Cõcil. Chalcedoñ. act. 1. Ibidem.

copo Alexandriæ secundùm iussionem Iudicum & Senatus residente in medio, & residentibus Romanis & Episcopis in proprijs locis, &c. Euagrius verò. Qui loco Leonis, inquit, aderant, dicebant non debere Dioscorum in eodem cum ipsis esse consessu: Hoc enim ipsis in mãdatis esse ab Episcopo ipsorum Leone datum. Et cùm Senatus perconaretur, quid ergo de Dioscoro quererentur & accusarent, exposuerunt debere illum sustinere debitum sibi iudiciũ, & non gerere personam iudicis, quam sibi ipse præter æquum suscepisset. Hisce declaratis, quoniam ipse Dioscorus ex decreto Senatus in medio astabat, &c. Vnde colligas ipsos Iudices, Leonis decreto per Legatos sibi exhibito, deferentes, Dioscorum statim tamquam reum in medio stare iussisse.

Euagr. lib. 2. hist. cap. 4.

OBIECTIO.

pag. 207. *Si Leo vt Monarcha potuit deffinitiuè Dioscorum condemnare, vt quid Concilium rursus de eo cognouit?*

RESPONSIO.

Nunquid S. Leo deffinitiuè Dioscorum poterat condemnare, qui Martiani Imperatoris precibus adactus, pro bono pacis, cum Anatolio vitiose, ac tyrannicè per eumdem Dioscorũ in S. Flauiani locum subrogato, dispensans, vt Episcopus Constantinopolitanus remaneret, eidem etiam legem præscripserat, *Agat*, inquit ille ad Theodosium scribens, *clementiæ vestræ deuotissima fides, vt quamprimùm ad nos Constantinopolitani Episcopi, qualia debent probati & Catholici sacerdotis scripta perueniant, apertè, scilicet, & dilucidè protestantis, quod si quis de Incarnatione verbi Dei aliud aliquid credat, aut asserat, quam*

S. Leo epist. 33.

quàm Catholicorum omnium & mea professio protestatur, hunc à sua communione secernat, vt ei fraternam in Christo charitatem meritò possimus impendere. Et ad Martianum. *Nos,* inquit, *vestræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cùm secundùm suæ consecrationis auctores, eius initia titubarent, benigniores circa ipsum, quàm iustiores esse voluimus, quò perturbationes omnes, quæ, operante diabolo, fuerant excitatæ, adhibitis remedijs leniremus, quæ illum modestum magis, quàm immoderatum facere deberent.* Qui Bassianum Episcopum Ephesinũ totius Asiæ Primatem, illius sedis inuasorem deposuerat. Qui œcumenicæ Synodo Ephesinæ, quid circa Euthychetem decernendum esset, præscripserat. *Hoc est,* inquit, *vt primitùs pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui impudenter errauit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos, quibus imperitia eius fuerat irretita, plenè, apertèque, propria voce, & subscriptione damnauerit, quod etiam in libello quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram se esse secuturum sententiam.* Qui decretum in Synodo Chalcedonensi, de Primatu Constantinopolitanæ sedis post Romanam, factum, irritauerat. *Consensiones,* inquit, *Episcoporum & sanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes vnitæ nobiscum vestræ fidei pietate in irritum mittimus & per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus.* Qui denique secundæ Synodi Ephesinæ acta ipsa rescinderat. *Vestra veneranda clementia,* inquit Hilarus Apostolicus Legatus ad Pulcheriam scribens, *recognoscat, à præfato Papa cum omni Occidentali Concilio reprobari omnia, quæ in Epheso contra Cano-*

Idẽ epist. 54.

Testatur id Steph. act. 11. Cõcil. Chalcedonens.

S. Leo epist. 15.

Idẽ epist. 55.

tom. 2. Concil. in Præfat. Cõcil. Chalcedon.

nes, per tumultus, & odia sæcularia à Dioscoro Episcopo gesta sunt. Ad quem S. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus, à Dioscori & totius Synodi Ephesinæ, paucis exceptis, *contra se prolata sententia*, vt inquit Liberatus, *per eius Legatos appellauerat libello.* Cuius iudicium Theodoretus Cyri Episcopus, ab eadem Synodo condemnatus expetiuerat. *Ego*, inquit, *Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam, & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi appellanti iustum vestrum & rectum iudicium, opem ferat, & iubeat ad vos accurrere.* Sub cuius denique protectione, eodem teste Theodoreto, omnes Orientales erant Ecclesiæ. At, inquis, vt quid Concilium rursus de eo cognouit? Prudenter equidem S. Leo post condemnationem in Romano Cœcilio factam, iterum voluit vt de Dioscoro cognosceret Concilium vniuersale, tum vt Imperatoris Theodosij (quem à Chrysaphio Catholicæ veritati repugnante deceptum, senserat) desiderio aliquo modo satisfaceret. *Piè namque, ac religiosè*, inquit, *Christianissimus Imperator haberi voluit Episcopale Concilium, vt pleniore iudicio omnis posset error aboleri*; tum *Vt in vnum conuenientibus omnibus*, inquit alibi, *his qui aut ignorantia, aut timore prolapsi essent, correctionis remedijs consuleretur*, vel vt alio in loco, *Vt conuenientibus Orientalium prouinciarum Episcopis, si qui superati minis* (in secunda Ephesina Synodo) *atque iniurijs, à veritatis tramite deuiarunt salutaribus remedys in integrum reuocentur, ipsique quorum est causa durior, si consilijs melioribus acquiscant, ab Ecclesiæ vnitate non excidant.* Quid plura? quia in Concilio œcumenico Dioscorus S. Flauianum,

Liberat. Diacon. Breuiar. cap. 12.

Theodoret. epist. 115.

Idē epist. 118.

S. Leo epist. 15.

Idē epist. 87.

Idē epist. 25.

alioſque ſanctos Epiſcopos condemnare tantaq; flagitia perpetrare præſumpſerat, expediebat certè, vt in Concilio etiam œcumenico, idem S. Flauianus, alijque innocentes denunciarentur, ſicque Dioſcorus meritas ſceleris ſui pœnas exolueret. Vel denique id factum eſt. *Vt S. ipſe Leo*, inquit Valentinianus Imperator ad Theodoſium ſcribens, *congregatis ex omni orbe reliquis ſacerdotibus, omni præiudicio ſummoto, à principio omnem cauſam, quæ vertitur, ſollicita probatione cognoſcens, ſententiam ferret, quam fides, & ratio veſtræ dignitatis expoſtulat.* Extat tom. 2. Concil. ante Cõcil. Chalcedonenſ.

OBIECTIO.

Regulariter & ordinariè conſenſus Romani Pontificis neceſſarius eſt in generalibus Concilijs, ſed negamus hunc conſenſum, vnà authoritatem indicendi Concilij inuoluere, & implicare. pag. 208.

RESPONSIO.

Nunquid verò Iuriſconſultus ignorare potuit Canones in corpus Decreti ſuper hoc relatos? *Synodum Epiſcoporum*, ait Canon 1. diſt. 17. *abſque huius ſanctæ ſedis authoritate (quamquam quoſdam Epiſcopos poſſitis congregare) non poteſtis regulariter facere.* Et Can. ſequenti, *Nec vllum ratũ eſt, aut erit vnquam Concilium, quod non fultum fuerit eius auctoritate.* Et Can. 5. *Multis denuò Apoſtolicis & Canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruimur regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Ergo non conſenſus tantùm, ſed etiam auctoritas, imò & ſententia, ſeu decretum ſummi Pontificis pro legitima Concilij celebratione requiritur. Hinc & in ipſo Nicæni Canonis textu (quem & Apoſtolicum Can. Synodũ diſt. 17. Ibidem can. Regula. Ibidem can. Multis.

S. Marcell. epist. 1. esse ex S. Marcelli Papæ Epistola ad Episcopos Antiochenæ Prouinciæ apparet) græcum nomen γνώμη, quod decretum sonat, vsurpatum reperitur, τῇ ἐκκλησιαστικῇ κανόνι καλοῦντι, inquit Socrates, μὴ δεῖν ἔξω γνώμης τῆς ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς

Socrat. lib. 2. hist. cap. 17. ἐκκλησίας, id est, *Ecclesiastico Canone iubente, non oportere Ecclesias, κανονίζειν, ad normam seu regulam dirigi*, quod maxime in Concilijs fit (nisi malueris librariorum vitio mendum hîc agnoscere, & pro κανονίζειν, κοινωνεῖν, quod *in communionem venire*, sonat, reponere) *absque sententia, seu decreto Romani Pontificis*: Vel vt habetur in Capitularibus, *Auctoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet non debere absque sententia*

Capitul. lib. 6. cap. 187. *Romani Pontificis Concilia celebrari.* Hinc & Sixtum

Sixt. in epist. ad Oriental. 3. asserentem legimus, *Valentinianus Augustus nostra auctoritate Synodum conuocauit.* Hinc & Pelagium,

Pelagius in epist. 1. ad Oriental. *Generalium Synodorum conuocandi auctoritas Apostolicæ sedi beati Petri singulari priuilegio tradita est.*

Obiectio.

pag. 208. *Nicænos Patres Canonem hunc condidisse negamus, quia talis Canon inter Nicænos minimè occurrit. Quam ad rem confirmandam lectione sola opus est, nam præter 20. Canones Nicænos nulli alij fuerunt.*

Responsio

Nunquid verò te iterum ad Decreti lectionem reuocabo? vt iam discere incipias, quod tu te nescire profiteris, nempe multò plures, quàm viginti Canones in Concilio Nicæno editos. *Septuaginta*

Can. Septuaginta. 16. distinct. *Nicæni Concilij capitula*, inquit Canon 12. dist. 16. *quæ de præfata Synodo, iubente domino meo Alexandro,*

decreto omnium Episcoporum attuli, quæ sunt igne combusta, optamus, vt à vestræ sanctæ sedis auctoritate percipere, per presentes Legatos, mereamur. Et infra. *Præsentibus nobis octaginta Capitula, in memorata Synodo tractata sunt, quadraginta à Græcis græca edita lingua, & quadraginta à Latinis similiter latina edita lingua: Sed visum est*, 318. *Episcopis Spiritu sancto repletis, & maximè iam dicto Alexandro, & Apostolicæ sedis Apocrisarijs, vt decem Capitula adunarentur alijs, atque congruis locis insererentur, & ad formam 70. discipulorum, vel totius orbis terræ linguarum, septuaginta tanti & tam excellentis Concilij fierẽt Capitula, quæ omnem Christianorum informarent orbem.* Quæ quidem ex S. Athanasio, qui eidem Synodo interfuit, desumpta, supinæ admodum Simonem arguunt ignorantiæ: Hinc & apud Iuonem legimus. *Capitula Nicæni Concilij testimonio Athanasij septuaginta, in figuram septuaginta discipulorum scripta, non dubitamus: è quibus viginti tantum in sancta Romana Ecclesia habentur, sed quo neglectu alia defecerint, ambiguum est.* Vnde colligere est Nicænos Canones aliquod passos esse naufragium. Quod & tabulæ, quæ hinc inde apud grauissimos auctores dispersæ, reperiuntur manifestè indicant. Sanctus equidem Hieronymus non obscurè testatur de scripturis authenticis in eadem Synodo editum fuisse Canonem, cùm de libro Iudith agens, *Quia*, inquit, *hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ:* Et tamen Canon ille inter viginti à Simone relatos non inuenitur. Quid proferam S. Ambrosium, qui & Nicænum Canonem de bigamis non ordinandis,

Iuo part. 4. cap. 232.

S. Hieron. epist. 111.

S. Ambros. in epist. ad Vercell. Eccles.

qui tamen non extat, bis verbis recitat? *Prius*, inquit, *cognoscamus, non solùm hoc Apostolum de Episcopo, & Præsbytero statuisse, sed etiam Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse, neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.* Quid S. Athanasium, alium item Canonem de prouocatione à minore Synodo ad maiorem, ex S. Iulij Epistola, producentem. *Episcopi*, inquit, *in magna Synodo Nicæna congregati, non sine Dei consilio permiserunt, prioris Synodi acta in alia Synodo examinari.* Et paulò pòst. *Quod si eiusmodi cõsuetudo olim fuit, eiusq; memoria renouata est, & scripto prodita in magna Synodo, eamque apud vos valere non finitis, rem profectò indecoram facitis.* Quid S. Basilium in Epistola ad Chorepiscopos, alium eiusdem Synodi canonem de Clericis ordinandis, ac ducendis ad Chorepiscopum, & à Chorepiscopo ad Episcopum recitantem? Quid S. Augustinum, alium insuper exhibentem, quo cauetur, ne Episcopus aliquem sibi successorem relinquat, cùm de Eradio Presbytero coadiutore sibi in Episcopali functione allegendo, quem & successorem sibi optabat, ipse ageret. *Adhuc*, inquit ille (vt testantur Acta publica à Baronio relata) *in corpore posito beatæ memoriæ patre, & Episcopo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno* (nota) *prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Quod & Possidius non obscurè declarat, cùm de eodem S. Augustino à Valerio coadiutore assumpto, loquens. *Hoc*, inquit, *in seipso posteà fieri non debuisse, vt viuo Episcopo suo ordinaretur, & dixit, & scripsit propter Concilij vniuersalis* (Nicæni nempe) *vetitum, quod iam ordinatus didicit, nec quod*

S. Athanas. in Apolog. 2.

S. Basil. in epistol. ad Chorepisc.

Baronius ad annum 426. numero 10.

Possid. in vita S. August cap. 8.

sibi factum esse doluit, aliys fieri voluit. Quid Africanos Patres, in tertio Carthaginensi Cõcilio, Canonem 48. eiusdem Synodi hucusque desideratum, de sacrificio à ieiunis offerẽdo referẽtes? *De fide Nicæna,* inquiunt, *tractatus audiuimus. Verùm & de sacrificijs inhibendis post prandium, vt a ieiunis sicut dignũ est offeratur, & tunc, & nunc cõfirmatum est.* Quid denique memorem & Canones illos octoginta Nicænos, quos integros ex libro Patriarchæ Alexandrini Arabico descriptos, R. P. Franciscus Turrianus Societatis Iesu Latinè reddidit. Quibus omnibus libenter addam & testimonium Photij Episcopi Constantinopolitani, qui in Bibliotheca sua scribit se legisse acta Synodi Nicænæ, tribus voluminibus à Gelasio quodam scripta: Et beati Isidori, qui se audiuisse ait, ex duobus de consortio fratrũ suorum, quos dicit Episcopos, qui ex Oriente venerant, & affirmabant vidisse se in Oriente ingens volumen actorum Synodi Nicænæ, in quibus cõtineri aiebant iudicia querimoniarum, & definitiones, & constitutiones: Necnon & glossam Canoni *Septuaginta* in Gregoriano decreto insertam. Vnde planum mehercle fit, plures, quàm viginti Canones, à Nicænis Patribus fuisse editos.

Concil. Carthag. 3. sub Siricio can. 29.

Habentur tom. 1. Cõcil. nouæ edit. Colonien. Seueri. Binij post Concil. Nicæn. pag. 368. & seqq.

Phot. in Biblioth.

Isidorus in Præfat. Concil.

Gloss. in can. Septuaginta. verb. Septuaginta. dist. 17.

OBIECTIO.

Præter viginti Canones Nicænos nullos alios fuisse testem habemus Atticum Constantinopolitanum Episcopum.

pag. 208.

RESPONSIO.

Vnde ergo Atticus ipse, cùm de calculatione, seu supputatione literis Formatis (quarum communi-

catione vniuersa compaginari deberet Ecclesia) olim apponi solitæ agit, Nicænis eam Patribus ascribit? *Ne*, inquit, *in faciendis Epistolis canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à Patribus trecentis decem & octo Nicææ congregatis saluberrimè inuentum est, & constitutum, vt formatæ Epistolæ hanc calculationis, seu supputationis habeant rationem.* Si Canones Nicænos vicenarium numerum non excessisse putauit?

Isidor. in fin. Cõcil. Chalcedonens.

OBIECTIO.

pag. 210. *Multos Canones pro Nicænis suppositos fuisse, certissimum est, testibus Synodo Chalcedonensi, & Africana.*

RESPONSIO.

Vbinam gentium in Chalcedonensi Synodo assertum reperies multos Canones pro Nicænis fuisse suppositos? Quinimmò cùm ad retundendam Anatolij Constantinopolitani audaciam (qua absentibus legatis Apostolicis, Iudicibusque, Canonem de Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegijs sancire præsumpserat) Paschasinus Legatus contradicens, quintum Canonem Concilij Nicæni de diœceseôn distinctione retulisset. *Legati contradictio*, ait Liberatus, *à Iudicibus Concilij, & Episcopis omnibus suscepta est.* Quòd ad Synodum autem Africanam spectat, nequaquam Episcopi Africani, post explorata Græcorum exemplaria, non iuuentis etiam à Zozimo Papa citatis Canonibus, impostura, aut suppositionis ipsos Canones à Zozimo, Synodi Nicænæ nomine, citatos arguerunt, sed tantùm summisso animo se non id inuenisse, de quo

Liberat. Diacon. in Breuiar. cap. 13.

quærebatur, profitentes, Cælestinum summum Pontificem rogauerunt, vt maiori cautela querelas ex Africa ingerentes susciperet, ne sic iudicia ritè ab eis, probeque facta, perirent. Cœcil. Afric. in epist. ad Cæles.

OBIECTIO.

Theodoretus lib. 1. cap. 8. apertè etiam testatur Patres Nicænos viginti Canones edidisse. Idem Ruffinus. pag. 210.

RESPONSIO.

Quòd ad Theodoretum, Ruffinumque spectat, licet ille viginti, hic autem viginti duos Canones in eodem Concilio sancitos, enuntient, non tamen pernegant, quin & alij plures sanciri ab eodem potuerint. Imò paulò pòst & alios ab his viginti, ab eodē Concilio factos, se credere demonstrant, dum Canonis de Paschatis celebratione, ab eodem Concilio editi, (qui tamen inter priùs numeratos non reperitur) meminerunt. Ac Theodoretus quidem in edicto Constantini ad Ecclesias missо, hæc contenta asserit. *Omnium*, inquit, *communi placuit iudicio sanctissimam Paschatis festiuitatem vna, eadémque die peragi.* Ruffinus verò. *De obseruatione Paschæ*, inquit, *antiquum Canonem, per quem nulla de reliquo varietas oriretur, Ecclesijs tradiderunt.* Theod. lib. 1. hist. cap. 10. Ruffin. lib. 1. hist. cap. 6.

OBIECTIO.

Quid supereſt ad ampliorem fidem, quàm Pontifices ipsos testes adhibeamus? Equidem can. Prima adnotatio. *dist. 16. refert Patres Nicænos condidisse viginti Canones.* pag. 210.

RESPONSIO.

Optimè equidem ad summos ipsos Pontifices,

eximios veritatis sectatores recurramus, eorumque testimonijs fideliter inhæreamus. Canonem *Prima adnotatio.* dist. 16. allegas, qui tamen nihil eorum habet, quæ tu asseris. Consulat candidus Lector. Quòd si de priori Canone, cuius initium est. *Prima autem Synodus.* loqui te velle dicas, vbi viginti Canones in Concilio Nicæno sanciti asseruntur, primùm scias velim, non esse alicuius summi Pontificis Canonem istum, sed Anselmi, cui per sequentes, tum ex S. Athanasio, tum ex Stephano Papa desumptos, derogatum, nemo est, qui non videat. *Ad formam septuaginta discipulorum*, inquit S. Athanasius, *vel totius orbis terræ linguarum septuaginta tanti, & tam excellentis Concilij facta sunt capitula, quæ omnem Christianorũ informarent orbem.* Stephanus autem Papa apud Iuonem. *Capitula Nicæni Cõcilij testimonio Athanasij septuaginta in figuram septuaginta discipulorum scripta non dubitamus.* Quæ si non sufficiant, accipe, quæ Gregorius X. summus Pontifex in Epistola ad Regem Armeniorum scripta, cùm Concilium Lugdunense indixisset, testatur. *Quia verò*, inquit, *multipliciter expedit vt in eiusdem celebratione Concilij antiquorũ Cõciliorum copiam habeamus, celsitudinem regiam rogamus, & hortamur attentè, quatenus integrum Nicænum Concilium, & alia Concilia, quæ habere diceris in Armenica litera, cum aliquibus peritis interpretibus, nobis cum ea, qua poteris celeritate transmittas.* Si ergo integrum sibi mitti postulat summus Pontifex Nicænum Concilium, non sibi integrum illud suppetere credidit. Ideò & glossa Can. *Septuaginta.* apposita hæc habet. *Tuneti*, inquit, *& Alexandriæ inuenti sunt octoginta Canones Arabice*

Can. Septuaginta. dist. 16.

Iuo part. 4. cap. 232.

Gregor. 10. in epist. ad Regẽ Armeniç.

Glossa can. Septuaginta. verb. Septuaginta. dist. 16.

scripti sub nomine huius Concilij (Nicæni) *qui Romæ in Arabica, & Armenica lingua scripti penes Cardinalem Sirletum sunt, & nuper etiam in Latinam linguam conuersi sunt, & impressi.* Et hæc quidem omnia Iurisconsultus ignorare non debuisset.

OBIECTIO.

Gratianus huius Canonis auctorem laudat Iulium, vt reuera est auctor. Illam enim regulam primus posuit, & eũ secuti sunt aliquot scriptores. pag. 210.

RESPONSIO.

Quin potiùs S. Marcellum, à S. Petro 31. summum Pontificem, huius Canonis auctorem Gratianus facit. Cùm enim dixisset: *Auctoritas congregandorum Cõciliorum penes Apostolicam sedem est.* Protinus addit. *Vnde Marcellus Papa scribit Maxentio. Synodum Episcoporum absque huius sanctæ sedis auctoritate, non potestis regulariter facere.* Quòd ad Iulium autem spectat, quomodo Canonis auctor esse potuit, qui eum, velut iam editum, allegauit? *Regula vestra,* inquit ille à Gratiano citatus, *nullas habet vires, nec habere poterit, quoniam nec ab Orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est, nec Romanæ Ecclesiæ legatus interfuit, Canonibus* (nota) *præcipientibus, sine eius auctoritate Concilia fieri non debere.*

Gratian. in princip. dist. 17.

Idem can. 1.

can. Regula. distinct. 17.

OBIECTIO.

Epistolam Marcelli probaui fictitiam. pag. 210.

RESPONSIO.

Nescis ergo duas Marcello ascribi Epistolas, quarum vna ad Episcopos per Antiochenam prouinciam constitutos, altera verò ad Maxentium scripta deprehenditur? Qualis ergo illa est, qua

negotium tibi faceſcit, quãdoquidem in vtraque aſſertum reperitur, nullam Synodum abſque ſanctæ ſedis Apoſtolicæ auctoritate fieri legitimè poſſe. In priore enim. *Apoſtoli*, inquit, *inſpirante Domino, conſtituerunt, vt nulla Synodus fieret præter eiuſdem ſedis auctoritatem.* In poſteriore autem. *Synodum Epiſcoporum, abſque huius ſanctæ ſedis auctoritate, non poteſtis regulariter facere.* Si igitur de priore tantùm conquereris, iam à poſteriore, quæ à te non contradicitur, firmiſſimum ſumemus argumentum. Quòd ſi poſterior faſtidio tibi eſt, numquid propterea fictitia tibi illa videbitur, quæ grauiſſimorum auctorum calculo comprobata reperitur? Nonne Gratianus ex ea tanquam probata, & authentica Canonem elicuit? Nõne Anſelmus, nonne Iuo, nonne Gregorius Preſbyter Polycarpi auctor, idem fecerunt? Quòd ſi pro eiuſdem fide plura adhuc deſideras, ea conſule, quæ Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius, pro eius defenſione literis prodidit, vel ſaltem priori Epiſtolæ indubitatam adhibeto fidem, quando ſuper vna tantùm litem moues.

S. Marcell. epiſt. 1.

Idẽ epiſt. 2.

Gratianus can. 1. diſt. 17. Anſel. lib. 2. cap. 60. Iuo part. 4. cap. 240. Polycarp. lib. 1. cap. 13. Baronius ad annum 308. numero 24.

Obiectio.

pag. 211. *Dicebam Marcellum ſcripſiſſe, ab Apoſtolis conſtitutum, ne abſque ſententia Romani Pontificis Synodi haberentur. At nulla de hac re extat memoria, vel in tota ſcriptura, vel in Canonibus Apoſtolorum.*

Responsio.

Quaſi verò neceſſarium omnino ſit, vt omnia, quæ ab Apoſtolis conſtituta ſunt, vel in ſcriptura,

vel in Canonibus Apostolorum habeantur. *Numquid oportet*, inquit S. Epiphanius, *& traditione vti? Non enim omnia à diuina scriptura accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.* Vel vt S. Augustinus. *Licèt Apostoli de hac materia nihil præscripserint, consuetudo tamen illa ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis bene præcepta creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Sufficiat ergo hîc loco scripturę, Canonumque Apostolicorum, Caroli Magni tam illustris assertio. *Auctoritas*, inquit, *Ecclesiastica, atque Canonica docet non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Auctoritas, inquit, non Ecclesiastica tantùm, sed & Canonica, quo vtrumque & Scripturæ nempe, & Canonum designaret fundamentum.

S. Epiph. hæres. 61.

S. August. li. 5. de bapt. contra Donatist. cap. 23.

Capitul. lib. 6. cap. 187.

Obiectio.

Dicebam Synodos Galliæ, Hispaniæ & Germaniæ à solis Principibus coactas, imò & confirmatas, non quæsita, aut expectata Pontificis auctoritate, seu consensu, quarum Canones obseruat Ecclesia. pag. 111.

Responsio.

Dixisti equidem, sed malè, ideòque nec eius generis aliquas saltem nominare Synodos ausus fuisti. Quid ergo? Anne nouatoribus ipsis hæreticis peior deprehendêris, illud negando, quod necipsi controuertunt? Caluinus etenim, Illyricusque, licèt super Concilij generalis congregatione, quam Imperatori tribuunt, litem nobis

Caluin. lib. 4. Instit. cap. 7. §. 8. Illyric. Centur. 4. cap. 7. col. 514.

moueant, in hoc tamen nobiscum, & cum S. Augustino conueniunt, quòd Cõcilia Diœcesana ab Episcopo, Prouincialia ab Archiepiscopo, Nationalia à Patriarcha, vel Primate conuocari debent. Tu verò nouus Arpinas, nouus homo nouitate gaudens, Concilia etiam ipsa particularia, qualiacumque tandem sint, principibus competere iam astruis: Valentiniano Imperatori in hoc multùm dissimilis, qui cùm ab Episcopis rogaretur, vt permitteret eis Concilium celebrare, teste Sozomene, *Mihi*, inquit, *qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosius perscrutari, sacerdotes, quibus ista curæ sunt, quocumque voluerint loco conueniant.* Atque equidem si ita est, vt tu asseris: Vnde ergo tot Concilia Galliæ, Hispaniæ & Germaniæ, quæ nec à Principibus ipsis conuocata, sed vel à summo Pontifice, vel à Prælatis, aut si conuocata à Principibus, non nisi ipso summo Pontifice vel auctoritatem dante, vel confirmante, peracta fuêre. Mihi non credis? Inductione palam istud fiet. Prodeant itaque præcipua cuiusque sæculi per mille annos celebrata Concilia, non in Gallia tantùm, sed & in Hispania & in Germania. Concilium Arelatense 1. Constantini literis anno 314. coactum reperimus, sed audi quid Patres in eo congregati pro eorum, quæ decreuerant, confirmatione ad S. Siluestrum Papam rescripserint. *Domino ac sanctissimo fratri Siluestro Episcopo, Marinus, & cœtus Episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quæ decreuimus communi Concilio charitati tuæ significamus, vt omnes sciant, quid in futurum seruare debeant, &c.* In Concilio Suessionensi anno 853. celebrato act. 5. fit men-

S. August. epist. 217. ad Victoria.

Sozom. lib. 5. hist. cap. 7.

Summa Cõcil. in Præfat. Concil. Arelat.

tio Cõcilij Eliberitani, *Quod*, inquit, *actum est tempore Constantini, cum missis Apostolicæ sedis.* In Concilio Taurinensi anno 397. coacto, cùm causa Felicis tractaretur, *Illud decreuit sancta Synodus*, inquiũt acta, *vt si quis ab eius communione se voluerit sequestrare, in nostræ sanctæ pacis consortium suscipiatur, iuxta literas Romanæ Ecclesiæ sacerdotis dudum latas, quæ in Concilio legatis præsentibus, recitatæ sunt.* Anno 405. cum Toletana 1. Synodus contra Priscillianum cogenda esset, Innocentius 1. Pontifex Epistolam ad eam misit, in qua hæc inter alia, *Sæpe me*, inquit, *& nimium cùm teneret cura sollicitum super dissensionis schismate Ecclesiarum, quo malum per Hispanias in dies separationis gradu incedere fama ipsa loquitur*, &c. In actis verò ipsius Synodi, hæc de Priscillianistis ad Ecclesiam reuertentibus, Patres testantur. *Constituimus*, inquiunt, *vt priusquam illis per Papam, per sanctum Simplicianum communio reddatur, non Episcopos, non Presbyteros, non Diaconos, ab illis ordinandos, vt sciamus, si vel nunc sciant sub hac conditione remissi tandem Synodicæ sententiæ præstare reuerentiam.* Vbi notandum est istud de Simpliciano Mediolanensi Antistite, tanquam sedis Apostolicæ Legato, dici. Anno 429. Authoritate Cælestini summi Pontificis, coacto in Gallijs Concilio, S. Germanus Antissiodorensis Episcopus in Angliam contra hæresim Pelagianam recrudescẽtem mittitur. In Concilio Bracarensi anno 447. hæc à Lucretio Episcopo illius præside dicta leguntur. *Beatissimus*, inquit, *Papa vrbis Romæ Leo, per Turibium Notarium sedis suæ, ad Synodum Gallæciæ, contra impiam Priscilliani hæresis sectam, scripta sua direxit, cuius etiam præcepto*

Cõcil. Suess. act. 5. apud Baronium anno 853. numer. 10.

Concil. Taurin. cap. 5.

Innocent. in epist. ad Cõcil. Tolet. 1. apud Baron. anno 405. numer. 44.

Acta Tolet. 1. Concil. apud Baron. ibid. numero 54.

Baronius ad annum 429. numero 10.

Concil. Brac. 1. in Præfat.

Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitani quique ac Bætici, facto inter ſe Concilio, regulam fidei contra Priſcillianam hæreſim cum aliquibus capitulis deſcribentes, ad Balconium tunc huius Bracarenſis Eccleſiæ præſulem direxerunt. Cùm in Concilio Arauſicano anno 463. de gratia, & libero arbitrio contra Pelagianos decernendum eſſet, audi quid S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, qui ei præerat, præfatus ſit. *Peruenit*, inquit, *ad nos eſſe aliquos, qui de gratia, & libero arbitrio minùs cautè, & non ſecundùm fidei Catholicæ regulam ſentire velint. Vnde & nobis ſecundùm auctoritatem & admonitionem Apoſtolicæ ſedis iuſtum, & rationabile viſum eſt, vt pauca capitula ab Apoſtolica nobis ſede tranſmiſſa, in hac præcipuè cauſa collata ſunt, ad docendos eos, qui aliter quàm oportet ſenſerũt, ab omnibus obſeruanda proferre.* Hinc cùm varijs de cauſis ſæpius tunc celebrandæ Synodi eſſent, tum in Gallijs, tum in Hiſpania anno 482. Simplicius Papa vices ſuas delegauit Zenoni Hiſpalẽſi Epiſcopo in omnibus Hiſpaniarum Eccleſijs, *Congruum duximus*, inquit, *vicaria ſedis noſtræ te auctoritate fulciri, cuius vigore munitus*, &c. Sicut & anno 514. Hormiſdas ſummus etiam Pontifex S. Remigio Rhemenſi Epiſcopo. *Quoties*, inquiens in Epiſtola ad eum ſcripta, *vniuerſale poſcit religionis cauſa Concilium, te cuncti fratres euocante, conueniant.* Dixerat autẽ paulò antè, *vices noſtras per omne regnum dilecti, ac ſpiritualis filij noſtri Ludouici, quem nuper, adminiculante ſuperna gratia, pluribus & Apoſtolorum temporibus æquiparandis ſignorum miraculis, prædicationem ſalutiferam comitantibus, cum gente integra conuertiſti, & ſacri dono baptiſmatis conſecraſti, preſenti auctoritate*

In Præfat. Cõcil. Arauſic. 2. apud Baronium ad annum 463. numero 11.

Simpl. epiſt. 1. & apud Baronium ad annum 482. numero 45.

Citatur ab Hincmaro Rhemenſ. epiſt. 8. cap. 11. Mog. edit.

ctoritate committimus. Anno 563. celebratum reperimus Concilium aliud Bracarense, vbi ex præscripto sedis Apostolicæ iterum damnata est hæresis Priscilliana, lecta ibidem Romani Pontificis Epistola, quam ad Profuturum Bracarensem Episcopum antea miserat. *Cùm de certis quibusdam causis*, inquiunt Patres, *instructionem apud nos sedis Apostolicæ habeamus, quæ ad interrogationes suas, quondam venerandæ memoriæ prædecessoris tui Profuturi prudentia, ab ipsa beatissimi Petri accepit cathedra.* Anno 572. cùm auctoritate Theodimiri Hispaniarũ Regis Concilium Lucense cogeretur, audi quid ipse Rex in ipso Constitutionis suæ exordio, testatus fuerit. *Ego Theodomirus Rex*, inquit, *coadunato Dei nutu Concilio in Lucensi iam præfatæ Prouinciæ vrbeomnium Catholicorum Episcoporum, seu Religiosorum virorum, nobis ab ipsis intimatum est vno animo, cordeque perfecto, auctoritate etiam sedis Apostolicæ sancti Petri, cuius legationem læti excepimus.* Anno 589. cùm in Concilio Valentino in Gallia super donationibus à Gunthranno Rege, & eius vxore factis, decernendum esset, accipe quid Patres sanxerint. *Primum*, inquiunt, *auctore Deo decernimus sanciendum, vt quod prædictus Rex, & beatæ memoriæ Austrechildis Regina sanctis contulissent, aut adhuc conferrr decreuerunt, auctoritate Apostolica deberet sancta Synodus presenti titulo manuum suarũ subscriptione firmare.* Eodem quoque anno Lucas Tudensis testatur S. Leandrum Legatione fungentem pro Pelagio 2. Romano Pontifice interfuisse, & præfuisse Concilio Toletano 3. quod & his verbis refert S. Isidorus. *Interfuit*, inquit, *tunc dignitate Primus, ille Catholicus*

Baronius ad annum 563. numero 15.

Ambros. moria. Chro. lib. II. cap. 26.

Baronius ad annum 589. numero 2.

S. Isidor. in Chron.

& orthodoxus Leander Hispalensis Episcopus & Romanæ sedis Legatus. Anno quoque 590. Synodus Hispalensis celebrata fuit, cui interfuerunt octo Episcopi, qui tria in Synodo facta decreta ad eumdem Pelagium, quem tunc adhuc viuere putabant, firmanda direxerunt. Circa annum 599. & 600. tempore Gregorij magni plurima tum in Gallijs, tum in Hispanijs celebrata reperiuntur aduersus Simoniacam hæresim, Concilia, ipso Gregorio & iubente, & decernente, necnon & Cyriacum Abbatem, qui ijs vice sua præesset, mittente, vt ex pluribus eiusdē S. Gregorij Epistolis ad Brunichildem Reginam, Theodoricum, & Thodebertum Francorum Reges, alioſque ſcriptis colligere licet. Quin & anno 603. missam sibi ab ijsdem Brunichilde, & Theodorico Legationem, vt Legatum mitteret, qui Synodum in Gallia cogeret, ipse S. Gregorius testatur, *Præfati*, inquit, *magnifici filij nostri, dato Capitulari inter cæteras petitiones, quod sibi vestra perhibuere iussione mãdatum, vt talis debeat à nobis in Gallias persona transmitti, quæ facta Synodo cũcta, quæ contra sacratissimos Canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore posset corrigere.* Anno 633. Concilio Toletano 4. Isidorus Hispalensis Episcopus. *Romani Papæ*, inquit Tudensis, *in Hispania vicem gerens*, præfuisse legitur. Anno 684. Ex Concilio Toletano 14. missa solemnis legatio fuit ad summum Pontificem Leonem 2. quem Patres ibidē congregati in viuis adhuc esse existimabant, vt per literas excusatorias ab eo, si tam citò, vt iusserat, non conuenissent, ijdem patres veniam postularent. *Placuit proinde*, inquiunt acta, *illo tunc tempore Apologeticæ*

Summa Cõcil. in Præfat. Cõcil. Hisp. Baronius ad annum 590. numero 26.

S. Greg. lib. 7 epist. 113. 114. & lib. 9. epist. 53, 54. 55. & 57.

Idem lib. 11. epist. 8. indict. 6.

Concil. Toler. 14. can. 3.

defensionis nostræ responsis satisfacientes, Romano Pōtifici, ea ipsa gesta firmare, nostræque fidei assensum purissima verborū enodatione depromere. Anno 688. finito Concilio Toletano 15. cùm Benedictus summus Pontifex ad Hispaniæ Episcopos ante biennium rescribens, eos monuisset, vt corrigerent nonnulla, quæ in scriptis ab ijs literis, Romamq; missis cum subscriptionibus Episcoporum, legisset, quibus probarentur ea, quæ de fide Catholica in Constantinopolitana Synodo decreta fuerant. *Julianus Episcopus Toletanus*, inquit Rodericus, *veridicis testimonijs ad exactionem Principis, per oracula eorum, quæ Romam transmiserat, verum esse firmauit, & Apologeticum fecit, & Romam misit per suos Legatos Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum viros eruditissimos. Quod Roma dignè & piè susciptens cunctis legendum indixit. Qui & rescriptum domino Iuliano per suprafatos Legatos cum gratiarum actione, & honore remisit.* Roderic. Tolet. lib. 3. de reb. Hisp. cap. 14. Baronius ad annum 688. numero 3.

Anno 741. *Pipinus*, inquiunt Capitula ab Episcopis prouinciarum Rhemensis ac Rothomagensis ad Ludouicum Regem missa, *Synodum apud Liptinas congregari fecit, cui præfuit cum S. Bonifacio Legatus Apostolicæ sedis Gregorius nomine.* Anno 742. & 743. duplex Synodus sub Carolomanno Francorum Principe ab eodem S. Bonifacio Apostolicæ sedis Legato facta reperitur, de quibus ita Benedictus Leuita, qui earum capitula collegit. *Sequuntur*, inquit, *duo Synodales conuentus, quos sanctæ Romanæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Legatus Bonifacius Maguntiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus, vice Zachariæ Papæ vna cum Carolomanno Francorum Principe Canonicè tenuit, vt agnoscant omnes, hæc prædictorum Principum* Citantur á Baron. anno 858. num. 27. Benedict. Leuit. in Præfat. lib. 5. Capitul. affixa.

Capitula maximè Apostolica auctoritate fore firmata. Plura quoque sub Carolo magno Francorum Rege, eiusque filijs celebrata leguntur Concilia, quæ tamen non nisi Romani Pontificis assensu facta fuêre, sicut & ipse Carolus in suis Capitularibus non obscurè testatur: Vbi enarratis his, quæ in Cõcilio Vvormatiensi in Germania anno 770. sancita fuerant, addit. *Auctoritas Ecclesiastica, atque Canonica docet non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari.* Hinc cùm in Theodonis villa anno 806. celebrandum esset Concilium, missa ab eodem Carolo ad Leonem summum Pontificem legatio fuit. *Ad consultandum*, inquit ille, *patrem nostrum Leonem Papam, sacerdotes nostros mittimus.* Et infra. *Qualiter consultu domini & patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, auctoritate, & consensu definitũ est, vobis omnibus vtriusque ordinis ministris scire voluimus.* Cumque in eodem Concilio. *Partitio regni Francorum*, inquiunt Annales, *ab eodem Imperatore inter filios suos facta fuisset, vt sciret vnusquisque eorum, quam partem tueri & regere debuisset, si pater eum superstitem relinqueret: De hac partitione testamentum conscriptum, & ab optimatibus confirmatum, & Leonis Apostolici subscriptione confirmatum est.* Hinc & in Concilio Aquisgranensi, Ludouico Pio presente, anno 817. coacto, Legatos Apostolicos interfuisse Leo Ostiensis testatur. Concilium etiam Suessionense præsente Carolo caluo anno 853. celebratum, petente Hincmaro Rhemorum Antistite cum vniuerso Concilio à Benedicto 3. & Nicolao 1. summis Pontificibus confirmatum, ex Epistola eiusdem Nicolai

Capitul. lib. 6. cap. 187.

Capitul. lib. 5. cap. 33.

Ibid. cap. 34.

Annal. incert. auct. anno 806.

Leo Ostiens. lib. 1. cap. 18.

ad eumdem Hincmarum scripta, discimus. *Synodum*, inquit, *illam, quæ à te & venerabilibus Archiepiscopis & Episcopis in vrbe Sueßionum fuerat celebrata, & à decessore nostro beatæ memoriæ Benedicto Papa est confirmata, sicut idem sanctæ recordationis Pontifex illam confirmauit, ita & nos eam confirmatam & irrefragabilem perpetuòque mansuram, Apostolica auctoritate confirmamus, saluo tamen Romanæ sedis in omnibus iussu, atque iudicio.* Anno 863. Concilium Siluanectense (cùm idem Carolus ei interesset) Synodali Epistola per Odonem Bellouacorum Episcopum ad eumdem Nicolaum missa, ab eodem petiuit confirmari, quod tamen non obtinuit: Imò Nicolaus appellationi Rothaldi Suessionensis Episcopi ad sedem Apostolicam factæ, detulit, eosque, qui depositioni eius consenserant Romæ adesse præcepit. Quod cùm ab Hincmaro, trina licèt citatione compulso, negligi cerneret Nicolaus, Concilium Suessionis anno 866. indici iussit, literis in eum finem ad Hēricum Turonensem Archiepiscopum scriptis, vbi hæc inter alia. *Iam verò*, inquit, *si hunc flecti adhuc munda conscientia non permittit, præcipimus, vos vnà cum ceteris Archiepiscopis & Episcopis Galliarum & Neustriæ, quibus tamen possibilitas est, in idipsum cum præfato fratre & Coepiscopo nostro Hincmaro, & suffraganeis eius apud Sueßonicam vrbem pariter cõuenire.* Eodem anno 863. pro eo quod Lotharius, dimissa legitima vxore, alteram duxerat. *Synodus*, vt testantur Annales, *in Metis congregata est omnium Episcoporum, præter Hingarium Traiectensem, quem ægritudo detinuit. Aderant & missi Nicolai Romani Pontificis, ob eamdem causam diligenter inuestigandam,*

Citatur à Baron. ann 863. numero 64.

Idem eodem ann. num. 69.

Idem anno 866. num. 50.

Annales incerti auctoris ad annũ 863.

Habetur apud Hincmar. edit. Cordes.

directi. Anno 867. Synodalis Epistola scripta legitur à Concilio Trecensi ad Nicolaum summum Pontificem pro eorum confirmatione, quæ Patres decreuerãt: cui præfixa habetur huiusmodi superscriptio. *Reuerendissimo & sanctissimo Domino Patri ac*

Apud Baron. anno 867. numero 10.

vniuersali Papæ Nicolao, Episcopi, qui præterito anno per gratiam Dei & decretum vestrum (nota) *apud Sueßionicam vrbem cum alijs, qui tunc nequiuerunt adesse,* &c. Anno 877. Compendij actum ab eodem Carolo caluo Concilium, præsentibus Legatis Apostolicis, de quo ita Aimoinus. *Calendis Maij,* inquit, *Rex Carolus Episcopos Rhemensis prouinciæ, sed & aliarum prouinciarum Compendium conuocauit, & Ecclesiam, quam in eodem oratorio construxerat, cum multo apparatu in sua & Legatorum Apostolicæ sedis præsentia, ab ijsdem Episcopis cõsecrari fecit.* Anno sequenti. *Ioannes Papa,* inquit idem Aimoinus, *generalem Synodũ cum Episcopis Galliarum & Belgicarum prouinciarum Trecis egit.* Anno 892. cùm Fulco Rhemensis Archiepiscopus in Concilio Episcoporum, præcipuis Galliæ proceribus præsentibus, Rhemis collecto, Carolum simplicem Ludouici Balbi filium, legitimum regni successorem, in Francorum Regem vnxisset, reiecto Odone Comite, qui Regium titulum tyrannicè vsurpauerat, vt idipsum, quod fuerat factum, stabile, firmumque esset, iteratas ad Formosum Papam ex eodem Concilio literas scripsit, quibus commotus idem Pontifex, *Pro Caroli prouectione,* inquit Frodoardus, *ad regimem regni literas dedit, & de criminibus Odonis Regis, vel correptione ipsius, qualiter esset agendum. Vnde & ad eumdẽ Regem Odonem, qui regnum occupauerat, literas suas idem*

Aimoin. lib. 5. hist. ca. 35.

Idem lib. 5. cap. 37.

Frodoardus lib. 4 histor. Rhemens. cap. 2. in fi.

Papa delegauit, vt ab illicitis eum reuocaret, ne eumdem Regem Carolum, vel quæque ipsius essent infestaret, inducíasque belli differendo daret, donec idem Fulco præsul Apostolicam sedem adire studeret. Anno 909. In Synodo Suessionensi ab Herueo Rhemensi Archiepiscopo coacta, hæc de admonitione sibi ad Apostolica sede facta, idē Herueus testatur. *Hortamur,* inquit, *vestram fraternitatem, vt vnà mecum secundum admonitionem Domini Romanæ sedis præsidis, singuli nostrûm, perspectis Catholicorum patrum sententijs, de diuinæ scripturæ pharetris, acutas proferamus sagittas, potentes ad conficiendam belluam monstri renascentis.* Baronius ad annum 909. numero 4.

Anno 948. *Synodus*, inquit idem Frodoardus, *congregata est ex præcepto Agapiti Papæ in Eglehem palatio regali, in Ecclesia beati Remigij honore dicata, septimo Idus Iunij, causa videlicet maximarum dissensionum, quæ agitabantur inter Regem Ludouicum, & Hugonem Principem. Ad quam Synodum celebrandam aduenientе Marino sedis Apostolicæ Vicario, conuenerūt etiam Germaniæ Præsules, cum quibusdam Galliarum Episcopis.* Et post pauca. *Residentibus his Præsulibus in Ecclesia prædicti loci, post præmissas preces, secundùm ordinem celebrandi Concilij, & post lectiones sacræ auctoritatis, ingressis glorioſis Regibus Othone, ac Ludouico, ac simul residentibus, post allocutionem præfati Marini sedis Apostolicæ Legati, exurgens Ludouicus Rex è latere, & confessu Domini Regis Othonis, proclamationis suæ querimoniam propalauit coram præmisso Romanæ sedis Vicario, ceterisque considentibus Episcopis:* Vbi certè illud maximè notandum venit quod asseritur, Ludouicū nempe Francorum Regem in eadē Synodo exurgentem, coram Apostolicæ sedis Legato causam di- Frodoard. in Chron. anno 948.

xisse. Anno 962. in Synodo Meldensi, cùm altercatio inter Episcopos, super electione Rhemensis Archiepiscopi, orta fuisset. *Totum relinquitur*, inquit idem Frodoardus, *vsque ad interrogationem Domini Papæ.* Et infra. *Legatio veniens à Joanne Papa insinuat præfatum Hugonem, &c.* Anno 1049. *Autumnali tempore*, inquit Hermannus, *Dominus Papa Leo 9. Synodum magnam Rhemis cum Galliarum Episcopis habuit, indeque Moguntiacum veniens, aliam Synodum quadraginta prope Episcoporum coram Imperatore & regni nostri Principibus celebrauit.* Anno 1055. *Cum Simoniaca hæresis*, inquiunt gesta summorum Pontificum, *totam Italiam, & Burgundiam occupasset, Victor 2. Pontifex misit à latere suo Archidiaconum Hildebrandum ad vltramontanas partes, cum quibusdã Episcopis. Cum autem ad Lugdunensem prouinciam peruenisset, in ea Synodum celebrauit.* De eadem etiam Synodo hæc Petrus Damiani in Epistola ad Nicolaum summum Pontificem. *Cum*, inquit, *adhuc Subdiaconatus duntaxat fungeretur officio Hildebrandus, à Victore Papa Aporiarius in Gallias destinatus, Synodum congregauit, in qua videlicet sex Episcopos diuersis criminibus inuolutos ex Apostolicæ sedis auctoritate, deposuit.* Eodem quoque anno Concilium Turonis contra Berengarium collectum fuit, de quo ita Lanfrancus. *Denique*, inquit, *in Concilio Turonensi, cui ipsius Victoris interfuère Legati, data est tibi optio defendendi partem tuam.* Anno 1056. contra eosdem Simoniacos Tolosæ cõgregatum fuit Concilium, cuius acta à Baronio relata hæc habent. *Anno Incarnationis Dominicæ 1056. Idibus Septembris habita est sancta Synodus decem & octo Episcoporum apud vrbem*

Idē Frodoardus in Chron. anno 962.

Hermanus Contract. in Chron. anno 1049.

Baronius ad annum 1055. numero 16.

Pet. Damian. in epistol. ad Nicolaum Papam.

Lanfranc. in lib. contra Berengar.

Baronius ad annum 1056. numero 12.

Toloſam iuſſu Domini Papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam Simoniacam hæreſim, ac reparandum S. Eccleſiæ ſtatum, ſecundùm priſcorum ſcita Canonum, Vicarios vice ſua direxit Rembaldum Arelatenſem &c. qui ſancti Petri auctoritate, & prænominati Papæ iuſsione, hæc in Prouincijs Galliæ, & Hiſpaniæ perpetim obſeruanda æſtimauerunt. Anno 1064. Epiſcopi Hiſpaniæ Legati, qui Mantuano Concilio interfuerant, reuerſuri in Hiſpanias, duxerunt ſecum deſtinatũ ab Alexandro Papa à latere Legatum Hugonem Cardinalem, cuius auctoritate Barcinone Concilium congregatum fuit, in quo leges Gothicas, quibus Catalauni vtebantur, idem Apoſtolicus Legatus penitus abrogauit, nouaſque ſanxit, quibus hactenus populus vtitur. Anno 1080. coactũ eſt in Gallia Concilium Lugdunenſe, cui præfuit Apoſtolicæ ſedis Legatus Hugo Dienſis Epiſcopus, in quo cauſa Manaſſis Archiepiſcopi Rhemenſis per plures annos agitata, finem accepit, damnato iterum, atque è throno depoſito eodem Antiſtite. Eodem anno habita etiam per eumdem Apoſtolicæ ſedis Legatum Meldenſis Synodus fuit, in qua depoſitus eſt Vrſio Sueſſionenſis Epiſcopus, & in eius locum ſuffectus S. Arnulphus. Anno 1090. *Dominus Papa Vrbanus* 2. inquit Bertholdus, *generalem Synodum cum Epiſcopis diuerſarum prouinciarum, per Legatos ſuos in Tholoſana ciuitate circa Pentecoſtẽ collegit, ibique multa in Eccleſiaſticis cauſis, quæ corrigenda erant, correxit.* Poſt quadriennum autem anno videlicet 1094. aliud Concilium Gallicanũ ab Hugone Lugdunẽſi Archiepiſcopo ſedis Apoſtolicæ Legato celebratum eſt, in quo Philippum

Baronius ad annum 1064. numero 42.

Idem ad annum 1080. numer. 75.

Idem ibid. numer. 79.

Berthold. in Chron. anno 1090.

Baronius ad annum 1094. numero 4.

Regem Francorum Patres excommunicarunt, eò quòd, Bertha vxore dimissa, Bertradam accepisset. Quod autem ipse Hugo Apostolica Legatione tunc fungeretur, Iuo Carnotensis in Epistola ad eum scripta non obscurè testatur. Anno sequente, *In Gallijs ad Claromontem*, inquit Bertholdus, *Synodus generalis à Domino Papa congregata est, in qua tredecim Archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, & ducentæ quinque pastorales virgæ numeratæ sunt. In eadem Synodo Dominus Papa eumdem Philippum Regem excommunicauit.* Et anno sequente, eodem teste Bertholdo, *In tertia hebdomada Quadragesimæ, in ciuitate Turonensi, idem Vrbanus Synodum celebrauit, cum diuersarum prouinciarum Episcopis.* Vrbano mortuo cum Paschalis 2. in Apostolica sede collocatus fuisset, Ioannem & Benedictum Cardinales Legatos in Galliam misit, qui Pictauis anno 1100. Concilium coëgerunt. De quo ita Iuo in Epistola ad eumdem Ioannē scripta. *Quod Pictauis*, inquit, *aut intra Prouinciam Aquitanicam Concilium celebrare disponis, omnino laudo.* Et infra. *De termino autem habendi Concilij, quem quarto Calendas Augusti designasti*, &c. Quod autem in eo Philippus iterum excommunicatus fuerit, ait idem Iuo. *Cùm post factum diuortium*, inquit, *prædictus Rex esset reuersus ad prædictæ mulieris consortium, excommunicatus est in Pictauensi Concilio à Cardinalibus Joanne, & Benedicto.* Anno 1104. apud Trecas Concilium habitum à Richardo Cardinali Apostolicæ sedis Legato. De quo ita auctor vitę S. Godefridi Ambianēsis Episcopi. *Eodem tempore*, inquit, *quo electio facta est, Richardus Cardinalis, & Apostolicæ sedis Legatus, apud*

Iuo Carnot. epist. 18.

Berthold. in Chron. anno 1095.

Idem anno 1096.

Iuo Carnot. epist. 134.

Idē epist. 212. ad Rudolph. Rhemens. Episcop.

Auct. vitæ S. Godef. lib. 1. cap. 30. apud Sur. tom. 6.

Trecenſes celeberrimum habuit Conuentum. Poſt triennium cùm Paſchalis ipſe Pontifex in Gallias veniſſet. *Per menſes aliquot*, inquit Vrſpergenſis, *vt fidelis diſpẽſator, & prudens, quotidianam ſollicitudinem omniũ Eccleſiarum gerens, tandem circa Aſcenſionem Domini, Concilium non modicũ apud Trecas habuit.* Anno 1109. duo Concilia à Conone Cardinali eiuſdem Pontificis Legato celebrata reperiuntur. De quibus ita idem auctor vitæ S. Godefridi. *Conon*, inquit, *Cardinalis, Pontificis maximi Legatus, & Radulphus Rhemenſis Archiepiſcopus apud Bellouacum Synodum celebrant.* Et paulò poſt de eodem S. Godefrido loquens. *Profectus*, inquit, *inde, venit ad Rhemorum vrbem, vbi tunc Cono Cardinalis & Legatus frequentiſſimam Synodum habebat.* Anno 1119. Calixtus 2. qui Paſchali ſucceſſerat. *Rhemis celeberrimum*, inquit Sugerius, *celebrauit Concilium.* Anno 1127. Mathias Epiſcopus Cardinalis Albanenſis legationem in Gallias accepit, ad celebrandum illic Trecenſe Concilium, quod complures Eccleſiaſticæ neceſſitates exigebant. De quo ita Vuilielmus Tyrius. *Anno nono*, inquit, *Concilio in Francia apud Trecas habito, cui interfuerunt Dominus Rhemenſis & Dominus Senonenſis Archiepiſcopi cum ſuffraganeis ſuis, Albanenſis quoque Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis Legatus.* Innocentius etiam ſecundus Papa anno 1131. *Rhemis conuocauit Concilium*, inquit auctor vitæ S. Bernardi, *in quo multis ad honorem Dei diſpoſitis, Regem Ludouicum viuente patre pro Philippo fratre coronauit in Regem.* Eodem anno, *Concilium Moguntinum celebratum eſt præſente Lothario*, inquit poſt Trithemium Genebrardus, *& præſide Legato Apoſtolico.* Anno 1140.

Vrſperg. in Chron. anno 1107.

Auct. vitæ S. Godefr. lib. 3. cap. 9.

Idem ibid. cap. 11.

Suger. in vita Ludouici Franc. Regis cogn. Craſſi.

Vuiliel. Tyr. lib. 12. cap. 7.

Auct. vitæ S. Bernard. lib. 3. cap. 1.

Trithem. in Chron. Monaſt. hirſaug. Genebrard. lib. 4. Chronolog. in Innocent. 2.

Otho Frisingens. lib. 1. de gest. Frider. cap. 17. Genebrard. ibidem.

actum est *Concilium Sueßionense*, teste post Othonem Frisingensem eodem Genebrardo, *præsente Legato Romani Pontificis contra Abailardum sub Ludouico seniore Francorum Rege.* Anno 1135. cùm aduersus interfectores Thomæ prioris S. Victoris Parisiensis & Subdiaconi Aurelianensis Gallicanum Concilium coactum fuisset, eorum quæ decreta fuerant confirmationem Patres ab ipso summo Pontifice petierunt. Hinc Petrus Cluniacensis ad eumdem Pontificem scribens. *Hac de causa*, inquit, *nuper his in partibus Archiepiscoporum, Episcoporũ, Abbatum, ac multorum religiosorum & sapientum personæ congregatæ fuerunt, & Concilio habito in huiusmodi sacrilegos seueritatis sententiam protulerunt. Confirmet ergo, si placet, Apostolica auctoritas, quod ab eis benè actum est: Suppleat, si quid minus seuerè decretũ est.* Quid memorem Concilia tum Rhemis anno 1148. ab Eugenio 3. tum Turonis ab Alexandro 3. anno 1163. celebrata? Anno 1199. *mense Decembri in festo S. Nicolai*, inquit Rigordus, *conuocatum est Concilium apud Diuionem à Petro Cardinali omnium Episcoporum, Abbatum & Priorum totius regni. Sed quia contra Regem Franciæ, regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur, à nuntijs Regis ad Romanam sedem est appellatum. Tamen ipse Cardinalis appellationi non deferens, in eodem loco astantibus Episcopis vniuersis sententiam protulit.* Anno 1201. *Conuocatum est*, inquit idem Rigordus, *Concilium Sueßionis ab Octauiano & Ioanne de S. Paulo presbytero Cardinali Apostolicæ sedis Legatis. Cui interfuit Philippus Rex cum Archiepiscopis, Episcopis & totius regni principibus.* Anno 1202. *Innocentius Papa*, eodem teste Rigordo, *misit Abbatem de Casamarij*

Petr. Cluniacens. lib. 3. epist. 17.

Rigord. de gest. Philipp. August. anno 1199.

Idem ibid. anno 1201.

dem ibid. nno 1202.

ad Regem Francorum & Regem Angliæ pro pace inter eos reformanda. Qui de mandato Domini Papæ, adiuncto sibi Abbate trium fontium, mandatum Apostolicum vtrique Regi exposuerunt, præcipientes quòd conuocatis Archiepiscopis, Episcopis, totiusque regni Principibus, salua vtriusque Regis iustitia, pacē facerent. Anno 1224. *Infra octauas Assumptionis B. Mariæ,* inquit Recapitulatio de origine Regum Francorum à Pithœo edita, *apud Motempessulanum auctoritate Apostolica Concilium celebratur.* Anno 1225. *Concilium Germanicum,* inquit Genebrardus, *præside Conrado legato Apostolico contra Simoniacos & concubinarios clericos celebratū fuit.* Anno 1288. *Concilium Herbipolense in Germania,* eodem teste Genebrardo post Trithemium, *præside legato Apostolico à latere, multorum Episcoporum, & Abbatum, præsentibus Rodulpho Imperatore, Principibus, Ducibus, & Comitibus, vbi inter alia, legatus nomine Papæ contributionem decimi denarij à Clero, & Rex ab vniuerso populo exegerunt.* Anno 1239. Concilium Meldis à Iacobo Episcopo Prænestino, Apostolicæ sedis Legato, contra Fridericum Imperatorem est coactum, de quo ita Guilielmus Nangius. *Papa Gregorius nonus,* inquit, *destinauit in Franciam quemdam album Monachum, nomine Iacobum Episcopum Prænestinum Apostolicæ sedis Legatum.* Et post pauca. *Videns Cardinalis Imperatorem in sua malitia induratum, & adeo obstinatum, quòd excommunicatione vilipensa, nullo modo à suo nefando proposito vellet resilire, quosdam Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates super tam arduo negotio consilium habiturus, & aliqua per ipsos, & cum ipsis tractaturus, apud ciuitatem Meldensem conuocauit.* Anno 1297. Concilium Lugduni celebratum

Recapitul. de origin. Reg. Franc. apud Pithœ.

Genebrard. lib. 4. Chronolog. in Honorio 3.

Idem Genebrard. lib. 4. Chronol. in Martino 4.

Guilielm. Nang. in vita S. Ludouic. anno 1239.

Genebrard. lib. 4. Chronolog. in Bonifacio 8.

fuit. *Præside*, inquit Genebrardus, *Bonifacio Pontifice, qui animaduertens quotidie principes noua vectigalia Sacerdotibus imponere, interdù sine iusta causa, interdixit in hoc Concilio ne posthac id facerent, neue Sacerdotes iniussu Romani Pontificis illa imposita conferrent cap. 3. de immunitat. Eccles. in 6.* Anno 1302. eodem teste Genebrardo Concilium Parisijs cogitur. *Præside Ioanne Cardinale Legato sedis Apostolicæ, qui eò missus fuerat à Papa, quòd Episcopi Franciæ vocati in ius Romam à Bonifacio, non comparuissent.* Ex hac ergo per millenarium annorum numerum ducta inductione, quis iam summæ temeritatis Simonem non arguat, qui Synodos Galliæ, Hispaniæ, & Germaniæ à solis Principibus coactas, imò & confirmatas, non quæsita, aut expectata Pontificis voluntate, tam audacter, ne dicam impudenter asseruit? Sed nunc videamus, quibus armis sententiam hanc suam tueatur.

Idem ibid.

Obiectio.

pag. 211.

Hæc fieri secundùm antiquos Canones docet amplissimè Concilium Rhemense contra Arnulphum cap. 29.

Responsio.

Vt quid Conciliabulum, auctoritate Regia, non Pontificia, contra antiquos Canones, summa vi, & violentia, non iustitiæ zelo, sed Regis tantùm vlciscendi causa congregatum, ad tantæ rei probationem nobis ingeris? In quo sanctissimus Pontifex Arnulphus contra ius, fasque, & contra Rhemẽsis Ecclesiæ Archiepiscopis indulta priuilegia, (quibus illud præstitum noscitur, ne ab alio, quàm ab Apostolica sede iudicari possint) exauctoratus

ac impius Gerbertus in eamdem Rhemensem sedem intrusus fuit: Hæc ignoras? Accipe quæ Eginaldi ad Aimoinum appendix, tibi refert. *In illis diebus*, inquit, *in Rhemensium ciuitate erat Archiepiscopus, vir bonus, & modestus, filius Lotharij Regis ex concubina, nomine Arnulphus. Hugo autem Rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Lotharij Regis. Congregansque in vrbe Rhemensi Synodum, in eum locum idem Hugo Rex inuitauit Archiepiscopum Senonicæ vrbis, nomine Seguinum cum suffraganeis suis. In quo Concilio fecit degradari dominum Arnulphum Archiepiscopum Rhemorum, dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere. In loco autem eius consecrari fecit dominum Gerbertum, Monachum Philosophum.* Et paulò pòst. *Venerabilis autem Seguinus non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti: Iussio autem Regis vrgebat. Alij verò Episcopi, licèt inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulphum, & ordinauerũt Gerbertũ. Seguinus autem plùs timens Deum, quàm terrenum Regem, noluit consentire nequitiæ Regis, sed magis quantum potuit, redarguit ipsum Regem, propter quam causam ira Regis cõtra eum efferbuit.* Indeque factum, vt summus ipse Pontifex Ioannes, de his certior reddius, ea omnia, quæ contra Arnulphum facta fuerant, abolẽda penitus rescripserit, omnesque illos Episcopos, qui in eadem Synodo aduersus Arnulphũ sententiam tulerant, excommunicauerit, indicto interim per Leonem Apostolicæ sedis Legatum, Rhemis Concilio, in quo & Arnulphus restituitur, & Gerbertus abrogatur. De quibus ita idem, qui supra Eginaldus. *Nuntiantur*, inquit, *hæc omnia Præsuli Romano, qui valde indignatus super hoc facto, in-*

Append. ad Aimoin. lib. 5. cap. 45.

Idem ibid.

terdixit sacris, omnibus Episcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gerbertum ordinauerant. Misit quoque Leonem Abbatem à sede Apostolica, ad Archiepiscopum vrbis Senonicæ, qui vice sua in vrbem Rhemensem Synodum congregaret, mandans illi, vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterum in vrbe Rhemensi ex iussione Apostolica, reuocatus est Arnulphus de custodia, & cum honore magno receptus est in propria sede. Quæ ergo fides huic adhibenda Synodo erit, quæ contra Canones collecta, & à summo Pontifice reprobata, nihil secundùm Canones decernere potuit?

OBIECTIO.

pag. 212. *Quòd ad præsidem Concilij attinet, absente Papa, ceteri Patriarchæ solent præsidere, ipsis etiam Legatis Apostolicis præsentibus, qui tamen inter Patriarchas sedent, vt præsides Concilij, sed non præcipui. Hoc ex omnibus Concilijs euoluebam, in quibus illud obseruatum est inconcussè, præterquam in Synodo Chalcedonensi.*

RESPONSIO.

Vnde ergo Nilus & Auctor incertus natione Græci, de primis octo œcumenicis Cõcilijs agẽtes, primas, præcipuasq; semper Romanis Põtificibus seu eorum Legatis, non alijs Patriarchis, partes tribuerũt? Ac Nilus quidem de Nicæna Synodo hæc

Nilus lib. de Synod. ait, ἡγοῦντο δὲ τῆς συνόδου Σίλβεστρος ὁ Ρώμης, Ἀλέξανδρος ὁ Κωνσταντινουπόλεως, Ἀλέξανδρος ὁ Ἀλεξανδρείας, Εὐστάθιος ὁ Ἀντιοχείας. *Præerant Synodo Siluester Romæ, Alexander Constantinopolis, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ & Macarius Ierosolymorum Episcopi.* De Constan-

Constantinopolitana verò, ἡγεῖτο δὲ τῆς ζωῆς Δάμασος Ῥώμης, Νεκτάριος Κωνσταντινουπόλεως, Τιμόθεος Ἀλεξανδρείας. *Præerant Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ*, &c. De *Ephesina*, ἡγεῖτο δὲ αὐτῆς Κελεστῖνος Ῥώμης, Κύριλλος Ἀλεξανδρείας, *Huic præerant Celestinus Romæ, Cyrillus Alexandriæ*, &c. De *Chalcedonēsi*, ἡγεῖτο δὲ αὐτῆς Λέων Ῥώμης, Ἀνατόλιος Κωνσταντινουπόλεως, *Huic præerant Leo Romæ, Anatolius Constantinopolis*, &c. De quinta Constantinopolitana, ἡγεῖτο δὲ τῆς ζωῆς Βιγίλιος Πάπας Ῥώμης, Εὐτύχιος Κωνσταντινουπόλεως, *Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Euthychius Constantinopolis.* De sexta etiam Constantinopolitana, ἧς ἡγεῖτο Ἀγάθων ῥώμης, Γεώργιος Κωνσταντινουπόλεως, *Huic præerant Agatho Romæ, Georgius Constantinopolis*, &c. De Nicæna secunda, quæ est septima, ἡγεῖτο δὲ αὐτῆς Ἀδριανὸς Πάπας ῥώμης, Ταρσίος Κωνσταντινουπόλεως, *Præerant huic Adrianus Papa Romæ, Tarasius Constantinopolis*, &c. De *octaua denique Constantinopolitana, ὄντος τότε καὶ Ἰωάννου Πάπα ῥώμης, Φωτίου Κωνσταντινουπόλεως. *Aderant illic Joannes Papa Romæ, Photius Constantinopolis*, &c. Author verò incertus, de Nicæna quidem, hæc habet. *Prima quidem*, inquit, *habita est Nicææ sub Imperatore nostro Constantino magno & sanctis annumerando, & sub Silvestro Papa Romæ, & Alexandro Patriarcha Constantinopolis.* De Constantinopolitana. *Secunda*, inquit, *sancta, & œcumenica Synodus, sanctorum* 150. *Patrum, habita est Constantinopoli sub Imperatore Theodosio magno, & Damaso Papa Romæ, & Nectario Patriarcha Constantinopolis*, &c. De Ephesina. *Hanc ob causam cum Celestino Papa Romæ, & pietatis propugnatore Cyrillo Papa Ale-*

* Errat hîc, mentiturque Photius, non enim sub Ioanne 8. sed sub Adriano 2. habita est.

Auctor incert. lib. de Synod.

xandriæ, *hæc sancta Synodus submouit Nestorium*, &c. De Chalcedonensi. *Quarta sancta, & œcumenica Synodus habita est Chalcedone sub religiosissimo Imperatore Martiano, & Leone Papa Romæ, & Anatolio Patriarcha Constantinopolis.* De Constantinopolitana quinta. *Sancta & œcumenica quinta Synodus habita est Constantinopoli sub Iustiniano seniore Imperatore & Vigilio Papa Romæ, & Euthyche patriarcha Constãtinopolis*, &c. De sexta Constantinopolitana. *Sexta*, inquit, *sancta, & œcumenica Synodus habita est Constantinopoli sub Constantino patre Iustiniani, & sub Agathone Papa Romæ, & Georgio Patriarcha Constantinopolitano.* Hinc ergo videre licet ipsos Romanos Pontifices, vel saltem eos, qui vices illorum supplebant, ante omnes Patriarchas, etiam præsentes, in Concilijs œcumenicis sedisse.

OBIECTIO.

pag. 212. & 213. *In Nicæna Synodo, absente primæ sedis præsule, tertiæ sedis Episcopus Eustathius Antiochenus præfuit*, & paulò pòst. *Iustum visum est, priores partes in præsidendo tribuere tertiæ sedis Episcopo.*

RESPONSIO.

Egregiam verò laudem, quod dimissa omnium Catholicorum sententia, quæ priores partes sedis Apostolicæ Legatis tribuit, iam Magdeburgensium ac Lutheri, pro Eustathio pugnantium, opinioni te inhærere profiteris. Quòd quàm falsissimum sit, non ex Photio tantùm, Niloque, qui de Synodis scripserunt, quartumque locum Eustathio tribuerunt, apparet, sed & ex S. Athanasio, qui de Osio sedis Apostolicæ in Synodo Nicæ-

Magdeburg. Centur. 4. ca. 7. col. 536. Luther. lib. de Concil. part. 2. Phot. & Nil. li. de Synod.

na Legato loquens. *In qua*, inquit, *Synodo ille non dux & antesignanus fuit?* Et alibi. *Hic*, inquit, *princeps Synodorum, hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit*, & ex Cedreno, qui de eadem Synodo agens, ἦς ἡγοῦντο Σιλβέστρου Πάπα Ρώμης τοποτηρηταὶ, Βίτων καὶ Βικεντίων πρεσβύτεροι. *Præerant*, inquit, *ei Siluestri Papæ Romani locum tenentes, Vitus, & Vincentius presbyteri, Metrophanes Byzantij, Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ*, &c. S. Athanas. in Apolog. pro fuga sua. Idē in epist. ad Solitar. vit. agent. Cedren. ann. 20. Cōstant. in Compēd. hist.

Obiectio.

Eustathium præsedisse probabam ex Eusebio, & Theodoreto. pag. 213.

Responsio.

Quinimò nec Eusebius, nec Theodoretus Eustathium præsedisse affirmant. At, inquient fortasse Magdeburgenses, eorumque sectator Simon, apud Eusebium legimus eum, qui primus sedebat à dextris Imperatoris, orationem habuisse de laudibus eiusdem Imperatoris. Eum autem, qui orationem habuit, constat ex Theodoreto fuisse Eustathium. Itane? Quid si ex Sozomeno demonstrem, non Eustathium, sed Eusebium Cæsariensem illum fuisse, qui in Synodo perorauit? *Cùm verò omnes consedissent*, inquit Sozomenus, *surrexit Eusebius, cognomento Pamphilus, ac Imperatorem oratione compellauit, hymnumque recitauit, quo eius causa Deo gratias ageret*; Vel si ex Cassiodoro post Eustathium, & Eusebium peroraſſe: Anne propterea & eumdem Eusebium præsedisse, qui nec Patriarcha erat, affirmare quis audebit? Perorauerit igitur ipse Eustathius, nunquid ideò quia perorauit, & Theod lib. 1. histor. cap. 7. Sozom. lib. 1. cap. 18.

præsediſſe dicendus erit? At, inquies fortè, ex Euſebio, Epiſcopus ille, qui perorauit, in dextro ordine primam ſedem occupabat. Eſto. Nunquid porro quia in Chalcedonēſi Synodo impius Dioſcorus eumdem ordinem, primum, ſcilicet, dexteræ locum, occupabat, eidem præfuiſſe Synodo dicendus erit? Accipe ergo quid de Epiſcoporum confeſſu, integra ipſa eiuſdem Chalcedonenſis Synodi acta teſtentur. *Reſidentibus*, inquit, *magnificentiſſimis & glorioſiſſimis Iudicibus, & ampliſſimo Senatu in medio, ante cancellos ſanctiſſimi altaris. Et in læua quidem parte ſedentibus ſanctiſſimis, & reuerendiſſimis Epiſcopis, Vicarijs Deo amiciſſimis ſanctiſſimi, ac reuerendiſſimi Leonis Antiſtitis priſcæ vrbis Romæ, & Anatalio religioſiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopolitanæ regiæ ciuitatis, & Maximo religioſiſſimo Epiſcopo Antiochiæ.* Et paulo poſt. *Ex dextera verò parte* (nota) *ſimiliter conſidentibus Dioſcoro religioſiſſimo Epiſcopo Alexandrino, & Iuuenale religioſiſſimo Epiſcopo Ieroſolymorum.* Vnde equidem colligas in œcumenicis Synodis ſiniſtram partem, dextera dignioriem fuiſſe exiſtimatam, eo equidem modo, quo & in ſacris olim apud Romanos potior locus ſiniſter habebatur, & vſu receptum id etiam in Eccleſia Orientali, ex Sophronio diſcimus, cùm de quadam Chriſti imagine, quæ ad læuam beatæ virginis Mariæ, ad dexteram verò S. Ioannis Baptiſtæ effigies habebat, loquens. *Ecce*, inquit, *imaginem maximam, & mirificam vidimus, repræſentantem in medio quidem picturam Domini noſtri Ieſu Chriſti, matrem autem Chriſti, & Dominam noſtram deiparam ſemper virginem Mariam à ſiniſtris, à dextris Baptiſtam*

Cōcil. Chalcedoñ. act. 1. tom. 2. Concil.

Ibidem.

Sophron. Ieroſolym. Homil. ad pop. citatur in 2. Cōcil. Nicæ. & a Baron. ad annum 325. numero 59.

Saluatoris nostri præcursorem. Quòd si & eiusdem Synodici consessus rationem quæras, & quomodo sinistra in dexteram, dextera verò conuerteretur in sinistram, eam accipe ab antiquo ordine Romano. *Sedebunt*, inquit, *ea locali dispositione, vt intrantibus Ecclesiam, Episcopi sint ad sinistram, præsbyteri verò ad dexteram, vt quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, presbyteros contueatur ad sinistram.* Ex quibus planè intelligas, sic à parte sinistra locatos in Synodis fuisse Apostolicæ sedis Legatos, vt positus in medio Christus Dominus (cuius typum gerebat sacrosanctum Euangelium, supra thronum in meditullio collocatum) in eos respiciens à dextris haberet, qui sederent in sinistra, & à sinistris, qui considerent in dextra. Citatur à Baron. ad annum 451. numero 68.

Obiectio.

En testimonium amplissimum, & locupletissimum Felicis 3. Papæ, in Epist. 5. ad Zenonem Imperatorem de Petro Antiocheno. Petrus primogenitus diaboli indignè se in Antiochenam Ecclesiam Dei insinuauerat & Pontificiam sedem Ignatij martyris coinquinauerat, qui Petri dextera Pontificatum accepit, & Eustathij Confessoris, & præsidis 318. sanctorū patrum, qui apud Nicæam coacti sunt. pag. 213.

Responsio.

Nunquid verò quartus Parlamenti Præses, & Præsidis non meretur nomen, sicut & alij qui eum antecedunt? Cùm de magno illo Eustathio Pa-

triarcha Antiocheno, qui inter Nicæni Concilij Præsides & ipse Præses, quartum locum obtinuerat, ad confundendum Petrum Antiochenæ sedis inuasorem, Felici agendum esset, an non vt ampliùs eum commendaret, & præsidentiæ illius, qua inter Patriarchas & ipsos præsides, in eodem Concilio quartus, & ipse præses effulserat, meminisse potuit, absque vllo Apostolicorum Legatorum præiudicio, qui inter ipsos Patriarchas præsides (licèt Episcopi, vel Presbyteri, aut etiam Diaconi tantùm essent) propter Romanæ sedis prærogatiuam primarium locum obtinebant? Hinc enim fit, vt præsidē simpliciter, non autē vnicum, vel primariū præsidē eum appellauerit. Alioquin vnde Photius, vnde Nilus, vnde Cedrenus, cùm de Concilij Nicæni præsidibus loquuntur, hæc dixissent. ἡγοῦντο δὲ ζωὸ δὲ Σίλβεστρος καὶ Ρώμης (vel vt Cedrenus ait) Σιλβέστρου Πάπα Ρώμης τοποτηρηταὶ Βίκεντίων, καὶ Βικεντίων πρεσβύτεροι, Αλέξανδρος Κωνσταντινουπόλεως (vel vt Cedrenus, Μητροφάνης τῆς Βυζαντίδος) Αλέξανδρος Αλεξανδρείας, Εὐστάθιος καὶ Αντιοχείας, καὶ Μακάριος καὶ Ιεροσολύμων. *Præfuerunt autem Synodo Siluester Romæ* (vel vt Cedrenus ait, *Siluestri Romani Papæ locum tenentes Vitus, & Vincentius presbyteri*) *Alexander Constantinopolis* (vel vt idem Cedrenus, *Metrophanes Byzantij*) *Alexander Alexandriæ, Eustathius Antiochiæ, Macarius Hierosolymorum Episcopi.*

Phot. lib. de 7. Synod. Cedrenus in Compend. hist. anno 20. Constant.

OBIECTIO.

pag 213. *Quòd Damasus Pontifex, Constantinopolitanæ Synodo, potestate, & quasi interpretatiuè præfuerit, quia acta confirmauerit, & ex sua confir-*

matione œcumenicum effecerit Concilium. Nugæ.

RESPONSIO.

Si Nugæ. Vnde ergo Nilus de eadem Synodo agens, hæc ait? ἡγοῦντο δὲ ζωσόδε Δάμασος ῾Ρώμης, Νεκτάριος Κωνσταντινουπόλεως, Τιμόθεος Ἀλεξανδρείας. *Præfuerunt autem Synodo Damasus Romæ, Nectarius Constantinopolis, Timotheus Alexandriæ, &c.* Vnde & acta manuscripta à Baronio relata? *Sententiam*, inquiunt, *de damnatione Macedonij, & Eunomij Damasus confirmari præcepit etiam in sancta secunda Synodo, quæ* (nota) *præcepto & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.* Nec repugnat Photius, qui eamdem Synodum à Damaso confirmatam, his verbis clarissimè testatur; ᾧ Δάμασος ὁ τῆς ῾Ρώμης τὰ αὐτὰ κεφτύνων ἐγνωρίζετο ζύμφωνος, id est, *& Damasus Romæ Episcopus ista confirmans* (nota) *agnitus est consentiens.*

Nilus lib. de Synod.

Baronius ad annum 381. numero 19.

Phot. lib. de 7. Synod. in Synod. Constantinop.

OBIECTIO.

Celestinus cum Synodo Romana decreuit, vt Nestorius moneretur, quo ab hæresi recederet, hocque si non faceret, suo nomine, & Ecclesiæ Romanæ Cyrillus eum excommunicaret, viceque suas in eo excommunicando ageret. Sed inde Cyrillum munus præsidendi in Concilio Epesino obtinuisse, pernego. pag. 214.

RESPONSIO.

Ad quid ergo grauissimi auctores Græci, cùm de Ephesina Synodo, non autem de Nestorio excommunicando, agunt, Cyrillum in ea locum Celestini summi Pontificis tenuisse ita apertè profi-

Euagr. lib. 1. hist. cap. 4.

tentur? Euagrius. *Cùm itaque*, inquit, *quindecim dies post constitutum terminum transijssent, qui iam congregati erant, in vnum conueniunt, diuino Cyrillo Synodum disponẽte, καὶ τὸν Κελεστίνου τόπον τοῦ ὁσιωτάτου τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης προτανεύοντος, & locum Celestini veteris Romæ Episcopi obtinente.* Photius Patriarcha Constantinopolitanus de eadem Synodo agens. *Erant*, inquit,

Phot. li. de 7. Synod. in Synod. Ephes.

præsides Cyrillus ille celeberrimus inter Patres, qui propter virtutum sapientiæque diuitias, magnæ ciuitatis Alexandriæ sedem obtinebat, καὶ τῆς Ρώμης Κελεστίνου ἐπλήρου τὸν καθέδραν καὶ τὸ πρόσωπον, & Celestini Romani Episcopi implebat sedem, atque personam gerebat. Cedrenus.

*Cedren. in cõpend. hist. in Theodos.

Præfuerunt, inquit, *illi Cyrillus Alexandriæ Episcopus, qui locum Celestini Papæ Romani tenebat.* Omitto Nicephorum, Liberatum, alioſque eadem sentientes. Hinc enim & Nilus ipsum Celestinum eidem

Nilus lib. de Synod.

Synodo præfuisse affirmat, *ἡγοῦντο δὲ αὐτῆς Κελεστίνου & Ρώμης, Κύριλλος & Αλεξανδρείας, Præerant*, inquit, *illi Celestinus Romæ, Cyrillus Alexandriæ*, non alia certè de causa, quàm quia per suos Legatos ipse præfuit. Hinc & Prosper damnatæ hæresis Nestorianæ gloriam Celestino tribuit, cùm vices suas Cyrillo delegauit. *Per hunc virum*, inquit de Celestino loquens,

Prosper contra Collato. sub finem.

omnes Orientales Ecclesiæ gemina peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti, glorioſissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem Apostolico (nota) *auxiliatus est gladio.* Celestinus ergo vices suas Cyrillo delegauit, non tantùm vt sententiæ, iam ab eo in Nestorium in Concilio Romano latæ, executor esset, sed vt eius auctoritate ea omnia, quæ in prosequenda Nestorij causa peragenda erant, perfi-

ceret. Ideò & ad eumdem ab ipso Celestino missum fuisse Phrigium, ipsum nempe pallium, quo significatur plena potestas, eoque in Ephesino Cõcilio, & in sacris solemnijs, more Romani Pontificis, Cyrillum vsum, aliqui tradunt. Theod. Balsam. in Nomocan. Phot. tit. 8. cap. 1. Niceph. lib. 14. cap. 34.

Obiectio.

Cyrillum munus præsidendi in Ephesina Synodo non obtinuisse à Celestino inde patet, quòd Legatos Celestinus miserit Ephesum Arcadium, Prõiectum, & Philippum, qui post Cyrillum actis Synodi subscripserunt. Nec verisimile est Pontificem alios missurum fuisse, si eam vicem Cyrillo delegasset. pag. 215.

Responsio.

Quasi verò plures à Celestino Legati in prosequenda, discutiendaque Nestorij causa diuersis tẽporibus destinari non potuerint. Cyrillus equidem solus anno 430. cùm de exequenda ab eodem Celestino in Romana Synodo contra Nestorium prolata Anathematis sententia, nisi intra præscriptum terminum resipisceret, ageretur. Alij verò anno 431. cum eodem etiam Cyrillo, cùm de eadem in generali Synodo confirmanda, vt omnibus innotesceret, necnon & executioni (absoluto iam termino, qui præscriptus fuerat) mandanda, quæstio esset. Hinc enim & Ephesini Patres ad Imperatores Theodosium & Valentinianum scribentes, diuersis prorsus literis legationem Cyrillo primùm datam, deinde confirmatam, cùm alij mitterentur legati, apertè testantur. *Hæc quidem, in-* Habetur inter Synodal. epist. 7. tom. 2. oper. S. Cyrill. Alex.

quiunt, *& antea priusquam sanctissima Synodus congregaretur, sanctissimus Cælestinus magnæ Romæ Episcopus, literis suis significauit, iniungens sanctissimo, ac dilectissimo Cyrillo magnæ ciuitatis Alexandriæ Episcopo, vt vices suas in hac causa subiret. Et nunc iterùm* (nota) *alijs literis hæc sanctæ Synodo manifestauit, quam dominatio vestra Ephesi congregari præcepit (quas per sanctissimos Episcopos Arcadium & Proiectũ, & Deo dilectissimum Philippum magnæ Romæ Presbyterum misit) qui & sanctissimi, ac Deo dilectissimi Episcopi Cælestini vices hic subijt.* Quid clariùs?

OBIECTIO.

pag. 215. *Si ita fuisset, certissimum est Leonem in Epistola 45. hanc rem non omissurum.*

RESPONSIO.

Certissimum equidem est id Leonem non omissurum, si omnes Legatos ad Ephesinam Synodum à Cælestino decretos enumerare in votis habuisset. At cùm superfluum vidit, satis superque visum ei est primarium tantùm præsidem, quem cuncti scirent Apostolica auctoritate suffultum, non item alios, commemorare.

OBIECTIO.

pag. 215. *Tertium fortissimũ, & indubitabile argumentum, nihil aliud egisse, nec potuisse agere Cyrillum nomine Cælestini, quàm quòd expressè mandato continebatur. At mandatum dũtaxat erat de excommunicando Nestorio, non autẽ de præsidendo.*

RESPONSIO.

Fortissimum certè argumentum, quousque ad-

huc fortius illo superueniens, vniuersa arma eius auferat, in quibus confidebat. Nihil enim contra Cęlestini mandatum Cyrillus egit; dum eas vices, quæ sibi ex duplicibus Cælestini literis, vt mox vidimus, in prosequenda Nestorij causa competebant, in Ephesina Synodo assumpsit. Nec aliorum Legatorum missio Cyrilli delegationi à Cælestino non reuocatæ, imò per secũdas literas per eosdem Legatos missas, confirmatæ, præiudicare potuit, cùm præsertim omnes, Cyrillus, inquã, & alij, non aliam ob causam à Cælestino delegati reperiantur, quàm vt sententiæ iam in Nestorium (vt paulò ante dictum est) latæ, essent executores. Ac de Cyrillo quidem hæc habet ad eum scripta Cælestini Epistola. *Quamobrem*, inquit, *nostræ sedis auctoritate ascita, nostraque vice, & loco cum potestate usus, eiusmodi, non absque exquisita seueritate, sententiam exequêris.* S. Cælestin. epist. 3. in fi.

De alijs verò Legatis, idẽ, Cælestini ad Synodum missæ significant literæ. *Direximus*, inquit, *pro nostra sollicitudine sanctos fratres & consacerdotes nostros vnanimes nobis, & probatissimos viros Arcadium & Projectum Coëpiscopos, & Philippum Presbyterum nostrum, qui his quæ agentur, interfint, & quæ antea à nobis statuta sunt exequentes, quibus præstandum per vestram sanctitatem non dubitamus assensum.* Apud. Baron. ad annũ 431. numer. 14.

Ideò & primi Cyrillus, alijque Legati Synodo subscripsisse leguntur, quòd eadem auctoritate, gradibus licet distinctis, pollerent. Adde quòd postrema ista legatio, non tam ab ipso Cælestino, quàm à Concilio Romano omnium Occidentalium nomine, ad Ephesinam Synodũ missa fuit. Id enim ipsi Patres Ephesini in Epistola ad Theodosium scripta nõ obscu-

Act. Ephes. Concil. edit. Pelt. tom. 2. ca. 17.

rè profitentur. *Viri isti*, inquiunt, *totius Occidentalis Ecclesiæ, sententiam nostram huic Synodo coràm per literas exposuerunt.*

OBIECTIO.

pag. 216.

In Concilio Chalcedonensi certum est Legatos Romani Pōtificis præsedisse, quatuor alijs Patriarchis præsentibus, eò quòd cæteri quatuor Patriarchæ essent in causa.

RESPONSIO.

Licèt ex quatuor Patriarchis duo in causa fuisse, vtpote à Synodo iudicandi, deprehendantur, Dioscorus nempe Alexandrinus, & Iuuenalis Ieroſolymitanus, alij tamen non item. Ac de Anatolio quidem Patriarcha Constātinopolitano, qui in locum Flauiani à Dioscoro, in Ephesino latrocinio, subrogatus fuerat, certum est ipsum iam antea in Synodo Constātinopoli ab Abundio, Asterio, Basilio, & Senatore Legatis Apostolicis celebrata, post emissam coram omnibus Catholicæ fidei professionem, ab ijsdem Legatis restitutum fuisse. Id enim Acta eiusdem Synodi à Baronio relata testantur. *Anatolius*, inquiunt, *Episcopus Constantinopolis nouæ Romæ, accepta Epistola S. Leonis Papæ de confirmatione fidei Catholicæ, contra vesaniam hæreticorum, congregauit Concilium omnium Episcoporum, Archimandritarū, Presbyterorum, & Diaconorum, & ante conspectum omnium recitata est Epistola S. Leonis Papæ, quam beatus Abundius coram omnibus præsentauit, concordantibus testimonijs Romanorū Patrum, ac Græcorum. Anatolius Episcopus Constantinopolitanus huic Epistolæ S. Leonis Papæ continenti Catholicæ fidei veritatem, con-*

Baronius ad annum 450. numero 30.

cordantibus etiam testimonijs Patrum ab eadem Apostolica sede decretorum, plena deuotione consensit, & subscripsit, anathema dicens Euthycheti, & Nestorio, & ipsorum dogmati cum sectatoribus eorum. Et hæc quidem de fidei Catholicæ professione ab Anatolio emissa. De restitutione autem eius, licèt acta, quæ haud integra esse noscuntur, nihil habeant, sanctus tamen Leo ad Martianum scribens, hæc ipsa testatur. *Quàmuis*, inquit, *necessariò sibi frater meus Anatolius consuluisse videatur, vt ordinatorum suorum errorem deserens in assensum Catholicæ fidei salubri correctione transiret, custodire tamen debuit, vt quod nostro beneficio noscitur consecutus, nullius cupiditatis prauitate turbaret. Nos enim vestræ fidei, & interuentionis habentes intuitum, cùm secundùm suæ consecrationis auctores, eius initia titubarent, benigniores circa ipsum, quàm iustiores esse voluimus.* Et post pauca. *Satis sit prædicto, quòd vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu Episcopatum tantæ vrbis obtinuit.* Quòd ad Maximum autem Antiochenũ Patriarcham in locum Domni suffectum, spectat, cùm causa cognita Domnum iustè damnatum idem S. Leo intellexisset, Maximi substitutionem in eiusdem Domni locum factam, iam ante Synodum Apostolica auctoritate firmauerat, sicque iam in causa, cùm Synodus Chalcedonensis haberetur, ampliùs non erat. Illud certè constat eumdem Maximum, dum nona sessio haberetur à sacrosancta Synodo, pro miserationis intuitu, petijsse, vt sibi liceret ex suæ Ecclesiæ redditibus, eidẽ Domno exauctorato alimenta præstare, Synodumque eiusdem petitioni annuisse: Vnde colligas, nullam super eius ad Patriarchatum promo-

S. Leo epist. 54.

Ibidem.

Baronius ad annum 451. numero 129.

tione, in eadem Synodo quæstionem motam.

OBIECTIO.

pag. 217. *Iustinianus priores partes tribuit Patriarchæ Constantinopolitano in Synodo cõtra Anthimum.*

RESPONSIO.

Quinimmò ex eiusdem Synodi (quæ non generalis, sed particularis tantùm fuit) actionibus patet, Mennam Constãtinopolitanum Patriarcham, huius cum alijs Apostolicæ sedis Legatis præsidem, non ab Imperatore priores illas partes obtinuisse, sed vicaria sedis Apostolicæ præfectura priùs ab Agapeto Romano Pontifice, dum adhuc viueret, insignitum, priorem locum tanquam eo nomine debitum iure, meritoque sibi vendicasse. Quòd si ea ipsa, quæ in illius Synodi Præfatione leguntur verba, *Et à dextra quidem parte considentibus, & coaudientibus iuxta pium iussum Christo amantißimi, & à Deo custoditi Imperatoris nostri Iustiniani, sanctißimis ac Deo amantißimis Episcopis Sabino Canusino, &c. omnibus ex Italiæ regione*, nobis obijcias: Scias velim, nullam super hoc Iustiniani sanctionem reperiri, ideoque verbale tantùm Imperatoris fuisse iussum præsumimus, non quò priores Mennæ partes tribueret, sed quò Apostolicæ sedis Legatis (quorum Legationis munus summo Pontifice Agapeto mortuo, iam expirauerat) concederetur nihilominus ad dexteram Mennæ Patriarchæ cõsidere. Vnde & hoc additũ conijcimus post verba superiùs recitata, *priùs quidem missis à sede Apostolica*, quò significaretur ipsos legatos, morte licèt Agapeti interueniente exauctoratos, eodem tamen

Baronius ad annum 536. numero 72.

Præfat. Synod. Constãtinop. sub Menna.

Ibidem.

honore ab Imperatore fuisse dignatos, ac si Agapitus adhuc in viuis superstes fuisset.

OBIECTIO.

In sexta Synodo Episcopus Constantinopolitanus ad dextram Imperatoris consedit, Legati ad sinistram. pag. 217.

RESPONSIO.

Rectè equidem, Episcopus Constantinopolitanus ad dextram Imperatoris & ad læuam Christi, cuius Euangeliũ in medio super excelso thronum positum erat, consedit. Sicut Legati ad læuã quidem Imperatoris, & ad dextram Christi consederunt: vt certè intelligas ex Christi, non autem Imperatoris respectu primatium ipsos locum obtinuisse. Quod & Nilus & Cedrenus apertè testantur. Nilus quidem dum ait, ἧς ἡγεῖτο Ἀγάθων Ῥώμης, Γεώργιος Κωνσταντινουπόλεως, *Huic præerant Agatho Romæ, Georgius Constantinopolis.* Cedrenus verò, ἧς ἡγεῖτο τοποτηρηταὶ Ἀγάθωνος καὶ Πάπα Ῥώμης. Θεόδωρος καὶ Γεώργιος πρεσβύτεροι καὶ Ἰωάννης διάκονος, ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Γεώργιος, &c. *Principes*, inquit, *fuerunt Agathonis Papæ Romani locum tenentes, Theodorus, ac Georgius presbyteri, & Ioannes Diaconus, tum Archiepiscopus Constantinopolis Georgius.* Idem habet & Zonaras, necnon & Acta ipsa, in quibus cernere est ipsos Legatos, primo loco sententiam dicentes, primò subscribentes, aliaque huiusmodi peragentes, quibus primatius illis delatus more maiorum locus in omnibus intelligatur. Quod si de potiori dignitate lævæ, quàm dexteræ adhuc subdubitas, ad ea, quæ iam supra, cùm de Ni-

Nilus lib. de Synod.

Cedren. in compend. hist. in Constant. Pogonat.

cæna Synodo quæstio esset diximus, recurrendum tibi est.

OBIECTIO.

pag. 269. *Confirmatio Papæ, quam in Ecclesiam Valla vult introducere, scripturæ sanctæ non congruit. Cùm enim Christus ait,* Quoties duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi in medio eorum sum, *loquitur in præsenti tempore, quòd maximè hæc demonstrant,* Ibi ego sum, &c. *Quibus videtur innuere ipsum locum congregationis, vt ostenderet rem præsentem, ac seipsum in medio congregationis adfuturum.*

RESPONSIO.

Ecquis verò vnquam dubitauit, quin Deus (*non tanquam loco circumscriptus*, ait Oecumenius, *neque enim loco circumscribi potest*) in eorum medio absolute sit, *non qui simpliciter*, inquit S. Chrysostomus, *sed qui in nomine duntaxat suo congregati fuerint*, id est, ait S. Hilarius, *pari spiritu, ac voluntate collecti*, vel, vt Lyranus, *charitate vniti?* Charitas autem perfecta ibi non est, cùm expressus non interuenit capitis, ac membrorum consensus. Cùm enim Ecclesia capite visibili, membrisque etiam visibilibus constet, si dissentiat caput à membris, vel, membra à capite, nunquid charitas ibi erit? quæ secundùm Apostolum, *nec æmulatur, nec agit perperam, nec est ambitiosa? Sicut enim in musicis*, ait Origenes, *nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem, sic in Ecclesia, nisi consensum ipsa habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.* Et ita nec in medio

Oecumen. in Matthæ. 18. cap. 38.
S. Chrysost. Homil. 62. in Matth.
S. Hilarius Comment. in Matthæ. can. 18.
Lyran. in Matth. 18.
1. Cor. 13.
Origen. apud S. Thom. in Caten. Euāg. in Matth. 18.

medio eorum Deus erit, etsi duo, vel tres, vel etiã plures congregati fuerint, nisi mutuus capitis, & membrorum consensus accesserit. Consensus verò capitis, hoc est, summi Pontificis, non accedit, nisi cùm ea, quæ in Concilio ex præcipuis Ecclesiæ membris collecto decreta fuerunt, ipse approbat, & confirmat, nisi fortè Concilium aliquid definiens, in omnibus secutum fuerit Pontificis instructionem, suis Legatis ad idem Concilium missis, datam. Tunc enim Concilio consentiente cum Pontifice, seu tota Ecclesia tam in capite, quàm in membris idem sentiente, ac definiente, alia Pontificis confirmatio non desideratur, sed fide credendum est, tunc Christum iuxta promissionem suam huic definitioni, omnium consensu à Legatis nomine Pontificis factæ, adesse, ac præsto esse, adeo vt nec eam ipse Pontifex retractare possit, cùm certò constet eamdem Pontificis sententiam fuisse à Deo, quando à Concilio approbata fuit. Vnde S. Leo. *Quæ*, inquit, *Dominus, nostro priùs ministerio definierat, vniuersæ fraternitatis irretractabili firmauit assensu, vt verè à se prodire ostenderet, quod prius à prima sede firmatum, totius Christiani orbis iudicium recepisset, vt in hoc quoque capiti membra concordent.* S. Leo epist. 63. ad Theodoret.

OBIECTIO.

Gratiæ Dei non recipiunt diem, neque conditionem. pag. 219.

RESPONSIO.

De actibus legitimis hoc aliquando dictum legi: De gratijs verò Dei nequaquam. Transeat at-

tamen, ac de ijs enunciatum istud aliquando fuisse, concedatur. Gratiæ quidem Dei in Deo ipso consideratæ, seu quatenus à Deo emanant, non recipiunt diem, nec conditionem: *Spiritus enim vbi vult spirat*, inquit scriptura, *& nescis vnde veniat, vel quò vadat*, quia, inquit Beda, *ipse Spiritus sanctus in potestate habet, cuius cor gratiæ suæ visitationis illustret*, vel vt Theophylactus, *Naturæ legibus non subditur, sed liberam habet motionem, & quo vult, & sicut vult, operatur*. In nobis verò, seu quatenus ad nos deriuantur gratiæ consideratæ, diem, conditionemq; recipere possunt: Diem certè, quia vt Christus Dominus ait, *duodecim sunt horæ diei*, Et *mutato tempore*, inquit Lyranus, *potest voluntas mutari*, sicque obice sublato ad gratiæ receptionem aptè disponi, ipso Deo per Prophetam attestante. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua*. Conditionem verò etiam recipere possunt, vt in Euangelico illo textu, quo de agitur. Non enim Christus se in omnium, qui congregati fuerint, medio futurum asseuerauit, sed eorum tantùm qui in nomine suo congregati fuissent. Conditionem ergo istam apposuit, vt nempe in nomine suo congregarentur quotquot congregati suæ gratiæ participes esse vellent.

Ioann. 3.

Beda apud S. Thomam in Caten. Euāg. Theophyl. in Ioann. cap. 3.

Ioann. 11. Lyranus in Ioann. c. 11.

Ezech. 33.

OBIECTIO.

pag. 219. *Si Spiritus sanctus adest ex Christi promissione in Concilijs legitimis, & secundùm Canones congregatis, quid opus est alia confirmatione, cùm acta satis rata sint presentia Spiritus sancti, & communione sanctorum, & consensu Patrum?*

RESPONSIO.

Optima conclusio. Nulla equidem alia confirmatione opus est, cùm ipsa Concilia vt rectè ais, & legitima & secundùm Canones sunt congregata, adde tamen & peracta: Tunc enim summi Pontificis auctoritatem & consensum necessariò interuenisse præsumendum erit, alioquin nec legitima, nec secundum Canones congregata, vel peracta fuisse censeri deberent, vt multis suprà docuimus.

OBIECTIO.

Quod praxi Apostolorum comprobatur. Act. 15. Placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, qui vobis referant eadem. Visum est Spiritui sancto & nobis. *Attende*, Nobis collectis in vnum, *& sic secundùm promissionem Christi, non dubitauerunt dicere*, visum est Spiritui sancto. pag. 220.

RESPONSIO.

Ecce attendo: Quid iam tali dignum attentione nobis obtrudis? Cùm Apostoli ex fratribus delectos quosdam à se vnanimi consensu, quos cum Paulo & Barnaba mitterent, in sua Epistola explicare vellent, ἔδοξεν, inquiunt, ὑμῖν γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, *Visum est nobis vno animo, & consensu factis, delectos viros mittere ad vos cum dilectis nostris Barnaba & Paulo*, &c. *misimus ergo Iudam, & Silam, qui vobis referent*, &c. Quid mirum? *Ista sic explicantur*, ait Lyranus, *ad ostendendum, quòd hæc determinatio* (mittendi nempe Iudam & Silam cum Paulo & Barnaba) *erat ab omnibus approbata, sine dis-* Act. 15. Lyranus in Act. cap. 15.

sensione. Quid inde? cùm non de doctrina in decreto Apostolico contenta, sed de Iudæ & Silæ tantùm missione vnanimi fratrum consensu facta, agatur.

OBIECTIO.

pag. 220. *Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26.* Quãtus Deus, qui dat Deum: neque enim aliquis discipulorũ eius dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe vt veniret quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant.

RESPONSIO.

Cùm S. Augustinus filij diuinitatem contra Arrianos astruere vellet, ex Spiritus sancti datione per filium facta maximum, pro istius assertione veritatis, argumentum eliciens. *Quomodo*, inquit, *Deus non est, qui dat Spiritum sanctum?* Deinde addit. *Imò quantus Deus est, qui dat Deum?* At, inquis, asserit ille, discipulorum neminem dedisse Spiritum sanctum. Quid inde? cùm nullus hucusque sit repertus, qui summum Pontificem eo modo Spiritum sanctum dare, quo ipse Dei filius, vel qui eiusdem Pontificis confirmationem Spiritus sancti dationi adæquatam, asseruerit.

S. Augustin. lib. 15. de Trinit. cap. 26.

OBIECTIO.

pag. 221. *Canones vim habent non à decreto Pontificis, sed à sanctorum communione, & consensu omniũ Patrũ. Photius in Nomocanone tit. 1. cap. 4.* Quod non ab vno Episcopo, sed à communitate Canones eduntur Basilij can. 47. & Gregorij Nisseni can. 6.

RESPONSIO.

Vnde ergo tot summorum Pontificum Canones, quos nobis antea obiecisti? quorum plerique à solis Pontificibus summis, sine Concilio, nulloque Patrum in Concilijs requisito consensu, sunt editi? Numquid Iurisconsultus tot eorum decreta in Decreti, Decretaliumque corpus relata ignorare potest? Quòd si de eorum obligatione aliqua tibi dubitatio menti inhæret, audi quid sanctissimi ipsi Pontifices super hoc decreuerint: *Omnia decretalia constituta*, inquit S. Leo. *tam beatæ recordationis Innocentij, quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, vt si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps nouerit denegari.* Anastasius quoque, seu Gregorius 4. *Præceptis Apostolicis*, inquit, *non dura superbia resistatur, sed per obedientiam, quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica auctoritate iussa sunt, salubriter impleantur, si eiusdem sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis.* Hilarius præterea. *Nulli*, inquit, *fas sit, sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare.* Quæ Hilarij verba cùm tanta reuerentia à Christianissimis Francorum Regibus excepta legimus, vt ea in sua Capitularia, tanquam ab omnibus religiosè seruanda, redegerint. *Ita vnanimes*, inquiunt, *diuinis & Apostolicis constitutionibus seruiatis vt in nullo patiamini pia Canonum decreta violari: Vt nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare.* Vbi maximè notandum ipsa summorũ Pon-

S. Leo epist. 1. refertur can. 1. dist. 19.

can. Præceptis. dist. 12.

25. quæst. 1. can. Nulli.

Capitul. lib. 6. cap. 257.

tificum decreta, diuinis constitutionibus adæquari, *vel diuinas constitutiones*, inquiunt, *vel Apostolicæ sedis decreta*. Nec obstat Photij à Simone obiecta sententia, quæ de Episcopis tantùm, non autem de ipso summo vniuersali Pontifice loquitur.

OBIECTIO.

pag. 224. *Epistolam Concilij Nicæni ad Siluestrum pro eiusdem confirmatione, sexaginta abhinc annis ex Bibliotheca fratrum Dominicanorum Colonienſium, Petrus Quentel Bibliopola Germaniæ, primus exprompsit, eamque postea Alphonsus Pisanus Ignatianus, Cardinalis Baronius, & editio Conciliorum Romana 1608. pro vera obtrudunt.*

RESPONSIO.

Nunquid tibi Crescioniana collectio, ex qua Baronius ipsam recitat, qua de agitur, Concilij Nicæni Epistolam, antiquior multo Petro illo Quentel esse videbitur? Crescionius enim ille concordiæ Canonum auctor, circa Iustiniani tempora, cuius bella in Africa gesta carmine descripsit, vixisse à Gesnero narratur. Quod & vetitati maximè consentaneum inde colligitur, quod in sua Præfatione idem Crescionius, Ferrandi Diaconi, qui Canonum Breuiatium condidit, tanquam recentis, atque sibi contemporanei auctoris meminerit, quem nihilominus constat circa annum Domini quingentesimum vixisse.

Baronius ad annum 525. numer. 171.

Gesner. Bibliothe. in Crescionio.

OBIECTIO.

pag. 224. *Multis probaui huius Epistolæ suppositionem, tum quod Macharius non potuerit esse Episcopus*

Constantinopolitanus, quia Constantinopolis nondum ædificata esset.

RESPONSIO.

Quod Macharius, qui Ierosolymorum Episcopus Concilij Nicæni tempore erat, non potuerit eodem tempore Episcopus Constantinopolitanus esse, ducto ex impossibili argumento, sicque mendum in autographum Epistolæ irrepsisse, non diffiteor. Quòd verò Constantinopolis illo ipso tempore nondum ædificata esset, non mihi probatur, cùm præsertim magnus ille Alexãder Arij mastix, (qui teste Sozomeno in eodem Concilio Nicæno Ethnicum Philosophum Christianæ religioni insultantem mutum reddidit, cuius & *Apostolica oratio*, inquit S. Gregorius Nazianzenus, *impietatis auctorem, & Antistitem sustulit, idque in locis impurissima lingua dignis*) eodem tempore, Constantinopolitanus Antistes fuisse reperiatur. Nec repugnant etiam quotquot de Synodis tractatus edidêre. Photius equidem de Synodo Nicæna loquens. ὧν ἦσαν προέχοντες Ἀλέξανδρός τε ὁ τὸν τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἀρχιεπισκοπικὸν θρόνον λαχὼν. *Inter eos*, inquit, *præerat Alexander qui sedem Constantinopolitanam obtinebat.* Nilus. ἡγοῦντο ἡ Σωσθένης Σιλβέστρος τε Ῥώμης, Ἀλέξανδρός τε Κωνσταντινουπόλεως. *Præerant Synodo Silvester Romæ, Alexander Constantinopolis.* Incertus quoque auctor, qui de sex Synodis Oecumenicis librum scripsit, cùm de tempore Nicænæ Synodi agit, eam celebratam fuisse asserit. ἐπὶ τοῦ βασιλέως Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου καὶ Σιλβέστρου Πάπα Ῥώμης καὶ Ἀλεξάνδρου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. *Sub Imperatore, in-*

Sozom. lib. 1. hist. cap. 4. S. Greg. Nazian. orat. de seipso quòd Cathedr. Constantin. non affect.

Phot. lib. de 7. Synod.

Nilus lib. de Synod.

Incert. Auct. li. de Synod.

quit, *Constantino magno, & sub Siluestro Papæ Romæ, & Alexandro Patriarcha Constantinopoleôs.* Si ergo Constantinopolis nondum ædificata erat, quomodo eiusdem Alexander Episcopus esse potuit? Et si ideò tantùm Epistolam ipsam suppositionis arguis, quòd Episcopus aliquis Constantinopolitanus in ea nominetur, quare, veritate iam comperta, ambas ei manus non porriges? Quæ & si non sufficiant, numquid & S. Felicis 3. cum Synodo Romana testimonium, pro Nicæni Concilij confirmatione, à 318. Patribus petita, & à S. Siluestro præstita, tibi satisfaciet? *Domino*, inquit, *ad beatum Petrum Apostolum dicente: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, eam vocem sequentes trecenti decem & octo sancti Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ detulerunt.*

S. Felix 3. epist. 4. quæ est Synod.

Obiectio.

Adde eam meminisse Victorini, quòd erraverit in computatione Cycli decemnouennalis, quem 150. annis post Siluestrum vixisse probauimus.

pag. 224.

Responsio.

Quid si nec Victorini, nec Cycli decemnouennalis ista Patrum Nicænorum Epistola meminerit, an propterea à suppositione, cuius illam Simon arguit, vindicabitur? Consulat candidus lector integram illam à Baronio citatam Epistolam, perspicietque tam verum esse, quod à me asseritur, quàm falsum, quod pro asserenda eius suppositione in medium à Simone affertur. Quid autem de

Baronius ad annum 325. numer. 171.

eodem Victorino, qui computum Paschale arguere præsumpsit, sit tenendum, iam antea docuimus.

OBIECTIO.

De Synodi Constantinopolitanæ confirmatione amicus noster laudat Theodoretum libr. 5. cap. 9. pag. 224. His omnibus tanquã legitimè, secundùm Ecclesiæ Canones cõstitutis, obsecramus vestram sanctitatem, vt consentiat. *At hæc sunt genuina sanctæ Synodi verba.* Obsecramus vestram reuerentiam, vti congratuletur.

RESPONSIO.

Cùm de verbis quæstio sit, cur nõ certissimè, in Græcum Theodoreti textũ, librariorũ vitio, vnius literæ mendũ irrepsisse asseremus? & pro συγχωρεῖν, quod est consentire, συγχαίρειν, quod est congratulari fuisse suppositum? Cùm præsertim Photius, alioquin Romanæ sedis æmulus, tam clarum de confirmatione Synodo Constantinopolitanæ à Damaso præstita, testimonium nobis exhibeat. οἷς δὲ πολὺ χρόνῳ ὕ Δάμασος ὁ τῆς Ῥώμης τὰ αὐτὰ (nota) κεφάλαια ἐγνωρίζετο σύμφωνος. *Quibus*, vertit Iustellus, *& paulo post Damasus Romæ Episcopus, eadem confirmans, atque idem sentiens, accessit.* Phot. lib. de 7. Synod. in Synod. Constantin.

OBIECTIO.

Cælestinum Synodi Ephesinæ gesta confirmasse falsissimum est. pag. 225.

RESPONSIO.

Ad quid ergo solemnis illa legatio ab vniuerso Concilio ad Cælestinum cum literis directa,

in quibus præclarum, atque insigne Pontificiæ auctoritati, ad confirmandos cæteros, testimonium redditur? *Sanctitatis quidem tuæ*, inquiunt Patres, *circa pietatem, zelum, & curam illam de recta fide, nostro omnium Saluatori gratam, & placitam cum omni admiratione meritò susscipimus. Est enim hoc vobis ita magnis viris in consuetudine positum, vt in omnibus celebres sitis, & studia vestra Ecclesiarum fulcra constituatis:* Notate verba, signate mysteria. *In consuetudine*, inquiunt, *est positum*, vt non de nouo introductum, sed ab antiquo seruatum indicarent, quod dicere intendebant. Quid ergo? Nempe vt fulcra, seu fulcimenta, aut firmamenta Ecclesiarum cõstituatis: Quasi dicerent, decernat Synodus vniuersalis quidquid ipsa voluerit, eius tamen fulcimentum, seu firmamẽtum, seu confirmatio à te, qui summus es Pontifex, pendet. Quàm bene autem à sanctis istis Patribus nomen Græcum στήριγμα, quod Latinus interpres fulcrum vertit (vt iam suprà notauimus) ibidem vsurpatum fuit, vt se ad Lucæ textum, quo Petrus à Christo fratres confirmare iubetur, alludere significarent: Ibi enim Lucas verbo στηρίζειν, quod stabilire, fulcire, & confirmare sonat, vnde στήριγμα, vtitur. Nec est quod quis dicat congratulandi tantùm causa Ephesinos Patres hæc ad summum Pontificem rescripsisse. Addunt enim necessarium eis fuisse vt omnia in Synodo gesta ei manifestarent. *Quoniam verò*, inquiunt, *necessitas postulauit, vt quæ consecuta sunt in hac sancta Synodo, omnia ad sanctitatis tuæ cognitionem referantur, necessariò scribimus*, &c. Non alia quippe ratione, quàm vt de omnibus rationem reddentes, eius censuram, vel

tom. 2. oper. S. Cyrill. epist. 12. inter Synodal.

Luc. 22.

S. Cyrill. Alex. epist. 12. inter eos Synod.

confirmationem expectarent. Hinc eumdem Cælestinum videre est, in Encyclica sua, ijsdē Orientalibus Episcopis, qui ad Concilium conuenerār, per eosdem Legatos missa, ex eiusdem Concilij decretis nonnulla probantem, nonnulla & reprobantem. *De his autem*, inquit, *qui cùm Nestorio videntur parum piè consensisse, atque se socios eius sceleris addiderunt, quanquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus, quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quas Apostolica sedes semper aspexit*, &c. Et paulò pòst, ijs quæ in Concilio sancita fuerant, superaddens *Quam formā etiam*, inquit, *circa eos volumus custodiri, qui subripiēdum ex Ecclesiasticis causas à Christianis principibus crediderunt, & alio ordine rursus Ecclesias occuparūt. Antiochenum verò, si habet spem correctionis, Episcopum à vestra fraternitate volumus conueniri, vt nisi quæ sentimus, senseris*, &c.

Citatur à Baronio ad annum 432. numer. 10.

Ibidem & numer. 11.

Obiectio.

Quodque Valla ait, Cyrillum Epistola 29. scripsisse Cælestinum Synodi Ephesinæ gesta confirmasse, falsissimum est. pag. 225.

Responsio.

Si librariorum fortè vitio, aliqua in Cælestini, pro Sixti nomine suppositio, falsitas occurrit, non est tamen, quod negare audeas quin ex ea ipsa ab eodem doctissimo Valla citata S. Cyrilli Epistola, quæ est 29. ad Acacium scripta, appareat, à Sixto eiusdē Cælestini successore, idem Ephesinū Concilium fuisse cōfirmatum. Ita enim habet S. Cyrillus. *Si Epistolam*, inquit, *nonnulli circumtulerint tāquam à religiosissimo Philippo Romanæ Ecclesiæ Presbytero scri-*

S. Cyrill. Alex. tom. 2. epist. 29. in fi.

ptam, quasi sanctissimus Episcopus Sixtus depositionẽ Nestorij molestè ferat, ipsique bene loquatur, ne credat hoc sanctitas tua. Scripsit enim consona sanctæ Synodo, & omnia illius gesta (nota) *confirmauit, ac nobiscum consentit.*

OBIECTIO.

pag. 225. *Valla transit ad Synodũ Chalcedonensem, quam à Leone magno confirmatam ex eiusdem Leonis Epistola 69. sic indicat.* Imperator ad omnes Episcopos Chalcedonensis Concilij me scripta dirigere voluit, quibus quæ illic fũt definita de regula fidei, firmarem. Hoc libenter impleui, ne fallax cuiusquam simulatio, meam sentẽtiam haberet incertam. *Porrò hæc verba non reperiuntur in Epistola 69. editionum Colonienſium & Romanæ, nec in Concilijs Surij & Binij, neque etiam in Epistola 68. quæ est ad Martianum.*

RESPONSIO.

Quàm felix, fœcundissimusque veritatis indagator, qui tamen numeris, perquàm sæpissimè librariorum vitio deprauatis, non ipsi rei, quæ de agitur, plus æquo inhærens, vbique quærit, nec tamen inuenit, quod quærit, quia certè non ibi quærit, vbi inueniendum foret. Quòd si Martiano relicto, ad Pulcheriam sanctissimam eius coniugem gratulabandus accurrisset, & pro 69. numerum 58. reposuisset, illa ipsa S. Leonis verba, quæ se tantopere quæsijsse, nec inuenisse cõqueritur, in editione Parisiensi apud Carolam Guillard, anno 1543. pag. 167. in Epistola ad Pulcheriam, quæ est 58. si-

S. Leo epist. 58. ad Pulch.

ne dubio repetiſſet. Cõſulat candidus lector, meque non veracem tantùm, ſed & veraciſſimum experietur.

OBIECTIO.

At in Epiſtola 59. ex qua fortè iſta extorſit, hæc leguntur. pag. 116. Ne ergo per malignos interpretes dubitabile videatur, vtrum quæ in Chalcedonenſi Synodo per vnanimitatem veſtram de fide ſtatuta ſunt, approbem, hæc ad omnes fratres & Coepiſcopos noſtros, qui prædicto Concilio interfuerunt ſcripta direxi, vt & fraterna vniuerſitas & fidelium corda agnoſcant, me non ſolùm per fratres, qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriã vobiſcum inijſſe ſententiam. *Quibus in verbis hæc veniunt apprimè notanda*, propriam vobiſcum inijſſe ſententiam. *Declarant enim acta à communi conſenſu vim habere.*

RESPONSIO.

Vidiſti equidem paulò ante ex S. Leonis Epiſtola 58. editionis Pariſienſis, non extorta, ſed deſumpta verba. Quid iam noui? Leonem allegas, quaſi contra ſeipſum rugitum ediderit. Vnde quæſo tanta menti, oculiſque infuſa caligo, vt quod meridiano Sole clarius, iam non perſpicias, ſed quaſi inter Cimmerios degas, non niſi palpando, incedas? Cùm Leo rugiet, quis non timebit? Ecce

rugitum eius audijsti, nec times? Numquid certè, quia dubitatũ asserit S. Leo vtrum Synodi Chalcedonensis decreta ipse approbaret, requisitam ab illo, sed tamẽ ad tempus dilatam eius approbationem non colliges? Hinc enim & in Epistola 58. quã te nescisse iam professus es. *Imperator*, inquit, *ad omnes Episcopos, qui Chalcedonensi Synodo interfuêre, voluit me scripta dirigere, quibus quæ illic de fide sunt regula definita firmarem.* Et in Epistola præcedente, quæ est ad Martianum. *Facilius*, inquit, *clementia vestra arbitretur implendum, si per vniuersas Ecclesias definitiones sanctæ Synodi Chalcedonensis, Apostolicæ sedi placuisse doceantur.* Vnde intelligas ipsum Imperatorem plurimùm elaborasse, vt ea quæ decreta in Synodo fuerant, à S. Leone & approbarentur, & cõfirmarentur, vtrumque enim in vtraque Epist. verbũ reperitur. Quidni? Cùm & ipsa Synodus in relatione ad eumdem S. Leonem missa, idipsum se maximè exoptare, disertis verbis testata fuerit. *Hæc sunt*, Patres inquiunt, *quæ tecum, qui spiritu præsens eras, & cõplacere tanquam fratribus deliberasti, & qui penè per tuorum vicariorum sapientiam videbaris à nobis, effecimus. Indicauimus verò quia & alia quædam pro rerum ipsarum ordinata quiete, & propter Ecclesiasticorum statutorum definitum firmitate, scientes quia & vestra sanctitas addiscens, & probatura* (nota) *& confirmatura est eadem.* Et paulo post. *Rogamus igitur & tuis decretis nostrum honora iudicium*, &c. Et infrà. *Omnem vobis gestorum vim insinuauimus, ad cõprobationem nostræ synceritatis, & ad eorum quæ à nobis gesta sunt firmitatem & consonantiam*, &c. Quid miraris ergo si Leo & à Synodo & ab Imperatore rogatus, & in-

S. Leo epist. 58.

Idẽ epist. 57.

Habetur in Cõcil. Chalcedon in fi. Action. 16. tom. 2. Concil.

terpellatus, in ea Epistola quam tu recitas, ea omnia, quæ in eadem Synodo definita fuêre, non solùm per suos vicarios, qui eidem Synodo præfuerant, se iam probasse, sed & per seipsum iam probare & confirmare profiteatur? Nec obstat, quod tantopere notandum asseris. Nec enim fieri poterat, vt S. Leo omnia in Synodo gesta confirmans, approbaret, nisi eamdem cum Synodo iniret sententiam, alioquin si non eiusdem cum Synodo sententiæ illum fuisse contigisset, eadem Synodi gesta nequaquam vel probasset, vel confirmasset. Nec propterea acta ipsa à communi consensu vim habere dicenda erunt, nisi quatenus membra ipsa capiri vnita fuerint: Vnde ipsa vis actorum, non ab vnione membrorum inter se, sed ab vnione capitis & membrorum duntaxat exurget.

OBIECTIO.

Ariminense, Constantinopolitanumque Concilium sub Copronymo celebratum, ob id non improbauit Ecclesia, quòd nulla interuenerit confirmatio Pontificis, sed quia non erant libera, contraque Canones fuerant celebrata. pag. 228.

RESPONSIO.

Ad quid ergo Theodoretus de Ariminensi agens. *Præiudicium certè*, inquit, *numeri Ariminensis Conuentus, nullum esse potest, quando ita est habitus, vt neque Romani Episcopi* (nota) *cuius ante omnia sententiam cognoscere debuerant, neque Vincenty, qui tam multis annis præsulatus asseruauit integritatem, neque aliorum consensus illis accesserit.* Vbi apprimè notandum, Vincentium illum, de quo hîc mentio, Ca- Theodoret. lib. 2. hist. cap. 22.

puanum Episcopum fuisse, qui & in eodem Concilio (vt optimè notauit Baronius) legatione pro Liberio Romano Pontifice functus fuerat. Ad quid & S. ille Stephanus martyr, qui tanta ab Iconoclastis passus est, in disputatione cum Constantino Nicomediensi Iconoclasta habita, de reprobando eodem Constantinopolitano Concilio agens. *Iam*, inquit, *qui œcumenicum illud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes (citra cuius auctoritatem nullo modo fieri potest, vt res Ecclesiastica ad normam redigantur) gratum habuit?* Quid gratum habuit nonne idem, quod confirmauit?

Baronius ad annum 359. num. 3. & 45.

Acta S. Stephan. apud Baronium ad annum 754. numero 30.

OBIECTIO.

Patres soliti erant Epistolas Synodicas mittere ad sedem Patriarchalem, cui erant subditi, ad fouendam & stabiliendam sanctorum Communionem. Sic Synodus Carthaginensis sub Cypriano, de lapsis in persecutione Cornelio rescripsit. Cyprianus lib. 4. Epist. 2. Confirmationis nulla fit mentio.

pag. 228. & 229.

RESPONSIO.

Nunquid verò S. Cyprianus Cornelio tanquã priuato, & non potius tanquam vniuersali Patriarchæ omnium Ecclesiarum curam gerenti rescripsit? Alioquin quorsum, in eadem Epistola, de transmittẽdis ad Cornelium, Antoniani, ad quem scribebat, literis, agens, *Vt deposita*, inquit, *omni sollicitudine, iam sciret te secum, hoc est cum Catholica Ecclesia communicare*, nisi Cornelium Catholicæ, hoc est vniuersalis Ecclesiæ, caput agnouisset? Vnde & Romanam Ecclesiam, cui tunc idem Cornelius præsi-

S. Cypr. lib. 4. epist. 2.

præsidebat. *Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est*: Et alibi. *Ecclesiæ Catholicæ matricem & radicem*, nominat. Quorsum & in eadem à te citata Epistola de consensu, ab eodem Cornelio ijs, quæ in Carthaginensi Synodo decreta fuerant, præstito, glorians. *Si minus sufficiens*, inquit, *Episcoporum in Africa numerus videbitur, etiam Romæ super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui & ipse cum plurimis Coepiscopis habito consilio in eamdem nobiscum sententiam, pari grauitate & salubri moderatione consentit*, nisi Cornelij summi Pontificis necessariam fuisse confirmationē existimasset? Hinc & in alia ad eumdem Cornelium scripta Epistola, idem S. Cyprianus cuncta se suspendisse vsque ad legatorum, quos ad eum miserat, reditum, his verbis testatur. *Cùm statuissemus complures, qui in vnū conueneramus*, inquit, *vt legatis ad vos Coepiscopis nostris, Calydonio & Fortunato missis, omnia interim integra suspenderentur, donec ad nos ijdem collegæ nostri, rebus illic aut ad pacem redactis, aut pro veritate compertis redirent*, quò Concilij Prouincialis decreta, nonnisi ac cedente summi Pontificis confirmatione, rata esse posse significaret.

Idem lib. 1. epist. 3.
Idem lib. 4. epist. 8.
Idem lib. 4. epist. 2.
Idem lib. 4. epist. 8.

OBIECTIO.

Sic alia Carthaginensis Innocentio. pag. 229.

RESPONSIO.

Itane ad fouendam tantùm sanctorum communionem, & non potius ad expoſcendam sanctæ sedis Apostolicæ authoritatē, pro eorum confirmatione, quæ in eodem Carthaginensi Concilio sancita fuerant, idem Concilium Innocentio rescripsit? Vnde ergo hæc Africani patres, in ea-

dem ad Innocentium scripta Epistola, protestantur? *Hoc itaque gestum*, inquiunt, *domine frater, charitati tuæ intimandum duximus, vt statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum & quorumdam etiam peruersitate corrigenda.* Hinc & S. Prosper de eodem Concilio, in quo hæresis Pelagiana damnata est, agens, hæc in Africanorum patrum laudē cecinit.

Apud S. Augustin. epist. 90. & tom. 1. epist. Rom. Pontif.

S. Prosper de Ingrat.

Tu causam fidei flagrantius Africa nostra
Exequeris, tecumque suum iungente vigorem
Iuris Apostolici solio, fera viscera belli
Conficis, & lato prosternis limite victos

Et alibi.

Ibidem.

Conuenêre tui de cunctis vrbibus almi
Pontifices, geminoque senum celeberrima cœtu
Decernis, quod Roma probet, quod regna sequantur.

Nec est quod obijcias hæc Africanos patres ad Innocentium, tanquam ad sedem Patriarchalem rescripsisse, cùm ex eadem Epistola constet, eosdē maximè apud Innocentium elaborasse, vt quæ in fauorem Pelagij in Synodo Diospolitana in Palæstina gesta dicebantur, illius auctoritate examinarentur, eiusdemque Pelagij errores damnarentur.

Apud S. August. epist. 90. *Si ergo Pelagius*, inquiunt, *Episcopalibus gestis, quæ in Oriente gesta dicuntur omnia tuæ veneration iustè visus fuerit absolutus, error tamen ipse & impietas, quæ iam multos assertores habet per diuersa dispersos, etiam Apostolicæ sedis auctoritate anathematizanda est.* Et circa finem Epistolæ. *Quæcumque alia eis obijciuntur, non dubito venerationem tuam, cùm gesta Epistolis perspexerit, quæ in Oriente eadem causa confecta dicuntur, id indicaturam, vnde omnes in Dei misericordia gaudeamus.*

Ibidem.

Vnde planè colligas, Africanos patres, non ea tantùm, quæ in Africa gererentur, sed & quæ in Oriente, Innocentij iudicio subiecta existimasse. Hinc & idem Innocentius ad eosdem rescribens.

Patrum institutâ, inquit, *sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda. Quod illi non humana, sed diuina decreuêre sententia, vt quidquid, quamuis de disiunctis, remotisque prouincijs cogeretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad eius sedis notitiam perueniret, vt tota huius auctoritate* (nota) *iuxta quæ fuerit pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent ceteræ Ecclesiæ, velut de natali suo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuersas totius mundi regiones puri capitis incorrupti manarent, quid præcipere, quos abluere, quos velut in cœno immundabili sordidatos, mundis digna corporibus vnda vitaret.* Innocent. epist. 14. tom. 1. epist. Rom. Pontif. & apud Isidor. inter decret. eiusd. Innocent.

OBIECTIO.

Sic Mileuitana eidem Innocentio. pag. 229.

RESPONSIO

Si ita est vt asseris: Vnde ergo eadem Synodus in sua ad Innocentium Epistola, talia ingerit? *Quia te dominus*, Patres inquiunt, *gratiæ suæ præcipuo munere, in sede Apostolica collocauit, talemque nostris temporibus præstitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, si apud tuam venerationem, quæ pro Ecclesia sunt suggerenda, tacuerimus, quàm ea tu posis, vel fastidiosè, vel negligenter accipere, magnus periculis infirmorum membrorum Christi, pastoralem diligentiam quæsumus adhibere digneris.* Vnde & Innocentius eidem Synodo rescribens, *Diligenter*, inquit, *& congruè Apostolici consulitis honoris arcana. Honoris, inquam, illius quem præter illa, quæ sunt extrinsecus, sollicitudo ma-* Apud S. Augustin. epist. 92. & tom. 1. epist. Rom. Pontif. Innocent. epist. 34. epist. Rom. Pontif. & apud Isidor.

net omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus quæ sit tenenda sententia. Antiquæ scilicet regulæ formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse seruatam: Neque enim hæc vestram latere credo prudentiam, qui id etiam actione firmastis, nisi scientes, quod per omnes prouincias de Apostolico fonte petentibus, responsa semper emanent, præsertim quoties fidei ratio mutilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrū, id est, sui nominis, & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum posßit Ecclesijs omnibus in commune prodesse, Vt certè intelligas Innocentium, non tanquam priuatum Romani Patriarchatus Episcopum, sed tanquam summum vniuersi orbis Ecclesiarum pastorem, à Milęuitana Synodo & agnitum, & consultum fuisse.

OBIECTIO.

pag. 229. *Sic Arelatensis Silvestro*, Domino & sanctissimo fratri Silvestro Episcopo, Marinus, vel cœtus Episcoporum qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quæ decreuimus cōmuni consilio charitatiuè significamus, vt omnes sciant quid in futurum seruare debeant. *Cōfirmationis nulla fit mentio.*

RESPONSIO.

Ad quid verò hæc, quæ profers, Silvestro Synodus intimauit? Audi quæso iudicium auctoris Summæ Conciliorum, quem toties allegasti, eidemque multùm tribuere te, non semel professus fuisti. *Concilium Arelatense primum*, inquit, *est prouinciale, sed (vt apparet ex Præfatione) auctoritate Re-*

Summa Cōcil. in Cōcil. Arelat.

mani Pontificis confirmatum. Hinc & in Synodali ad eumdem Siluestrum missa Epistola, à Baronio ex P. Pithœo citata, hæc de decretis ab eadem Synodo factis leguntur. *Placuit etiam antequam edantur, à te qui maiores diœceses tenes, per te potißimùm omnibus insinuari.* Quasi protestarentur Patres, ad Romanum spectare Pontificem, leges Ecclesiasticas licet in frequenti Patrum consessu sancitas, sua auctoritate non probare solùm, sed & in vniuersas Ecclesias promulgare. Et hæc quidem de Concilio Arelatensi. Quod ad Basilidis autem, & Apiarij causas, quas hîc repetis, iam satis tibi factum est suprà.

Baronius ad annum 314. numero 67.

OBIECTIO.

Probabam ex Hieronymo Can. olim, 95. *dist. & Augustino Can.* quanquam 2. *quæst.* 7. *antiquitus presbyteros cum Episcopis Ecclesiam in commune rexisse.*

pag. 231.

RESPONSIO.

Licet ex Canone, *Olim*, possit elici, antequam in toto orbe decretum esset, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur, communi Presbyterorum consilio gubernatas fuisse Ecclesias (ita enim habet ille Canon) postea tamen id factum, aut fieri præceptum ex eo non liquet. Quòd enim idem S. Hieronymus in eodem Canone addit, *Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quàm dispensationis dominica veritate, presby-*

can. Olim. 95. distinct.

teris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, non præceptum, sed consilium duntaxat esse illa ipsa loquendi formula satis arguit. Quod ad Canonẽ autem, *Quanquam*, ex S. Augustino depromptum spectat, nihil minùs sonat, quàm quod ei Simon tribuit. Ibi enim de vitæ sanctitate S. Augustinus loquitur: *Quàmuis*, inquit glossa, *Augustinus sit Episcopus, & Hieronymus Presbyter, tamen Hieronymus maior est Augustino vita, & sanctitate. Et S. Augustinus*, addit alibi eadem glossa, *fortè credebat, non enim licuit ei mentiri pro humilitate.*

Gloss. in cas. ca. Quanquã 2. quæst. 7. Gloss ibid. verb. Augustinus.

Obiectio.

Subiungam testimonium Chrysostomi cap. 3. 1. ad Timotheum. Inter Episcopum & Presbyterum interest fere nihil, quippe & presbyteris Ecclesiæ cura commissa est, & quæ Episcopis dixit, presbyteris conueniunt. Sola quippe ordinatione superiores sunt illis.

pag. 231.

Responsio.

Bona verba quæso. *Presbyteris*, inquis, *Ecclesiæ cura commissa est.* Non ita germanus S. Chrysostomi textus, sed *Presbyteris*, inquit, *Ecclesiæ cura permissa est*, vt ex hac permissione, ab illis vtique, quibus principaliter Ecclesiæ cura commissa est, concessa, cunctis innotesceret, si qua Presbyteris potestas competit, non tam ex vi suæ ordinationis, quàm ex Episcoporum concessione procedere.

S. Chrysost. homil. 11. in cap. 3. 1. ad Timoth interpr. Musculo.

Obiectio.

Ideo Presbyteri in Concilium admitti, & voce

Pag. 232.

definitiua gaudere debent, quod ad natiuum, & ordinarium Ecclesiæ consilium pertineant, & hierarchæ sint.

Responsio.

Vnde ergo est, vt ex tot generalibus Concilijs, hucusque in Ecclesia per tot sæcula celebratis, ne vnum quidem reperias, in quo præter Episcopos aliqui Presbyteri definierint? Si præscriptione agendum, nunquid Episcopi possessorio gaudent? Tempore Victoris Papæ, in ipsis surgentis Ecclesiæ exordijs, cùm super Paschate quæstio esset. *Conuentus Episcoporum, & Concilia*, inquit Eusebius, *per singulas quasque prouincias conuocantur.* Quod & in reliquis deinceps Concilijs religiosissimè obseruatum fuit, in quibus etiam soli definientes subscripsisse reperiuntur Episcopi. Hinc Theodosius iunior in Epistola ad Ephesinum Concilium. *Illicitum est, eum qui non sit in ordine sanctissimorum Episcoporũ Ecclesiasticis immiscere tractatibus.* Hinc Pulcheria Augusta, cùm præter Episcopos cõplures Clericos, & Monachos ad Nicæam Bithyniæ prętitutũ Synodo locum confluxisse intellexisset, hæc ad Strategum Bithynię Consulatẽ rescripsit. *Necessarias*, inquit, *has pias literas ad tuam direximus claritatem, quatenus cum omni virtute eos, qui præter nostram euocationem, aut permissionem suorum Episcoporum, ibidem commorantur Clericos, siue intra hunc ordinem constitutos, siue aliqui eorum à proprijs Episcopis sunt remoti, vel Monachos, atque Laicos quos nulla ratio ad Concilium vocat, omnino debeas de ciuitate, & ipsis locis expellere.* Hinc & in eodem Concilio Chalcedone

Euseb. lib. 5. hist. cap. 23.

Extat tom. 1. Cõcil. ca. 32.

Extat ante Cõcil. Chalced. Baron. ad ann. 451. numer. 28.

postea celebrato, cùm plures Monachi, Laici, & Clerici ingressi essent, sæpius Patres inclamasse legimus. *Mitte foras superfluos, Concilium Episcoporum est.* Vnde & S. Antoninus, *ad Concilium generale,* inquit, *solum Episcopi, & superiores sunt de necessitate vocandi.*

Cõcil. Chalced. Act. 1. S. Antonin. 3. part. Summæ tit. 23. §. 7.

OBIECTIO.

Id docet Gersonus de potestate Ecclesiastica Consider. 12.

pag. 232.

RESPONSIO.

Id equidem Gersonus, ambiguè licet, ac de proprio cerebro, sine auctoritate, sine exemplis, asserit. Audias illum: Vbi enim de Episcopis analyticè, secundùm ea, quæ prioribus seculis actitata in Ecclesia fuerant, pronũciauit. *De voce definitiua,* inquiẽs, *qualem eam habeant, non est dubium de Episcopis, & superioribus prælatis, sicut iuxta prædicta practicatum sæpius inuenitur in prioribus Concilijs:* Tum demum de Presbyteris Curatis hæc addit. *Sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus prælatis, qui sunt Curati & Hierarchæ.* Quod si allegatũ ab eo, ad huius rei probationem facultatis Parisiensis decretũ obijcias, quid iuris? Cùm nihil eorum habeat, quæ ad præsentem quæstionem spectant. *Domini Curati,* inquit decretum, *sunt in Ecclesia minores Prelati, & Hierarchæ ex primaria institutione Christi, quibus competit ex statu, ius prædicandi, ius confessiones audiendi, ius sacramenta Ecclesiastica secundùm exigentiam sui status, & parochianorum ministrandi, ius sepulturas dandi, ius insuper decimas, & alia iura parochialia recipiẽdi.* Quid inde? Cùm inter tot iura, nullum ijs ius tri-

Gerson. de potest. Eccl. Consider. 12.

Ibidem.

Ibidem.

butum appareat, quo vocem definitiuam in Concilijs habere possint.

OBIECTIO.

Non omnes Parœci, & Presbyteri euocandi sunt ad Concilium, sed quidam ex quaque prouincia ad id deputandi, relictis ad diuina officia obeunda necessarijs. pag. 233.

RESPONSIO.

Si ex necessitate, non ad consultandum tantùm, sed & ad decernendum, Parœci ad Concilium generale sunt euocandi, cum causa, quæ pro fide stabilienda, seu hæresibus, aut schismatibus extirpandis, agitur, communis sit omnibus Catholicis, ac omnes tangat, numquid etiam necesse erit, vt ab omnibus non Episcopis tantùm, sed & Parœcis tractetur, & terminetur? Et ita omnes prorsus, non autem aliqui duntaxat ad Concilium euocari, ac in eo ad definiendum admitti debebunt, iuxta regulam, *Quod omnes tãgit ab omnibus approbari debet.* At si hoc fieret, numquid aliquando possent eiusmodi Concilia vocati generalia, cùm vix possent, omnes totius Ecclesiæ Parœci cõuocati? Vel si tãdem congregarentur, numquid possibile esset tale Cõcilium regere, propter nimiam multitudinem? Adde quod tunc sine dubio cum Parœcorum quisque, ambitione ductus, ad id Concilium cuperet accedere, plures sine dubio in eodẽ Concilio essent inferiores, quam superiores Prelati, cùm vnus Episcopus multos sub se Parœcos habeat, & proinde tunc verè vinceret maior sententia meliorem, sicque in Ecclesia regerentur supe- Cap. quod omnes ẽ. de regul. iur. in 6.

riores ab inferioribus, non è contrario; Quod quàm absurdissimum sit, quisque iudicet. Quin & si ita esset, facilè tunc posset vnus Princeps, in cuius regione Concilium celebraretur, definire quidquid vellet. Posset enim facillimè omnes suæ prouinciæ Parœcos colligere, & in Cõcilium introducere, quod alijs, qui longè absunt Principibus, exequi non liceret.

OBIECTIO.

In Ierosolymitana Synodo cùm decretum nomine Apostolorum, & seniorum cum omni Ecclesia esse emissum dicat S. Lucas, numquid nomine Ecclesiæ etiam Presbyteri simplices continentur? pag. 234.

RESPONSIO.

Quinimmò nomine Ecclesiæ non Presbyteri tantùm, sed & Clerici inferiores, atque etiam Laïci continentur. Vnde eodem planè argumento mihi quoque cõcludere licebit, non ab Apostolis tantùm & senioribus, sed & ab ipsis Clericis inferioribus, ac Laïcis Ierosolymitanum decretũ fuisse emissum. Quo quid absurdius dici potest? Discere ergo ex ipso S. Lucæ contextu solos Apostolos, & seniores fuisse vocatos. Συνήχθησ᾽ ὁ οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβυτέροι ἰδεῖν περὶ τ λόγυ τύτυ. *Conuenerunt autem*, inquit, *Apostoli & Seniores videre de verbo hoc.* Quin & à solis Apostolis sententiam definitiuam pronuntiatam, inde patet, quod post disceptationem inter Apostolos iudices, & seniores consultantes super eadem quęstione peractam, soli Apostoli loquentes, ac decernentes introducuntur. Act. 15. *Cùm autem*, inquit, *magna conquisitio fieret, surgens Pe-*

trus dixit ad eos. Et infrà. *Tacuit autem omnis multitudo, & audiebat Paulum & Barnabam narrantes quanta Deus fecisset signa, & prodigia in gentibus per eos. Et postquam tacuerunt, respondit Iacobus, dicens.* Vnde scias solos Apostolos tunc locutos, cùm super quæstione decernēdum esset. Scio equidem finita Iacobi oratione Lucam addere. *Tunc placuit Apostolis, & Senioribus, cũ omni Ecclesia,* &c. sed vide ad quid hęc dicantur? Iam enim non de quæstione definienda, sed de eligendis quibusdam ex fratribus, qui cum Paulo & Barnaba mitterentur Antiochiam, agebatur: Ait enim Lucas. *Tunc placuit Apostolis, & Senioribus, cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam qui cognominabatur Barsabas & Silam viros primos ex fratribus, scribentes per manus eorum.* Quòd si Epistolam, decretum Apostolicum continentem, nomine Apostolorum & Seniorum, quin & omnium fratrum, iuxta textum Græcum, scriptam, obijcias, quid turbaris? Cùm in ea non de decreto tantùm ab Apostolis facto, sed & de missione Iudæ & Silæ ab omnibus probata, agatur. Ibidem.

OBIECTIO.

Apostoli post receptum Spiritum sanctum, nihil humano ingenij acumine indiguerunt, ad quæstiones de fide accuratiùs enucleandas. pag. 234.

RESPONSIO.

Itan e? Vnde ergo in eodem Lucæ contextu, cùm de ipsa legalium quęstione definienda ageretur, scriptum legimus, πολλῆς δὲ συζητήσεως γενομένης, *Cùm autem magna conquisitio,* seu potius, *discep-* Act. 15.

ptatio, aut *disputatio fieret* (συζητεῖν namque vna disquirere, rationes conferre, seu ad rei alicuius indagationem disputare, si linguę Greçę peritis credimus, significat) nunquid certè, vt omnes intelligerent, non nisi in vtrãque partem disputando definitam fuisse illam quęstionem? Quòd si mirum istud tibi videatur, pro certo teneas eumdem Spiritum sanctum, quo pleni erant Apostoli, remedium hoc ad quęstiones fidei enucleandas, & definiendas eorumdem Apostolorum cordibus inspirasse, quod posteris vtile ac proficuum esse posset, stante super hoc nihilominus infallibili Christi promissione, *vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, illic ego in medio illorum sum.*

Matth. 18.

OBIECTIO.

pag. 234. *Chorepiscopi erant Præsbyteri, quos Episcopi post manuum impositionem mittebant ad pagos, tanquam Episcoporum Vicarios, quos Curatos hodie vocamus. Ergo turpiter labitur Valla, cùm eos Episcopos asserit.*

RESPONSIO.

Imò verò turpiter laberis, quandoquidem ex Concilio Antiocheno patet, Chorepiscopos verè Episcopalem consecrationem habuisse. Sic enim ait. *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint, & vt Episcopi* (nota) *consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, vt modum proprium recognoscant.* Vnde duplex Chorepiscoporum genus olim fuisse fateri cogimur: vnum quidem eorũ, qui licet propriam non haberẽt Ecclesiam, sed in aliena tantùm diœ-

Concil. Antioch. can. 10.

cesi ministrarent (quales nostro tempore sunt, quos vulgo Suffraganeos nominamus) ritu tamen Pontificum à pluribus Episcopis erant consecrati, poterantque Subdiaconos absolutè, necnon & Presbyteros, & Diaconos, cùm licentia Episcopi loci, ordinare, prout in eodem Concilio Antiocheno legitur. Alterum verò eorũ, qui cùm Presbytri duntaxat essent, vtpote ab vno tantùm Episcopo ordinati, vt ex Damaso à te citato patet, in pagis, aut oppidulis, animarum curam gerebant loco Episcoporum, ijsque, vt ex Concilio Ancyrano liquet, non licebat, *vel Præsbyteros, vel Diaconos ordinare, sed nec Præsbyteris ciuitatis, sine Episcopi præcepto amplius aliquid imperare, nec sine auctoritate litterarũ eius, in vnaquaque parochia aliquid agere*, vel certè, vt ex Hispalensi Cõcilio 2. ijsdem prohibita erat, *Præsbyterorum, & Diaconorum, ac virginum consecratio, constitutio altaris, benedictio vel vnctio, siquidem nec licebat eis benedicere Ecclesiam, vel altaria cõsecrare, nec per impositionem manus fidelibus baptizandis, vel conuersis ex hæresi, Spiritum sanctũ tradere, nec chrisma conficere, nec chrismate baptizatorũ frontem signare, &c.*

Ibidem.

Damas. in epistol. de Chorepisc.

Concil. Ancyr. can. 13.

Concil. Hispal. can. 7.

OBIECTIO.

In Synodo Nicæna Chorepiscopi subscripserũt. pag. 234.

RESPONSIO.

Sit ita. Chorepiscopi adfuerint, subscripserint. Quid inde? si vel Chorepiscopi primi generis, qui verè Episcopi erant, vel si saltem secundi generis, suorum Episcoporum procuratorio nomine absentiam supplentes, asserantur? Nunquid & eadem in quibusdam alijs subsequentibus Concilijs peracta quisque nouit? In Concilio certè Triden-

tino post Episcopos, atque Abbates, procuratores absentium cum legitimo mandato triginta nouem subscripsisse referuntur.

OBIECTIO.

pag. 235. *Attalum Presbyterum, qui nec Chorepiscopus erat subscripsisse Concilio Nicæno, auctor est Ambrosius in Synodo Aquileensi.*

RESPONSIO.

Itane S. Ambrosius? Quid ergo ait? *Attalus*, inquit, *in tractatu Nicæni Concilij subscripsit.* Optimè. Quid inde? Ergo Concilio Nicæno Attalus interfuit. Negatur. Alioquin & de cæteris Episcopis, qui eidem Synodo Aquileensi intererant, idem prorsus dicendum esset, cùm Sabinus omnium nomine hæc profiteatur. *Sabinus Episcopus*, inquiũt acta, *dixit, Testes sumus nos Attalum subscripsisse in Concilio Nicæno, & nunc nolle respondere.* Nec enim de Attali subscriptione in eodem Concilio Nicæno facta, testes esse poterant, nisi subscribentem eum vidissent, sicut nec subscribentem vidisse, nisi interfuissent. Nunquid verò Sabinus iste, nunquid & S. Ambrosius Nicæno Concilio ante quinquaginta sex annos celebrato, præsentes fuêre, vt Attali subscriptionis testes esse possent? Scias ergo id tantùm de Attalo assertum, quod Occidentales aliqui Episcopi, qui eidem Aquileensi Synodo interesse non poterant, in Epistola ad Gratianum Imperatorẽ missa, de seipsis professi sunt, *se*, nempe, *in tractatu Nicæni congruere Concilij.* Cùm enim post Nicæni Concilij celebrationem, mos inoleuisset, vrgente aliqua occasione, fidei formulæ ab

Act. Synod. Aquileens. tom. 1. Concil.

Concil. Nicæn. ann. 325. Concil. Aquileens. anno 381.

Apud Baron. ad annũ 381. numer. 93.

eodem Concilio præscriptę, subscribendi, quid mirum, si de Arrio Presbytero, ante Apostasiam Catholico, Nicæneque fidei professore asseratur, quod in tractatu Nicæni Concilij subscripserit?

OBIECTIO.

Eusebius, qui Concilio Nicæno intererat, tanquam oculatus testis nominatim docet 250. Episcopos Nicæam conuenisse, cum Presbyteris & Diaconis lib. 3. de vita Constantini cap. 9. pag. 235.

RESPONSIO.

Non ita definitè Eusebius, sed numerum 250. Episcopos superasse asserit, ἐπὶ δὲ τὴ παρούσης χορείας ἐπισκόπων μὲν πλῆθος ὡς πεντήκοντα καὶ διακοσίων ἀριθμὸν ὑπερακοντίζουσα. Vbi certè & mendum in numerum irrepsisse & pro τειακοσίων, suppositum διακοσίων, ex eo apparet, quod Socrates, eumdem Eusebij locum recitans, Episcopos ad trecentorum numerũ & eò amplius, Nicæam conuenisse testatur. ἐπὶ δὲ τὴ παρούσης χορείας ἐπισκόπων μὲν πλῆθος σὺν τειακοσίων ὑπερακοντίζουσα. Huicque sententiæ astipulantur vnanimiter, quotquot de eadem Synodo scripserunt, numerum nempe Episcoporum ad trecentos decem & octo peruenisse. Ita S. Athanasius, S. Hilarius, S. Epiphanius, necnon & Ruffinus, & Theodoretus, aliique historici. Vnde temerarius equidem Simon reputabitur, qui Nicænorum patrum numerum, iampridem in magno illo fidei patre dicto, Abraham, consecratum, quando cum totidem ex suis vernaculis aduersus quinque Reges decertans eos vicit, iterum in controuersiam reuocare satagit. Quòd ad Præsbyteros autem, &

Euseb. lib. 3. vit. Constãt. cap. 9.

Socrat. Græcè à Robert. Steph. edit. lib. 1. histor. Eccles. cap. 8.

S. Athanas. in epist. ad Iouian. Imper.

S. Hilar. lib. contra Constant.

S. Epiph. hæres. 69. & in Ancorat.

Ruffin. lib. 1. cap. 1.

Theodoret. lib. 1. cap. 7.

Genes. 14.

Diaconos ab Eusebio memoratos spectat, infinitum prope eorum fuisse numerum ex eodem Eusebio constat. ἐπομβρῶν δὲ τούτοις πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, ἀκολούθων δὲ πλείσων ὅσων δ' ἑτέρων οὐδ' ὡς εἰς ἀριθμὸν, *Adhærentium vero istis*, inquit, *Presbyterorum ac Diaconorum, Acolythorumque ac plurimorum aliorum ne numerus quidem comprehendi poterat.*

Euseb. lib. 3. vit. Constat. cap. 9.

Obiectio.

pag. 236. *Quantum ad Constantinopolitanam Synodum, Petrus frater Basilij magni, & Diodorus numerantur à Theodoreto lib. 5. cap. 8. qui tamen Episcopi non erant. De Diodoro, quem Cilicem Episcopum fuisse Valla asserit, quod nusquam est apud Theodoretum.*

Responsio.

Itane? Quid si Theodoretum ipsum, eodem in loco à Simone citato, manifestissimè eumdē Diodorum inter Episcopos numerātem, Cilicumque Episcopum fuisse asserentem, monstrauero, nunquid supinæ ignorantiæ Simonem arguere fas mihi erit? Accipe ergo germanum ipsum Theodoreti textum, ἦσαν δὲ ἄνδρες ἀξιάγασοι καὶ ζήλου θείου καὶ σοφίας ἀπλέου, ἑλλάδιός τε ὁ τῆς μεγάλης βασιλείου προεδρείας διάδοχος, Γρηγόριός τε καὶ Πέτρος οἱ τῆς αὐτοὺς βασιλείῳ πατέρας αὐχήσαντες, ἀμφιλόχιος δὲ Λυκαόνων ἡγεῖτο, καὶ πολίων ὀπίμου καὶ χιλίων διάδοχος. Quem locum ita Latinè vertit Musculus. *Erant*, inquit, *homines admiratione digni, & feruore, sapientiaque diuina pleni, Helladius, qui post magnum Basilium præsulatum inierat, Gregoriusque, ac Petrus, eosdem cum Basilio parentes sortiti, quique Lycaonibus præerat Amphilochius,*

Theod lib. 5. histor. cap. 8.

chius, & Optimus Pisidarum, Cilicumque (nota) *Antistes Diodorus.* Quæ si non sufficiant, en tibi de eius ad Episcopatum promotione, quæ idem Theodoretus ibidem paulò ante describit. *Diuinus verò Meletius*, inquit, *Diodorum illum, cuius ante mentionem feci, qui nauem Ecclesiæ in grauissima tempestate incolumem seruauerat, Tarsi pastorem designauit, Cilicumque gentem ei concredidit.* Quin & Episcopum eum fuisse ex Theodosij etiam ad Auxonium Proconsulem Asiæ, missa sanctione, apparet. *Episcopis*, inquit, *tradi omnes Ecclesias mox iubemus, quos constabit communione Nectarij Episcopi Constantinopolitani, &c. quos etiam in Orientis partibus Pelagio Episcopo Laodicensi, & Diodoro Episcopo Tarsensi, &c. communicare, constiterit.*

Idē eod. lib. 5. hist. cap. 4.

L. 3. de fid. cathol. Cod. Theodos.

Obiectio.

De Petro Basilij magni fratre nihil potest esse dubij, cùm & Episcopum fuisse non dicat Theodoretus, quando aliorum Episcoporum meminit.

pag. 236.

Responsio.

Nunquid non & S. Gregorius S. Basilij frater Episcopus Nissenus erat, quem constat anno Domini 370. duodecim, scilicet, annis ante Concilium Constantinopolitanum, à Valente Arianorum fautore à propria Ecclesia Nissena pulsum, atque exilio damnatum. Id enim sanctus Basilius eius frater his verbis testatur. *Hi*, inquit, *nunc fratrem meum ex Nissa ablegarunt, & eius loco virum introduxerunt, imo mancipium triobolare;* Nec tamen eum Theodoretus in eodem loco à te citato Episcopum memorat. Quod autem idem Petrus Epis-

Baronius ad annum 370. numero 17.

S. Basil. epist. 10.

copus Sebastenus fuerit, accipe testimonium vniuersalis Ecclesiæ, anniuersariam eius diem quinto Idus Ianuarij, hoc elogio recolentis. *Sebastæ in Armenia sancti Petri Episcopi, fratris sancti Basilij.* Hinc Baronius Episcopos illos enumerans, qui Constantinopoli discesserunt, quando S. Gregorius Nazianzenus eiusdem vrbis Pontificatu se abdicauit. *Qui nam autem,* inquit, *hi fuerint, licet verbis non exprimat Gregorius, coniectura tamen ducimur, fuisse veteres ipsius collegas, amantissimos amicos, quibuscum arcta necessitudo ex diuturna consuetudine intercesserat, quales fuêre Amphilochius Episcopus Iconij, Gregorius Nissenus, Petrus germanus eius, Episcopus* (nota) *Sebastenus,* &c.

Martyrolog. Rom. die 5. Ianuar.

Baronius ad annum 381. numero 66.

OBIECTIO.

pag. 236. *Basilius Epistola 77. eum non aliter appellat, quàm fratrem, & compresbyterum.*

RESPONSIO.

Quid inde? Anne quia Petrus Basilij germanus, Presbyter tantùm erat anno Domini 372. cùm hanc ad Occidentales Epistolam S. Basilius scripsit, Episcopus esse non potuit, cùm post decennium anno scilicet 382. Synodus Constantinopolitana celebrata fuit?

OBIECTIO.

pag. 236. & 237. *Multos Legatos Pontificis, & aliorum Episcoporum, qui tantùm Presbyteri erant subscripsisse ostendebam in Synodis Ephesina, Chalcedonensi, Quinta œcumenica, & Trullensi.* Et paulò pòst. *Verùm aio Legatos hoc priuilegium non habere à delegantibus, sed ex vi suæ institutionis.*

RESPONSVM.

Audi Pythagoricam analysim ἀυτὸς ἔφα: Aio, inquit Simon, auctoritatiuè resoluēs. Verùm quid ais? *Legati*, inquis, *hoc subscribendi priuilegium non habuêre à delegantibus, sed ex vi suæ institutionis*, quia nempe Presbyteri erant. Itane? Vnde ergo inueniuntur, & Diaconi summi Pontificis Legati, qui etiam ante ipsos, non dico tantùm Episcopos, sed & Patriarchas, in Patriarchali etiam ipsa ciuitate subscripsêre? In sexta Synodo Trullēsi cum Theodoro & Georgio Presbyteris, & Ioannes Diaconus Agathonis summi Pontificis Legatus reperitur, sicut & in octaua Synodo cum Donato & Stephano Episcopis, & Marinus Diaconus Legatus Adriani 2. habetur, qui tamen vtrobique, & primi nominantur, & primi subscribunt. An dubitas? Audi de sexta Synodo, quid Cedrenus testetur. *Synodi*, inquit, *principes fuerunt Agathonis Papæ Romani locum tenentes Theodorus, ac Georgius Presbyteri, & Ioannes Diaconus, tum Georgius Constantinopolitanus, & Theophanes Antiochiæ Archiepiscopi.* Quibus astipulantur & ipsa vtriusque Synodi acta. In prima quidem eiusdem sextæ Synodi actione hæc leguntur. *In nomine Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi conueniente sancta & vniuersali Synodo, quæ secūdùm Imperialem sanctionem congregata est in hac regia vrbe Theodoro & Georgio Presbyteris, & Ioanne Diacono, vicem agentibus Archiepiscopi antiquæ Romæ, & Georgio Archiepiscopo magnæ Constantinopolis nouæ Romæ, & Petro locum seruante sedis magnæ ciuitatis Alexandriæ, & Macario Archiepiscopo Antiochiæ*, &c. In prima quoque octauæ Synodi actione. *Anno tertio pijssi-*

Cedren. Cōstant. Pogonat. anno 13.

Concil. 6. act. 1.

Cōcil. Constant. 8. act. 1.

morum Imperatorum Basilij, & Constantini, conuenientibus Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono locum tenentibus Adriani sanctissimi Archiepiscopi senioris Romæ, & Ignatio Archiepiscopo Constantinopolitano nouæ Romæ. Vbi apertissimè Diaconos vides præferri non solum Episcopis, sed & ipsis Patriarchis. Si ergo Legati ad Synodos missi non à delegantibus, sed ex vi suæ institutionis subscribendi priuilegium habebant, quomodo Diaconis istud concessum, quibus nulla ad Ecclesiæ regimen potestas (vt paulò ante dicebat Simon) nullaq; etiam Cathedræ participatio competit, vt his verbis S. Ambrosius testatur. *Diaconi*, inquit, *quàmuis Sacerdotes non sint, Euangelizare tamen possunt, sine Cathedra.*

S. Ambros. in ca. 4. epist. ad Ephes.

OBIECTIO.

pag. 237. *Paulus ait, Christum instituisse in Ecclesia alios Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores in opus ministerij, ad ædificationem Ecclesiæ. Cùm autem Episcopi Apostolis successerint, Parœci pastoribus & septuaginta discipulis, ijs certè Ecclesiæ ædificatio proportionatim etiam incumbit, quæ potissimùm in Synodis peragitur.*

RESPONSIO.

Etsi proprium Parœci munus sit quotidiana prædicatione, ac sacramentorum administratione pascere, & docere populum sibi creditũ: Definire tamen, quæ credenda sunt, & quæ agenda, adeò vt omnes ea teneantur vel credere, vel agere, nec ad Parœcos spectat, nec id etiam præstare possunt, sed soli Epi. De quibus ita Ieremias, *Dabo vobis pastores secundùm cor meũ, & pascent vos scientia & doctri-*

Ierem. 3.

na. Et Paulus. *Attẽdite*, inquit, *vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Nec idem Paulus per pastores, & doctores Parœcos intelligit, sed solos Episcopos. *Quibus videlicet*, inquit S. Chrysostomus, *vniuersus populus concreditus est. Erant enim euãgelizantibus inferiores, qui habitando quieti circa vnum duntaxat locum occupabantur, vt Timotheus, & Titus.* Vel vt Theophylactus. *Pastores & Doctores eos dixit, quorum curæ fuisset Ecclesia demandata, Episcopos, inquam, qualis Timotheus erat, ac Titus. Quãtùm enim ad curam Ecclesiæ*, inquit S. Thomas, *subdit Paulus alios autem pastores, curam scilicet Dominici gregis habentes, & doctores, ad ostendendum, quod proprium officium pastorum Ecclesiæ est docere ea, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores. Hinc dicitur de Episcopis Ieremiæ 3. Dabo vobis pastores*, &c. Nec immerito pastores, hoc est, Episcopos addit Paulus postquam Apostolos, Prophetas, Euangelistas, nomin asset. *In Episcopo enim*, ait S. Ambrosius, *omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est, princeps est Sacerdorum, & Propheta, & Euangelista, & cætera ad implenda officia Ecclesiæ in ministerio fidelium.*

Act. 20.

S. Chrysost. serm. 11. in 4. ad Ephes.

Theophyl. in 4. ad Ephes.

S. Thom. in 4. ad Ephes. lect. 4.

S. Ambros. in cap. 4. ad Ephes.

Obiectio.

Supereſt de appellationibus differamus. In his enim sole meridiano clariùs elucet superioritatis natura.

pag. 240.

Responsio.

Optimè quidem, ex appellationibus superioritas elucet. Semper enim à minore ad maiorem, non è contra appellatur. Videamus ergo vtrum vera semper extiterit præclara illa Gelasij assertio.

S. Gelas. in epist. ad Episc. Dardan. Theodoret. in epist. ad S. Leon.

Ad sedem Apostolicam, inquit, *de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus.* Taceo Episcopos Theodoretum, qui à Concilio Ephesino 2. ad S. Leonem 1. Sagittarium, & Salonium Gallicanos Episcopos, qui à

Gregor. Turon. li. 5. hist. Frâc. cap. 20.

Concilio 1. Lugdunensi ad Ioannem summum Pontificem, alioſq; etiam qui à Cõcilijs condemnati, ad Romanum Pontificem appellauêre, vt ad

Sozom. lib. 3. hist. cap. 7.

Patriarchas ipsos sermonem conuertam. Nũquid S. Athanasius Patriarcha Alexandrinus, numquid S. Paulus Patriarcha Constãtinopolitanus, à Concilio Antiocheno depositi, ad Iulium 1? Numquid

Liberat. in Breuiar. c. 12.

S. Flauianus Patriarcha etiam Constantinopolitanus, à Concilio 2. Ephesino cõdemnatus, ad eumdem S. Leonem 1? Numquid S. Ioannes Chrysostomus Patriarcha Antiochenus à Concilio etiam

S. Chrysost. in epistol. ad Innocent.

Antiocheno depositus, ad Innocentium 1? Numquid & S. Ignatius Patriarcha item Constantinopolitanus à Photio è solio exturbatus, ad Adrianũ

Baronius ad annum 861. numero 31.

2. summos Pontifices, vt de alijs taceam, appellauêre? Quid quod & Macarius Patriarcha Antiochenus, licet hæreticus, à sexta Synodo condemnatus, ad Agathonem summum Pontificem appellauit? Quòd si S. Augustinum obijcias, numquid eum aliquando perlegisti de Cæciliano Episcopo Carthaginensi, à Concilio septuaginta Episcoporum in Africa condemnato, hæc testantem?

Idem ad annum 681. numero 48.

S. August. epist. 162.

Erat, inquit, *Carthaginensis Ecclesia, etiam transmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis, vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Episcopum, qui posset non curare conspirantium inimicorum multitudinem, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apo-*

stolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium in Africam venit, per communicatorias literas esse coniunctũ, vbi paratus esset, suã causam dicere, si aduersarij eius illas Ecclesias ab eo alienare conarentur.

OBIECTIO.

S. Augustinus inuehitur in Donatistas, quòd cùm aliud haberent remedium aduersus sententiam Papæ (plenarium nempe Concilium) schisma potius elegerunt. pag. 240.

RESPONSIO.

Quinimmò S. ipse Augustinus de isto remedio agens, necessarium illud non fuisse asserit, adhibitumque duntaxat ab Imperatore fuisse, vt importunis Donatistarum querelis aliquo modo satisfaceret. *Iudices*, inquit, *Ecclesiasticos tantæ auctoritatis Episcopos, quorum iudicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata est, non apud alios collegas, sed apud Imperatorem accusare ausi sunt, quòd malè iudicarint. Dedit ille Arelatẽse iudicium, aliorum scilicet Episcoporum, non quia* (nota) *iam necesse erat, sed eorum peruersitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibere.* Adde quod cùm testasse ait plenarium Ecclesiæ vniuersæ Cõcilium, confestim subdit, *Vbi etiam cum ipsis iudicibus causa posset agitari.* Quod de Romano Pontifice vtique dictum, nullus ambigit; Per hæc innuens, si Cæciliani causa iterum tractanda foret, ob nouas nempe à Donatistis, contra Melchiadis sententiam, confictas, atque Imperatori ingestas causas (*vt quòd omnis causa non fuisse audita*, inquit Constantinus in literis, quas super hoc ad Ablauium dedit, *sed potius ydem Epis-*

S. Augustin. epist. 162.

Idem ibid. paulò antè.

Baronius ad annum 314. numero 44.

copi, quodam loco se clausissent; & prout ipsis aptum fuerat, iudicassent) si tractanda, inquam, esset, non nisi cum ipsis iudicibus, cum Romano quippe Pontifice, terminanda esset. Hinc enim idem Constantinus ad Chrestum Syracusanum Episcopum, de Concilij Arelatensis celebratione, rescribens, non nisi præsente Romano Pontifice apud Arelatem terminandam causam asserit. *Episcopo Romano etiam coràm*, inquit, *hoc dissensionis quidquid videatur, possit illis præsentibus acurata dijudicatione in rectam viam reduci.* Vnde & factum est, vt eidem Arelatensi Synodo, Siluester Romanus Pontifex Melchiadis successor, per Legatos Claudium & Vitum Presbyteros, Eugenium & Cyriacum Diaconos (vt ex veteri fragmento Balduinus refert in Optatum scribens) præfuerit. Nec verò mirum videri debet, quòd causa semel à summo Pontifice in Concilio particulari iudicata, iterum ab eodem in generali Concilio iudicetur, præsertim in quæstione facti, quæ pendet ex informationibus, qualis illa erat, de qua tunc agebatur. Id enim pluries factitatum legimus, vt nempe res definitæ in Concilijs particularibus, iterum in Concilio generali tractarentur, in quo vltima, atque definitiua sententia à Pontifice, Concilio assentiente dabatur. Nec per hoc summi Pontificis auctoritati præiudicium aliquod fiebat, vbique enim, vel per se, vel per suos Legatos definiebat.

Idem ibid. numero 42.

Balduin. in Annotat. ad Optat.

Obiectio.

pag. 243. *Certissimum est, Constantiensem Synodum recepturam fuisse prouocationem Ioannis Hus, si*

à Papa ad Concilium appellasset.

RESPONSIO.

Qualiter verò non modò certum, sed & certissimum est, quod dicis? Vnde quæso mentem Concilij assequi potuisti, qui nec ipsius verba assecutus es? *Speculum mentis*, inquit S. Bernardus, *plerùmque in verbis refulget.* Si ergo verba deficiunt, vnde mens innotescet? Lege, peruolue singula huiusce Cõcilij acta, si fortè aliquid tibi occurrat, quod tuæ opinioni quæ menti Concilij duntaxat inhæret, suffragetur. Cùm hæc itaque sola tui cerebri coniectura nitantur, ne mireris, nec turberis, si eam nec responsione dignam cunctis prædicauero.

OBIECTIO.

Declarat apertissimè Constantiensis Synodus Concilium esse iudicem medium inter Papam, & Christum Dominum. pag. 243.

RESPONSIO.

Vbi? In qua Sessione? In qua actione? Nunquid ergo tibi talia sic fingere licitum erit? Dãnarit Synodus Ioannem Hus, quòd appellationẽ ad Dominũ nostrum Iesum Christum, tanquam ad summum iudicem, omissis Ecclesiasticis medijs, interposuerit, anne propterea Concilium esse iudicem medium inter Papam, & Christum Dominum definiuit? Quis tibi media illa Ecclesiastica, de quibus Synodus loquitur, Concilium esse manifestauit? Quòd si alibi eamdem Synodum declarasse contendas. *Concilium potestatem à Christo immediatè habere, cui quilibet, cuiuscumque status, vel dignitatis,* Concil. Cõstanr. Sess. 4. & 5.

etiam si Papalis existat, obedire teneatur, perge, quæso & ea quæ immediatè sequuntur, subiunge, *In his*, nempe, subdit Synodus, *quæ pertinent ad extirpationem dicti schismatis*, vt non semper, sed in casu tantùm, & tempore schismatis, quando quippe nescitur, quis sit verus Papa, seruandum decretum demonstraret.

OBIECTIO.

pag. 244. *Paulus Langius memorat Ioannem Theutonicum appellasse à Clemente 4. pro decimarum impositione.*

RESPONSIO.

Solus, inter plures historicos, hæc Paulus Langius de Ioanne Theutonico retulerit, anne propterea Ioannes ille Theutonicus iustè & legitimè appellauit? Nũquid certè, quia Donatistæ à Melchiade summo Pontifice ad Constantinum Imperatorem appellauerunt, propterea appellationem licitam à summo Pontifice ad Imperatorem, asserere quis audebit? Audi quæso, quale fuerit, de huiusmodi appellatione, Constantini iudicium.

S. Optat. lib. 1. contra Parmen. *Quid igitur*, inquit, *sentiunt maligni homines, officia diaboli? Perquirunt sæcularia, relinquentes cælestia. O rabida furoris audacia! sicut in causis gentium fieri solet appellationem interposuerunt.* Idem planè de Ioanne Theutonico dicendũ, qui tam bene à summo Põtifice appellauit, quàm (eodem teste Langio) can. *veterum librorum*, distinct. 9. interpretatus est. *Iste Ioannes*, inquit ille, *etsi in sua facultate, id est, iuris scientia peritissimus fuerit, attamen ob Græcanicarum literarum insciti am, complures in suis glossis commisit ine-*

Paul. Lang. in Chron. Citizens. ad annum 1267.

ptiæ, maximè distinct. 9. Canone veterum librorũ. Adde quòd si aliquãdo Ioannes iste appellando peccauit, *Ac propterea*, vt idem Langius ait, *Clemens 4. eum excommunicauit, & præpositura priuauit*, peccatum tamen suum cognoscens, *veniam petijt ac reconciliatus*, addit ille, *in pace obijt.*

OBIECTIO.

Gerſonus veritatis, ac patriæ ſuæ amantiſſimus, in diſcutione illius aſſertionis. pag. 246. Sententia pastoris etiam iniusta est timẽda. Rex Christianissimus, *inquit*, debet reputare, quòd sententiæ factæ, & latæ in oppositum, sunt iniustæ, & potest se tueri contra procedentes in eum, vel suos, occasione prædicta, sicut contra volẽtes vsurpare possessiones temporales regni sui. *Et alibi.* Pati illam sententiam, esset asinina patientia, & timor leporinus & fatuus, &c.

RESPONSIO.

Quantò melius ac consultius Carolus ille magnus Francorum Rex, atque Imperator, veritatis, patriæque amantissimus, hæc in pari, seruanda, occasione, sancijsse legitur? *In memoriam*, inquit, *beati Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam & Apostolicam sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum* (nota) *ab illa sancta sede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.* Quod Capitulum, vt pote tanto Principe Christiano Distinct. 19. can. 3.

Concil. Tribur. can. 30. dignum, in Concilio Triburiensi repetitum, atque consecratum fuit.

OBIECTIO.

pag. 249. *Canones Conciliorum Constantiensis, ac Basileensis, statuunt Pontificem, obnoxium esse Canonibus de fide, & reformatione morum.*

RESPONSIO.

Adde, *tempore schismatis*, vel, *ad extirpationẽ schismatis*, vt habẽt ipsa Concilia. Nec enim alia de causa statutum hoc ibi fuit, vt paulò ante diximus, quando nẽpe nescitur, quis sit verus Papa. Quod nec propriè est, Concilium potestatem habere in Papam, vel Papam obnoxium esse Concilij Canonibus, quia dubius Papa habetur pro non Papa. Quinetiam Concilium Constantiense, quando Sessione 4. hoc definiuit, non erat eiusmodi, vt quæstiones de fide definire posset. I. Quia tunc generale Concilium non erat, cùm ex tribus partibus, in quas Ecclesia scissa tunc erat, vix tantùm tertia pars (ea nempe quæ Ioanni 23. adhærebat) adesset, repugnantibus, vel saltem non consentientibus adhuc duabus alijs partibus, quæ Gregorio 12. & Benedicto 13. obediebant. II. Quia tunc certus Papa nec in Ecclesia erat, nec in Concilio, sine quo tamen dubia de fide definiri non possunt. Ioannes enim 23. qui Concilium inchoauerat, iam ante recesserat quàm quarta Sessio haberetur. Nec est quod à Martino V. summo Pontifice confirmatum decretum quis arguat, cùm ea tantùm Cõcilij decreta de fide Martinus ille confirmare se asseruerit, quæ Conciliariter, hoc est,

more aliorum Conciliorum, re nempe diligenter examinata, facta fuerãt. Quod equidẽ de hoc decreto ab eadẽ Synodo, sine vllo examine facto (vt ex actis ipsis liquet) dici nequaquam potest. Quod autem ad Basilienſe Concilium ſpectat, etſi legitimè inchoatum, illegitimè tamen terminatum fuit, vtpote ab Eugenio ſummo Pontifice reuocatum. Adde quod etſi legitimum Basilienſe decretum concederetur, à poſteriore tamen Concilio Lateranenſi reprobatum fuit. *Solum Romanum Pontificem*, inquit, *tanquam ſuper omnia Concilia auctoritatem habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum ac diſſoluendorum plenum ius ac poteſtatem habere, nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, ſed propria etiam eorumdẽ Conciliorum confeßione, manifeſtè conſtat.* Concil. Lateranẽſ. ſub Leone 10. ſeſſ. 11.

Obiectio.

Bellarminus fatetur controuerſiam de ſuperioritate Concilij adhuc vigere inter Catholicos lib. 2. de auctoritate Concilij cap. 13. pag. 250.

Responsio.

Licèt Bellarminus hæc in cap. 13. dixerit, in capite tamen ſequenti, vbi varias quorumdam opiniones circa ſuperioritatem iſtam retulit, hæc denique infert. *Vltima*, inquit, *ſententia eſt ferè communis, quod videlicet Papa adeò ſit ſupra Concilium, vt non poßit etiam ſe ſubijcere eius ſententiæ, ſi propriè de ſententia coactiua agatur. Hæc ſententia videtur eſſe omniũ Scolaſticorum veterum, vt Alberti, S. Thomæ, D. Bonauenturæ, Richardi, Paludani & aliorum in 4. diſt. 19. vbi de clauibus agitur. Expreſsè autem hoc docent S. An-* Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 14.

toninus, Ioãnes de Turrecremata, Aluarus Pelagius, Dominicus Iacobatius, Cardinalis Caietanus, Albertus Pighius, Franciscus Ferrariensis, Augustinus de Ancona, Petrus de Monte, & Canonistæ ferè omnes in cap. significasti de elect. & can. si Papa 40. dist. &c.

OBIECTIO.

pag. 250. *Imò vt ait Nauarrus, qui asserit Pontificem esse supra Concilium, in Gallia pro hæretico habendus est ex doctrina scholæ.*

RESPONSIO.

Vt quid Nauarro imponis? Neque enim ex se, sed ex Almaino tantùm, hæc Nauarrus asserit. *Iacobus Almainus,* inquit, *scribẽs in hoc ipso articulo, dixit eum, qui contrarium assereret, in Francia hæreticum iudicatum teneri.* Pace autem Almaino dixerim, quando illud quod suum duntaxat erat, scholæ nihilominus attribuit. Mihi verò satiùs multo est, tot doctorum, quos paulò ante ex Bellarmino in medium protuli, necnon & Conciliorũ Florentini & Lateranensis auctoritatibus, quàm vnius Almaini, vel etiam Gersonis, hæc ipsa, periculoso schismatis tempore, scribentium, opinioni inhærere.

Nauarr. de pœnitent. dist. 5.

OBIECTIO.

pag. 250. *Cardinalis Bellarminus Ignatianus ex instituto & sacramento absolutam potestatem Papæ in spiritualibus & temporalibus tuetur, & ea de re libros conscripsit.*

RESPONSIO.

Vt quid etiam tanto Cardinali de literis, de Catholica Ecclesia, de tota Republica Christiana optimè merito, acerrimo Ecclesiæ, contra Noua-

tores hæreticos, defensori, imponis? Libros eius recitas, quos forsitam ne à limine quidem salutasti, alioquin ipsos non pro tuenda, sed pro oppugnanda potius absoluta illa potestate conscriptos, perspexisses. Mihi non credis? Audi illa ipsa Capitulorum summaria. *Papam non esse dominum totius mundi: Papam non esse dominum totius orbis Christiani: Papam non habere vllam temporalem iurisdictionem directè.* Quod & pluribus validis rationibus firmat, contrariam refutãdo quorumdam Scholasticorũ, necnon & Iurisconsultorum, qui in ea stabilienda plurimùm elaborauerant, opinionem. Quod si eiusdem Cardinalis tractatum de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus aduersus Barclæum nobis obijcias, en quomodo, in sua Præfatione, sui non esse instituti, absolutam illam astruere potestatem apertè profitetur. *Quoniam*, inquit, *Barclaius potestatem summi Pontificis in temporalibus vniuersè negat, ego quoque potestatem eandem vniuersè astruam, non multum laborans, si ea potestas sit absoluta, vel in ordine tantùm ad spiritualia se extendat.*

Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 2. 3. 4.

Idem in Præfat. tractat. de potest. Rom. Pontif. in tempor.

Obiectio.

Plectimur, quia doctrinam antiquam Sorbonæ, mores antiquos, disciplinam Ecclesiæ primitiuæ de suprema Ecclesiæ & Principum politicorum auctoritate, contra pestilentes nouitates vindicamus, & asserimus. pag. 252.

Responsio.

Nunquid noua, & non potiùs antiqua doctrina illa censenda erit, quam pro suprema summi Pontificis auctoritate, S. Thomas, S. Bonauentu-

ra, S. Antoninus, Ægidius Romanus, Cardinalis Caietanus, Heruæus Brito, Franciſcus à Victoria, Alexander Halenſis, Hugo de S. Victore, Petrus ab Alliaco, Ioannes de Turrecremata, Dionyſius Carthuſianus, Thomas Valdenſis, Henricus de Gandauo, Petrus de Palude, Durandus, Antonius Cordubenſis, Ioannes Baconus, Dominicus à Soto, Bannes, Alphonſus à Caſtro, Gabriel Biel, Driedo, Albertus Pighius, Sanderus, Nauarrus, Siluester, Hoſtienſis, alijque plurimi Iuriſconſulti & Canoniſtæ, necnon & Stephanus Anfrerius præſes Toloſanus, & Ioannes de Silua Pariſienſis Præſes tuentur, propugnantque, quorum & non pauci ſcholæ Pariſienſis fuiſſe alumni reperiũtur?

OBIECTIO.

pag. 255. *Decretum Concilij Conſtantienſis de tyrannicidis Ignatianorum impijs interpretationibus funditus corruit.*

RESPONSIO.

Quinimmo illi ipſi Patres ſocietatis Ieſu (quos Ignatianos non ſine inuidia vocitas) eidem ter ſancto Conſtantienſi decreto innitentes, nullo pacto licitum eſſe, etiam adminiſtratione tyrannum occidere, eoſque, qui aliter ſenſerint, tanquam hæreticos eſſe plectendos, palam aſſerunt. Ita Toletus, Gregorius de Valentia, Alphonſus Salmeron, Leonardus Leſſius, Ioannes Azor, Ludouicus Molina, alijque quamplurimi.

OBIECTIO.

pag. 255. *Nuſquam definitum Reges, nedum propter hæreſim, deponi poſſe, quod tamen pro Eccleſiæ dogmate*

mate nobis obtrudunt. At nobis asserere liceat, quod non est in Scripturis contentum, nec à Patribus traditum, nec à Synodis decretum non esse dogma Ecclesiæ.

RESPONSIO.

Transeat propositio, de Assumptione autem nonnulli subdubitant. Si enim de Synodis agitur, vnde, ergo, in Prouinciali Concilio apud Montempessulanum coacto, Raymundus comes Tholosanus sui Comitatus iure priuatus, ob Albianam hæresim fuit, ac Simoni Montisfortis Comiti adiudicatus? Vnde & in generali Concilio Lateranensi, sub Innocentio 3. celebrato, in quo teste Genebrardo præfuit Innocentius Papa, cui & interfuerunt duo Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, Archiepiscopi tum Græci, tum Latini 70. Episcopi 400. Abbates & Priores, Conuentuales 800. simul omnes Patres 1285. Legati Romani, & Græci Imperatoris, Oratores Regum Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, Hierusalem, Cypri, &c. Vnde, in quam, in eo Concilio, quod vniuersalissimum plurimi nuncupant, definitum reperitur. *Si dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia terram suam purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et si satisfacere infra annum contempserit, significetur hoc summo Pontifici, vt ex tunc ipse vassalos ab eius fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure Domini*

Vigner. hist. Frãc. lib. 3. ad annum 1214. Paul. Æmil. hist. Franc. lib. 6. in Philipp. August.

Genebrard. Chron. lib. 4. in Innocent. 3. ad annũ. 1225.

Concil. Lateran. ca. 3. refertur ẽ. de hæret. cap. Excommunicamus §. Moneantur.

principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat, eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent dominos principales. Hinc glossa in cap. *Excõmunicamus* §. *Moneãtur*, in verbo, *Absolutos*, ẽ. de hæreticis, quod ex eodem Concilio est desumptum. *Et ita*, inquit glossa, *Papa potest propter hæresim deponere omnes tam Laicos quam Clericos à dignitatibus suis*, vt sup. eod. c. *Ad abolendam* §. *Statuimus*. Quod si Patrũ traditionem requiras, en tibi, quod doctor ille Angelicus de Christianis Principibus in hæresim vel Apostasiam lapsis loquens, tanquam Ecclesiæ dogma obtrudit. *Potest*, inquit, *iustè per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis, tale ius Dominij, vel prælationis tolli, quia infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Sed hæc quidem Ecclesia quandoque facit, quandoque non facit.* Et alibi. *Ecclesia infidelitatem illorum, qui fidem susceperunt potest sententialiter punire, & conuenienter in hoc puniuntur, quòd subditis fidelibus dominari non possint. Hoc enim vergere posset in magnam fidei corruptionem. Et ideo quam citò aliquis per sententiam denunciatur excommunicatus propter Apostasiam à fide, ipso facto eius subditi sunt absoluti à dominio eius, & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Vnde Gersonus, de sæcularis alioquin potestatis amplitudine non parum sollicitus. *Dum redundat*, inquit, *abusus potestatis sæcularis in impugnationem fidei & blasphemiam creatoris & in manifestam Ecclesiasticæ potestatis iniuriam, tunc attendere conuenit quod in hu Ecclesiastica potestas habet dominium quoddam regitiuum, directiuum, regulatiuum & ordinatiuũ.*

Gloss. in cap. Excommunicamus §. Moneantur in verb. absolutos ẽ. de hæret.

S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 10. in corp. art.

Idem ibid. quæst. 12. art. 2. in corp. art.

Ioann. Gerson. de potest. Eccles. Consider. 12. tom. 1.

Nec ab eadem sententia discrepant Ioannes Parisiensis, Almainus, Ioannes de Sylua, Ioannes Faber, Stephanus Aufrerius, Radulphus Preslæus, Petrus Gregorius, alijque Gallicani non solùm Theologi, sed & Iurisconsulti, sæculari licèt potestati addictissimi. Quòd si denique sanctam scripturam obijcias, quando quidē cum scriptore Catholico res agitur, ignorare non potui, quàm multa sint, quæ in Catholica Ecclesia credūtur, quamuis in verbo Dei expressè non habeantur. Filium Dei esse patri consubstantialem, Spiritum sanctū à Patre & Filio procedere, paruulos baptizandos, aliaque permulta expressè licet in scripturis non legantur, creduntur tamen, quia Ecclesia in Concilijs vniuersalibus sic credendum esse definiuit.

Ioann. Parisi. de potestat. Reg. & Pap. cap. 14. Almain. de potest. Eccl. & Laic. c. 9. Ioan. de Sylua tract. de Benef. part. 3. quæst. 8. Faber. in leg. 1. numer. 10. C. de summa Trinit. Aufrer. de potest. secul. Radulph. de potest. Pōtif. rom. & Reg. Petrus Gregor. tract. de Republ. lib. 26. cap. 5.

OBIECTIO.

Nec ego diffiteor Reges posse deponi, sed à Deo solo. Scripturæ nos docēt. Subiectionem tollit à Regibus & rursum accingit eos cingulo, *inquit Iob* 12. pag. 255.

RESPONSIO.

Itane ex scripturis ipsis Reges non simpliciter, sed à Deo solo deponi posse probare intendis? Prodeat itaque scripturæ locus. *Subiectionem*, inquis, *tollit à Regibus & rursum accingit eos cingulo.* Vbi scriptum? Duodecimum libri Iob caput annotas, vbi tamen nihil prorsus legitur, quod tuæ probationi inseruiat. Vt quid ergo tuam nobis scripturam pro diuina venditas? En tibi germanus eiusdem libri textus proponitur. *Balteum Regum dissoluit & præcingit fune renes eorum*; Cuius expositio- Iob 12.

nem si à Lyrano doctissimo vtique interprete requiras. *Baltheum*, inquiet, *Regum, id est, virtutem eorum militarem, scilicet exercitum, dissoluit, quando contra spem humanam debellantur. Præcingit fune renes eorum, quando sic denicti ligati in captiuitatem ducuntur.* Hæccine igitur solidissima illa ex scripturis desumpta probatio? Vbinam gentium quæ de Regum depositione à Deo solo facienda effutisti? Anne quia, Deo permittente, debellantur, captiuanturque aliquando reges, ideo à Deo solo deponi dicentur? Manasses equidem vinctus catenis & compedibus ductus est in Babyloniam, nec tamen propterea depositus fuit. Paulò post enim. *Orauit Dominum Deum suum*, inquit Scriptura, *& egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum, deprecatusque est eum & obsecrauit intentè, & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum.* Quid plura? Vbi quæso & in citato textu restrictiua illa particula, in qua solidius obiectionis tuæ fundamentum posuisti? Num quia sanctus Iob, vt summam Dei fortitudinem demonstraret, hæc Deo tanquam primæ & vniuersali causæ tribuit, ideò secundas causas, per quas Deus vtique sæpius operatur, excluſit? Discas velim ex S. Hieronymo in eumdem locũ scribente (vbi & Deum optimates supplantare Iob asserit) quousque ipsa se extendat diuina actio & an Deus immediatè per se, an verò mediatè per homines, tunc operetur. *Non dolo*, inquit, *supplantat Deus, in quo non est iniquitas, sed hoc modo dicitur supplantare, dum iniustum amouet & iniquum, & in locum, quem tenere videtur, quisque indignus, bonum hominem & iustum substituit,*

Lyran. in 12. cap. Iob.

2. Paralip. 33.

S Hieron. in cap. 12. Iob.

vt Dauid in locum Saulis. Vbi aptè quidem Dauidis exemplo vtitur, quem constat à Samuele, etsi diuino nutu, in Saulis locum subrogatum, vt scilicet Sacerdotum ministerio hæc Deum peragere demonstraret. Adde quòd si ex eo, quod de Regibus dicitur, eos nempe à Deo quandoque debellari, meritò quis concludat, id à Deo solo peragi. Nunquid non & de sacerdotibus, de optimatibus, de consiliarijs & de iudicibus idem prorsus dicendũ erit? Subdit enim & de sacerdotibus idem sanctus Iob. *Ducit sacerdotes inglorios & optimates supplantat,* cùm prius de consiliarijs, & de iudicibus dixisset, *Adducit consiliarios in stultum finem & iudices in stuporem.* Nec tamẽ audet quis dicere, quin sacerdotes non infimi tantùm, sed & superioris ordinis, imò & summus ipse Pontifex, si quando fortè ipsi in hęresim laberentur, deponi non possint, Sacerdotes quidẽ ab Episcopis, Episcopi à summo Pontifice, summus Pontifex hęreticus à generali Concilio, sicut & Consiliarij ipsi & iudices & optimates à Regibus, siue Principibus quibus subsunt. Iob cap. 12.

OBIECTIO.

Danielis 2. Dominus abijcit Reges, & instituit. pag. 255.

RESPONSIO.

Quid inde? Deus, ait Hebraicus Danielis textus, *Remouet Reges, & stare facit Reges,* vel vt Græcus, καθίστησιν βασιλεῖς καὶ μεθίστησιν, *constituat Reges & transferat,* quia, addit ille, ἡ σοφία καὶ ἡ σύνεσις αὐτῷ ἐστὶν, *sapientia & intellectus* (vel etiam secundum Hebraicũ textum, *fortitudo*) eius est: Quid tum? Nunquid Daniel. 2.

certè immediatè per se, an mediatè per homines, seu hominum (quos vocatione sua, non extraordinaria tãtùm, sed & ordinaria populi sui pastores instituit) ministerio, vt paulo ante diximus, hæc Deus operatur? Et ita Deus ipse Saulem per Samuelem, Achab per Heliam Israelitico regno, Roboam per Ahiam decem tribubus priuauit.

OBIECTIO.

pag. 256. *Hoc autem fieri ab alia potestate negamus*, Nemo enim potest irritum facere iudicium domini, nec dispergere superbos furore suo & eos confundere, arrogantes humiliare, abscondere eos in puluere & facies eorum demergere in foueam. *Iob* 42.

RESPONSIO.

Rom. 13. Cùm, *Omnis anima*, secundùm Apostolum, *potestatibus sublimioribus subdita sit*, &, *omnis potestas à Deo sit*, & *qui potestati resistit*, *Dei ordinationi resistat*, vt quid etiam à Deo non fieri negas, quod à spirituali potestate fit? Addit enim alibi idem Apostolus. Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim pernigilant quasi rationem de animabus vestris reddituri.* At, inquis, testante Iob, *nemo potest irritum facere iudicium Domini*, &c. Non ita equidem germanus ipse beati Iob textus: Nec enim planè negando, sed potiùs affirmando, vel saltem quasi dubitando hæc per interrogationem dicuntur. Iob 40. *Nunquid*, inquit Deus ad Iob, *irritum facies iudicium meum, & condemnabis me vt tu iustificeris? Disperge superbos in furore tuo & respiciens omnem arrogantem humilia, respice cunctos superbos & confunde eos &*

contere impios in loco suo, abscondе eos in puluere simul & facies eorum demerge in foueam. Ad quid porro hæc? Nunquid certè, egregius iste regalis potestatis zelator, superborum & arrogantium nomine, ipsos Reges subintelligi affirmare audebit? Nunquid & illa quæ de dæmonibus absolutè dicta sunt ad Reges ipsos retorquere ei impunè licebit? *Dispergе superbos*, ait Lyranus, *hoc est dicere, nunquid potes hos ipsos dæmones quorum tribulationibus expugnaris & contereris, expugnare & dispergere?* Lyranus in Iob cap. 40.

OBIECTIO.

Quare autem id soli Deo competat, rationem scripturæ assignat Ieremiæ 27. Ego feci terrã &homines,ait Dominus,&animalia,quæ sunt in superficie terræ, in fortitudine mea magna,& brachio extento,& ipsam trado ei, qui placuerit in oculis meis. pag. 256.

RESPONSIO.

Optimè Hieremias, siue Deus per Hieremiam. Audi tamen ad quid hęc dicta sint. *Quod ait*, inquit S. Hieronymus, *dedi eam ei cui placuit in oculis meis, hoc significat quod omnia humano generi per Dei gratiam sunt tributa*, vel vt Lyranus, *Hoc dicitur, quia Deus indifferenter bonis, & malis dat bona temporalia, prout sibi placet.* Quod equidem non negamus, licet Simonis consequentię, tanquam absurdę ac vanę fortiter reluctemur. S. Hieron. in Ierem. c. 27. Lyran. in eũdem locum.

OBIECTIO.

Multos Reges Iuda & Israel instituimus, & destituimus à Deo legimus Prophetarum ministerio, qui pag. 256.

illud faciebant potestate extraordinaria à Deo immediatè delegati. Nullum autem destitutũ à Pontifice potestate ordinaria legimus, scilicet ne illud olim sibi arrogarent Pontifices potestate ordinaria, voluit Deus Prophetis potiùs, quàm Pontificibus hanc prouinciam delegare.

RESPONSIO.

4. Reg. 11. Vnde ergo Ioiada summus Põtifex, non autem Propheta, Athaliam idololatrã depositi, Ioamq; 1. Machab. 2. Regem instituit? Vnde & Mathatias Machabæorũ pater, summus & ipse Pontifex Antiochum Regem, à patrijs ritibus Iudæos varijs tormentis auocantem, dominio spoliauit? Nunquid certè ordinaria, & non extraordinaria potestate? Quòd verò de extraordinaria illa Prophetarum potestate arguis, mihi non probatur, cùm eorum vocatio, potissimùm à tempore Samuelis (quem Hebræi Prophetarum, seu Propheticorum Collegiorum fundatorem, auctoremque faciunt) non extraordinaria, sed ordinaria censeretur. *Est sciendum,* Genebrard. lib. 1. Chronolog. in Samuele. inquit Genebrardus, *Propheticam hanc vocationem non fuisse extraordinariam, quoniam constabat hominibus sese sponte huic professioni deuouentibus vt precibus, contemplationi, scripturarum interpretationi, prædicationi, studio vacarent commodiùs, è quibus Deus aliquos interdum suscitabat, qui rerum prædicendarum munere apud Reges, populos, &c. fungerentur.* Et ita duplex Prophetarum genus apud Iudæos erat, vnum quidem eorum, qui, vt iam dictum est, cum missione ordinaria, alterum verò eorum, qui cum extraordinaria ad id munus à Deo vocabantur. Idem ibid. paulò pòst. *Aliquan-*

do (inquit idem Genebrardus de secundo Prophetarum genere loquens) *ad Propheticum hoc donum euehebat Deus alios ex alijs vita institutis, sed tum eorum vocatio & missio erat extraordinaria. Talis Amos, quem è pecudum pastu ad Prophetiæ decus sustulit.* Cùm ergo Samuel Saulem, Ahia Roboam, Helias Achab deposuêre, an non ordinaria potiùs, quàm extraordinaria potestate, vel si extraordinaria, saltem ea, quæ ordinariæ eorum vocationi responderet, vsi sunt? Adde Sacerdotalem Euangelicæ legis missionem, quæ vnica est & ordinaria, vtrique, ordinariæ nempe, atque extraordinariæ veteris legis missioni, successisse, eamdemque cum illis auctoritatem, infallibilitatemq; consecutam, per quam, nec in iudicanda hæresi, aut Apostasia, veteris illius Propheticæ missionis instar, errare vllo modo possit.

OBIECTIO.

Oziam à Pontifice depositum, & tanquam priuatum, quod vitæ supererat, traduxisse, falsissimum est, cùm separatum à populi consortio, secundùm legem à sacerdote, nusquam autem depositum à regno expressissimum sit 2. Paralip. cap. 26. pag. 257.

RESPONSIO.

Quis verò illum, vt à populi consortio separaretur, coëgit, nonne Azariæ sacerdotis prolata secundum legem in illum sententia? *Quicumque,* inquit lex, *maculatus fuerit lepra & separatus est ad arbitrium sacerdotis, solus habitabit extra castra.* Ad arbitriũ ergo sacerdotis separabatur leprosus. Quod autem tanquam priuatus extra vrbem in domo 2. Paralip. 26. Leuit. 13.

solitaria habitauerit, regni priùs administratione filio relicta, sacer ipse textus expressissime habet.

2. Paralip. 26. *Fuit igitur*, inquit, *Ozias Rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam electus fuerat de domo Domini. Porrò Ioatham filius eius rexit domum Regis & iudicabat populum terræ.* Et alibi. *Percussit Dominus Regem & fuit leprosus*

4. Reg. 15. *vsque ad diem mortis suæ, & habitabat in domo liberâ seorsum. Ioatham verò filius Regis gubernabat palatium & iudicabat populum terræ.* Quin & Genebrardus.

Genebrard. Chronolog. lib. 1. in Ozia ex Seder cap. 19. *Postquam*, inquit, *Oziæ 27. annis regnasset, reliquis, id est à 25. vsque ad mortem leprosus fuit, filio interim regni administratio demandata est.* Vnde & Hebræorum Chronologia, Seder Olam nuncupata, & ab eodem Genebrardo Latinè reddita, regni Oziæ annos, quibus leprosus mansit, Ioatham filio eius tribuit. *Ozias*, inquit, *Rex leprosus vsque ad diem mortis*

Seder olam seu Chronol. Hebræor. cap. 19. apud Genebrard. in fi. Chron. *suæ & commoratus est in domo liberâ leprosus, quia excisus erat à domo Domini, & Ioatham filius eius in domo Regia iudicabat populum terræ, Itaque omnes illi anni attribuuntur diebus Ioatham Regis Iuda.*

Obiectio.

pag. 257. *Ex his patet Regem quidem deponi posse, sed à Deo solo, idque variis rationibus soli Deo cognitis.* Valde enim superat vires nostros, liquido examine merita diiudicare regnorum, *inquit Augustinus lib. 5. de ciuitate Dei cap. 24.* Non tribuamus, inquit, dãdi regni, atque Imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem regni cœlorum solis pijs,

regnum vero terrenum & pijs & impijs, ſicut ei placet cui nil iniuſtè placet. *Et paulò pòſt.* Ille igitur vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deſerit genus humanum, quando voluit & quantū voluit. Romanis Regnum dedit, qui dedit Aſſyrijs, vel etiam Perſis. *Et infra.* Qui Mario ipſe Caio Cæſari, qui Auguſto ipſe & Neroni, qui Conſtantino Chriſtiano ipſe & Apoſtatæ Iuliano.

RESPONSIO.

Vt quid hunc nobis ſancti Auguſtini locum obijcis, qui de Regum, ſeu Imperatorum duntaxat inſtitutione, non autem de depoſitione eſt. Ibi enim hoc tantùm ſanctus Auguſtinus agit vt probet, quod non aliquo fato, vel neceſſitate, ſed Dei prouidentia regna diſponuntur, & reguntur humana, maximè vero Romanum Imperium, de cuius amplitudinis cauſa in ipſo eiuſdem libri principio differens. *Cauſa*, inquit, *magnitudinis Imperij Romani nec fortuita eſt, nec fatalis ſecundùm eorum ſententiam, ſiue opinionem qui ea dicunt eſſe fortuita, quæ vel nullas cauſas habēt, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes, & ea fatalia quæ præter Dei & hominum voluntatem cuiuſdam ordinis neceſsitate cōtingunt. Prorſus diuina prouidentia regna conſtituuntur humana. Quæ ſi propterea quiſquam fato tribuat, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, linguam corrigat.* Inde & paulò ante de omnibus regnis æquè bonis, maliſque ab ipſo Deo

S. Auguſt. lib. 5. de Ciuitat. Dei, c. 1. in princip.

Idem lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 21. datis, hæc asseuerat, *Deus*, inquit, *fælicitatis auctor & dator, qui solus est verus Deus, ipse dat regna terrena bonis & malis, neque hæc temere & quasi fortuitu, quia Deus est, non fortuna, sed pro rerum ordine ac tempore occulto nobis, notissimo sibi, cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tanquã Dominus regit, moderatorq; disponit.* Vel saltem propositum S. Augustini erat, vt ipsemet in retractationũ libro testatur, ibidem,

Idem lib. 2. retract. c. 43. *Eos*, inquit, *refellere qui res humanas ita prosperari volunt, vt ad hoc multorum deorum cultum, quos pagani colere consueuerunt, necessarium esse arbitrentur, & quia prohibentur, mala ista exoriri atque abundare contendũt.* Et ita cùm Assyrijs, Persisque datum esse à Deo regnũ dixisset,

Idem lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 21. *A quibus*, addit ille, *solos duos Deos coli, vnum bonum, alterũ malum continent literæ istorum, vt taceam de populo Hebræo, qui præter vnum Deũ non coluit & quãdo regnauit. Qui ergo Persis dedit segetes, sine cultu deæ Segetiæ, qui alia dona terrarum sine cultu tot deorũ, quos isti, rebus singulis singulos, vel etiam rebus singulis plures, præposuerunt, ipse etiam regnũ dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti regnasse crediderũt.* Vnde patet quam longè ab instituto S. Augustini fuerit de quæstione, quæ nunc controuertitur, disserere & quàm malè eius verba à Simone accipiantur.

Obiectio.

pag. 258. *Nec enim ob mores improbos Regis tyrannicè imperantis populum id iuris habere (Regem nempe deponere) nos docet scriptura 1. Reg. 8.*

Responsio.

Vt quid ab ijs, quæ sunt fidei, hoc est ab hæresi, seu Apostasia, ad ea, quæ mores respiciunt, seu ad

tyrannidem verba deflectis? De Rege hæretico, seu Apostata, subditos cum maximo religionis detrimento ad impietatem pertrahente, quæstio agitabatur, vnde ergo nunc, mutato medio, ad tyrannum orationem conuertis? Vt quid & quod de Pontificibus discutiebatur, iam ad populum retorques, quasi Pontificis, populique eadem sit potestas? Scias ergo nullum hactenus, etiam inter eos, quos Ignatianos vocitas, fuisse (præter Marianam, *sed* vox vnius, vox nullius) qui principem administratione tyrannum, eo solo prætextu deponi à summo Pontifice, nedum à populo, posse asseruerit; quin illum potius manere semper superiorem etsi tyrannicè agat, eique in rebus licitis omnimodè obtemperandum, vnanimiter cuncti affirmant. Mihi non credis? Accedat omnium loco Leonardus Lessius eiusdē societatis Iesu Theologus, qui de eiusmodi tyranno hæc indubitanter testatur. *Potest*, inquit, *quis esse tyrannus, ratione duntaxat administrationis, vt si is, qui est verus princeps, regni administrationem flectat, non ad bonum publicum, sed ad sua priuata compendia, onerando illud iniustis exactionibus, &c. Et talis princeps, etsi tyrannicè agat, tamen manet superior. Vnde scriptura iubet nos in rebus licitis parere principibus Ethnicis, tanquam superioribus ad Rom. cap. 13. 1. Petr. 2. & alibi, & si maximi essent tyranni, tum quia habenda est ratio maiestatis principalis, quæ omnibus sacrosancta esse debet, cùm nobis auctoritatem diuinam repræsentet, tum quia hæc multis modis possunt per ipsum, vel Rempublicam restitui, tum præsertim cùm bona externa administrationi principum sint subiecta.* Quo quid rectius?

Leonardus Lessius lib. 2. de Iustit. & iure cap. 9. dubitat. 4.

OBIECTIO.

pag. 258. 1. *Reg.* cap. 8. *Samuel graphicè describit Regem administratione tyrannum.*

RESPONSIO.

Sigon. de republ. Hebræ. lib. 7. cap. 3. Quin potius, *Regem ipsum Samuel intellexit more Aristotelis*, inquit Sigonius, *qui solutus legibus plenissimo iure regnat.* Vel vt Lyranus. *Aliqua sunt*, inquit,

Lyran. in 1. Reg. cap. 8. *de iure Regis in necessitate positi, propter bonum commune regni, & sic omnia quæ exprimũtur à Samuele sunt de iure Regis, quia in tali casu, omnia sunt Regis, vel Principis, & exponenda, vel expendenda pro bono communi, sicut & in corpore naturali videmus, quòd manus, vel etiam alia pars corporis naturali instinctu exponitur pro conseruatione ipsius corporis.*

OBIECTIO.

pag. 258. & 259. *Quod autem aliquando fit à populo Reges eiici, à Deo solo proficisci, nos docet scriptura 3. Reg.* 11. & 12. *Hæc tota doctrina specialius à Daniele describitur cap.* 4. *vbi agit de Nabugdonosor Rege, &c.*

RESPONSIO.

Si verò ea quæ à populo fiunt, à Deo proficisci iure, meritoque per te dicuntur, quid tandem de his dicendum erit, quæ fuerint facta ab ipso Pontifice summo, cui totius gregis Dominici cura commissa, cui ligandi, soluendique potestas concredita, cui fratres confirmandi sollicitudo demandata, pro quo Christus, ne eius fides deficeret, orauit, quem & principaliter Christus nos audire voluit, dicens: *Qui vos audit, me audit.* Numquid certè tantis priuilegijs aliquando populus honoratus fuit? Vt proinde quod ab eo fieret, sta-

Luc. 10.

tim à Deo fieri meritò conijceretur? Et si tanta ei, absque priuilegio per te cõdonatur, quid tandem summo Pontifici talibus honorum titulis aucto? Nec scripturæ locus à te prolatus aliud probat, nisi ipsius Dei iussu, regni Iudaici diuisionem, ob peccata Salomonis, post eius mortem contigisse, tresque duntaxat tribus, Iuda quippe, Benjamin, & Leui familiæ Dauid adhæsisse, cùm reliquæ ad Ieroboam transijssent. Quòd enim ex peculiari Dei voluntate, non populo eijciente, id contigerit, inde patet, quòd cùm Roboam, diuisione iam facta, centum octoginta millia electorum virorum, & bellatorum congregasset. *Vt pugnarent*, inquit Scriptura, *contra domum Israël, & reducerent regnum Roboam filio Salomonis: Factus est sermo Domini ad Semeiam virum Dei, dicens: Loquere ad Roboam filium Salomonis Regem Iuda, & ad omnem domum Juda, & Benjamin, & reliquos de populo, dicens: Hæc dicit Dominus, non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israël, reuertatur vir in domum suam, à me enim factum est verbum hoc.* 3. Reg. 12. Quid verò tandem ex eo, quod extraordinariè fit à Deo, in eius præiudicium, quod via ordinaria ab eodem etiam Deo peragitur, elici poterit? Numquid certè non idem Deus est, & qui populi corda tangit, vt de Saule exemplum profers, & qui Põtificum mentibus illabitur, vt ea exequantur, quæ suæ voluntatis sunt? Anne alia Dei voluntas ea est, quæ via extraordinaria, & alia quæ via ordinaria innotescit? Qui enim Prophetas quõdam suscitabat, vt extraordinario modo suam voluntatem hominibus manifestarent, ille ipse est, qui & Sacerdotes, ipsumque adeò summum Pon-

tificem in Ecclesia instituit, vt eorum ministerio, quod suæ etiam voluntatis esset, eiusdem Ecclesiæ alumni cognoscerent: Alioquin, vt quid verum esse posset, quod per Apostolum dicitur. *Et ipse dedit quosdam quidē Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autē Pastores & Doctores ad cōsummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi:* An non vt omnes scirēt eumdem illum esse Deum, & qui per Prophetas extraordinariè, & qui per Pastores & Doctores ordinariè loquitur? Numquid certè idem Deus fuit, & qui Saulem per Samuelem Prophetam quòd holocaustum obtulisset, increpans, eum regno excidisse declarauit, & qui Oziam per Azariam summum Sacerdotem, quod incensi offerendi munus sibi vsurpasset, arguens, illum non è templo tantùm expulit, sed & regni administratione interdixit? Siue enim extraordinariè, siue ordinariè Deus agat, idē semper Deus est. Nec his obstat à re citatus Danielis locus, qui idcirco asserit nō licitū esse Deo dicere. Cur fecisti. *Quia*, inquit Lyranus, *iudicia eius incomprehensibilia sunt à nobis, nec errare potest in factis.* Quòd si iuxta voluntatem suam, Deum facere dicat ibidem Nabugdonosor. *Hoc loquitur*, inquit S. Hieronymus, *quasi homo sæculi, non enim quod vult hoc facit, sed quod bonum est, hoc vult Deus.*

Ephes. 4.

1. Reg. 13.
2. Paral. 26.

Lyran. in cap. 4. Danielis.

S. Hieron. in Danielis c. 4.

Obiectio.

Thomas ad probandam imaginariam hanc potestatem in tēporalibus nullum ius antiquius Gregorio 7. protulit. Imò contrarium scripsisse Ambrosium fatetur in can. Iulianus. *opponitque, can.*

pag. 262.

Iulia-

Iulianus. *qui est Ambrosij, can.* Nos Sanctorum. *qui est Gregorij.*

RESPONSIO.

S. Thomas non ad probandam summi Pontificis potestatem in temporalibus, vt ais, quod non erat sui instituti, sed ad suæ duntaxat propositionis (quæ talis erat, *vtrum princeps propter apostasiam à fide amittat dominium in subditos, ita quod ei obedire non teneantur*) confirmationem, Gregorij 7. auctoritate vsus est, quem certè nõ ex suo cerebro, quasi nouum aliquod inuentum esset, sed ex maiorum traditione decernẽtem videbat. *Nos sanctorum prædecessorũ*, inquit Gregorius, quem citat S. Thomas, *statuta tenentes, eos qui excommunicati fidelitate, aut iuramenti sacramento sunt constricti, Apostolica auctoritate à sacramento absoluimus, & ne sibi fidelitatem obseruent omnibus modis prohibemus, quousque ad satisfactionem veniant.* Quòd ad Canonem verò *Iulianus*, spectat, quid miratis, si ei diuus Thomas, S. Gregorij 7. Canonem opponat, qui & quàm sæpissimè, disputandi gratia, ipsis etiam diuinæ scripturæ locis Patrum sententias opponit? Cùm enim in animo haberet non simplici tantùm assertione, sed & solida obiectorum refutatione, quæstiones suas definire, quid mirum, si Canonem *Iulianus*, qui propositæ quæstioni contrarius quodammodo videbatur, vt refutaret, vel potius elucidaret, his verbis proposuit? *Ad primum sic proceditur*, inquit D. Thomas, *videtur quod Princeps propter Apostasiam à fide non amittat dominium in subditos, quin ei teneantur obedire: dicit enim Ambrosius, vt habetur* 11. *quæst.* 9. *can. Iulia-*

S. Thom. 2. 2. quæst. 12. art. 2. in corp. art.

S. Tho. ibid. in princip.

nus, quod Iulianus Imperator quàmuis esset Apostata, habuit tamẽ sub se Christianos milites, quibus cum dicebat, producite aciem pro defensione Reipublicæ, obediebant ei. Ergo propter Apostasiam Principis, subditi non absoluuntur ab eius dominio. Cui obiectioni paulò pòst ita respondet. *Ad 1. ergo dicendum, quod illo tempore Ecclesia in sui nouitate, nondum habebat potestatem terrenos principes compescendi, & ideò tolerauit fideles Iuliano Apostatæ obedire, in his, quæ nondum erant contra fidem, vt maius periculum fidei vitaretur.* At, inquis, si ponderandæ sunt auctoritates certè Ambrosius longè Gregorium superabit in sua causa ius dicentem. Itane? Numquid S. Ambrosius Episcopus, Gregorius verò summus Pontifex fuit? Si ponderandæ ergo sunt auctoritates, numquid potior auctoritas summi Pontificis, quàm Episcopi? Nec in sua causa simpliciter ius dicebat Gregorius, qui non sua, sed prædecessorum, vt iam diximus, decreta proponebat.

Idem ibid. in respons. ad 1.

OBIECTIO.

pag. 264. *Ignatiani impunè docent Regem administratione tyrannum licite posse occidi post latam à Pontifice sententiam depositionis, ob mores tyrannicos, & non tantùm pro hæresi.*

RESPONSIO.

Vt quid impunè ipsemet, hæc asseris à doctissimis Societatis Iesu Patribus doceri? Anne aliquãdo eorũ libros pestiferam hanc doctrinam enunciantes, perlegisti? Quare ergo eorum titulos reticuisti? Quid si contrarium ex eorum libris monstrauero, nunquid calumniatoris notam effugere,

tibi iam possibile erit? Leonardum Lessium, Principem, etsi tyrannicè agat, superiorem manere, nec à priuatis interimi posse scribētem, paulò ante proposuimus. Iam accedant eadem asserentes, Toletus, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Salmeron, Ioannes Azor, Ludouicus Molina alijque quamplurimi. Quin & idem Bellarminus, *Quantum ad personas*, inquit, *non potest Papa vt Papa ordinariè temporales Principes deponere, etiam iusta de causa, eo modo quo deponit Episcopos*, Molina denique & Vasquez, *Ad Papam*, aiunt, *non pertinere creare Reges nec alias potestates Laicas, nec etiam eas deponere*, quantò ergo minùs præcipere vt occidantur?

Lessl. lib. 2. de Iustit. & iur. c. 9. dubit. 4. Tolet. lib. 5. Instit. cap. 6. numero 16. Bellarmin. in resp. ad Reg. Brit. cap. 3. Gregor. de Valent. tom. 3. disput. 5. quæst. 8. Salmer. tom. 13. disput. 30. Azor 2. part. Instit. lib. 12. c. 5. quæst. 5. Molina libr. de Iustit. cōmutat. tract. 2. disput. 6. numero 2. Molina de Iustit. & iur. tract. 2. disput. 29. Vasquez 3. part. disput. 87. cap. 5. pag. 266.

OBIECTIO.

5. Gregorius Turonensis Regi, non tantum administratione tyranno, sed hæretico, & Catholicorum hosti infensissimo bellum inferre non licitū esse, profitetur. Cùm Herminichildus, *inquit*, Patri (*Leuuichildo Regi Hispaniæ*) infensus esset, & in ciuitate quadam Hispaniæ cum coniuge resideret, solatio fretus Imperatoris, & Mironis Gallicientis Regis, patrem ad se cum exercitu venire cognouit, consiliumque inijt qualiter venientem aut repelleret, aut necaret: nesciens miser iudicium sibi imminere diuinum, qui contra genitorem quamlibet hæreticum, talia cogitaret. *Hæc sanctissimus Antistes verè Gallus.*

RESPONSIO

Vnde quæso Simoni, verè Gallus S. iste Gregorius videtur, nisi quia, vel ex falsa relatione, vel ex iam nascente forsan inter vtramque nationem simultate (quam & nostris temporibus in immensum excreuisse vidimus) Hispano martyri ita detrahit? Vt quid verò miser Herminigildus, ex Arriano, Ingundis coniugis (quæ Sigeberti & Brunichildis filia erat) pia exhortatione, Catholicus factus, qui verbis dominicis, pietati erga Deum, patrem, matrem, vxorem, filios, omnia posthabenda monentibus obediens, Leouigildo patri Arriano Catholicos, seipsumque etiam, eò quod Catholicam religionem amplexatus fuisset, acerrimè persequenti, restitit? *Si quis venit ad me,* inquit Christus Dominus, *& non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* In quem locum ita Gregorius ille magnus, *Si vim,* inquit, *præcepti perpendimus, vtrumque agere per discretionem valemus, vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, diligamus, & quos aduersarios in via Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Vt quid, inquam, miser, qui perfidi proditione patris tentus, & in carcere occisus, eodem testante, post S. Leandrum, Gregorio magno, martyrij coronam consecutus est? Vnde & vniuersalis Ecclesia, anniuersariam eius solemnitatem, hoc præclaro elegio, Idibus Aprilis, celebrat. *Hispali in Hispania sancti Hermengildi, filij Leouigildi Regis Vvisigotorum Arriani, qui ob Catholicæ fidei confessionem, in carcerem coniectus, cùm in solemnitate Paschali communionem*

Luc. 14.

S. Gregor. Homil. 37. in Euangel.

S. Gregor. Dialog. lib. 3. cap. 31.

Martyrolog. Rom. die 13. April.

ab Episcopo Arriano accipere noluisset, iussu perfidi patris securi percussus, regnum cæleste pro terreno, Rex, & martyr intrauit. Vt quid, denique, miser, cuius mortem in conspectu domini pretiosam, quæ consecuta sunt miracula manifestarunt. De quibus ita S. Gregorius magnus, ex fideli relatione S. Leandri Hispalensis Episcopi. *Pro ostendenda,* inquit, *vera eius gloria, superna non defuêre miracula. Nam cepit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus eiusdem Regis & martyris audiri, atque ideo veraciter Regis, quia & martyris. Quidam etiam ferunt, quòd illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant, vnde & factum est, quatenus corpus illius vt videlicet martyris, iure à cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater verò perfidus, & parricida commotus pœnitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen vsque ad obtinendam salutem pœnituit. Nam quia vera esset Catholica fides cognouit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc peruenire non meruit.* Quod si ideo miser Hermenigildus, quia in eo bello victus, captusque fuit, nunquid miserum S. Ludouicum Francorum Regem dicemus, cui, iustum bellum aduersus Sarracenos gerenti, eadem contigerunt?

S. Greg. lib. 3. Dialogor. cap. 31.

OBIECTIO.

Vellem ab ijs sciscitari, quis iudex erit, an Rex hæreticus censendus sit. pag. 267.

RESPONSIO.

Iam ergo sciscitare istud ab illustrissimo Cardinale Perronio, in eloquentissima oratione illa, quam in totius Galliæ Comitijs coràm tertio ordine habuit. Nec pigeat à tanto vito dubij istius

Orat. Illustriss. Card. Perron. in totius Galliæ Comitijs co-

tam tertio ordine habita Paris. anno 1615.

enodationem quærere, quem doctrinæ cumulus, veritatis amor, religionis zelus, Regiæ maiestatis deuotio, posteritati maximè commendant.

OBIECTIO.

pag. 269.

En Canon 15. *Concilij Meldensis anno* 845. Si quis potestati Regiæ, quæ non est iuxta Apostolum nisi à Deo, contumaci, ac inflato spiritu contra auctoritatem, & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & eius iussis, ac rationabilibus imperijs secundùm Deum, & auctoritatem Ecclesiasticam, & ius ciuile obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur. *En Synodus Gallicana, quæ agnoscit potestatem Regiam non esse nisi à Deo.*

RESPONSIO.

Quis verò, nisi mente captus, Regiam potestatem à Deo non esse aliquando dixit? Nunquid certè potior Apostoli erat quàm Prouincialis Synodi auctoritas, quæ eamdem potestatem non nisi à Deo esse ita apertè pronũtiauit? *Omnis anima,* inquit Apostolus de eadẽ Regia potestate loquẽs, *potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ad quid ergo Concilij istius ad huius rei probationem auctoritas, quando ita manifestus scripturæ locus ei stippetebat? Ar, *non cauillandum,* inquit Simon, *quòd Canon decernit Regi obtemperandũ esse si secundũ Deum,*

Rom. 13.

& auctoritatem Ecclesiasticam & ius ciuile imperet. Prudenter ad omnem modum obiectioni occurristi: Vix enim fieri poterat vt attentiùs quisque Canonis istius verba cõsiderans (quibus solùm damnatur & anathematizatur ille, qui contumaci, ac inflato spiritu, contra auctoritatem, & rationem Regiæ potestati pertinaciter contradicere præsumeret, eiusque iustis, ac rationabilibus imperijs (nota) secundùm Deum, & auctoritatem Ecclesiasticam, ac ius ciuile obtemperare irrefragabiliter nollet) non sine causa præcisam hanc adhibitam cautionem non argueret, quò Synodi intentio, omnibus innotesceret.

OBIECTIO.

Concilium Toletanum 4. in fine. Quicumque ex nobis, vel totius Hispaniæ populis, qualibet coniuratione, vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ, gentisque Gothorum statu, vel conseruatione Regiæ salutis, pollicitus est, temerauerit, aut Regem nece attrectauerit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione tyrannica regni fastigium vsurpauerit, anathema sit in conspectu Dei patris, & Angelorum, atque ab Ecclesia Catholica, quam periurio profanauerit, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ socijs, quia oportet vt vna pœna teneat obnoxios, quos similis error inuenerit implicatos. pag. 270.

RESPONSIO.

Aurea planè sententia, tantoque digna Concilio, qua Regum saluti, triplici inflicto anathemate, ita bene consulitur. Quorsum verò hæc? *At*, inquit Simon, *non dicant hoc intelligi debere de Imperatore non hæretico.* Itane? Vnde ergo ad finem eiusdem Canonis hæc addita reperiuntur? *De futuris Regibus hanc sententiam promulgamus, vt si quis ex eis contra reuerentiam legum, superba dominatione, & fastigio in flagitijs, & facinore, siue cupiditate crudelissima, potestatem in populs exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur, & habeat à Deo separationem, atque iudicium, propter quod præsumpserit praua agere, & in perniciem regnum deducere.* Numquid verò hæc de Rege hæretico, an de administratione tyranno intelligi debent? Quid plura? Audi quid insuper de Suinthillanis Regis depositione, ipso saragente regni vsurpatore Sisenando, Toletani Patres decernendo, ibidem subiungant. *De Suinthillane verò, inquiunt, qui propria scelera metuens, seipsum regno priuauit, & potestatis facibus exuit, id cum gentis consultu decreuimus, vt neque eum, vel vxorem eius propter mala, quæ commiserunt, neque filios eorum vnitati nostræ vnquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti sunt, aliquando promoueamus. Quique etiam sicut in fastigio regni habentur extranei, ita possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerant, maneant alieni, præter id quod pietate pijssimi principis nostri fuerint consecuti.* Numquid portò à regno Suinthillanes depositus, per hæc verba hæreticus, an verò tyrannus conuincitur? Si adhuc hæsitas, en tibi assumptus, defectionis ab eodem Su-

Simon ibid.

Cõcil. Tolet. 4. can. 74. & vlt. apud Isidor.

Ibidem paulò pòst.

inthillane legitimo Rege, exhibituſque Dagoberto Francorum Regi, ab vſurpatore Siſenãdo, cùm eius imploraret auxilium, prætextus. *Siſenandus*, inquit Hiſpanus Hiſtoriographus, *regnandi ambitione correptus, neque id quibus modis aſſequeretur, quidquam penſi habens, & Suinthillæ Regis odio, cõtemptuque, quem publica gentis inuidia flagrare conſiderabat, in Franciam ad Dagobertum Regem profectus, Regis ſui euertendi cupiditate accenſus, auxilium impetrauit, habere ſe totius prouinciæ ſtudia excitata, ſed metu prohiberi, ne rem tantam, abſque externo præſidio, inchoarent. Suinthillam* (nota) *Regis nomine exercere tyrannidem, vitijs omnibus obnoxium, neque vnquã in terris monſtrum fuiſſe vllum, tam ex contrarijs, atque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudijs, cupiditatibuſque conflatum.* Cum talis ergo eſſet Suinthilla. *Non ſolum regni faſcibus*, inquit Vaſæus, *exutus fuit, verum etiam communi patrum decreto excommunicatus eſt in quarto Concilio Toletano.* Vel, vt inquit Genebrardus. *In hunc Suinthillam cenſuram exercuerunt Epiſcopi Hiſpani, in quarto Concilio Toletano. Nam eum excommunicant, & ſua ditione, & poſſeſſionibus priuant.* Vnde, addit idem Vaſæus, *illud obiter annotandum, quanta fuerit id temporis, Epiſcoporum auctoritas, tam apud Reges, quàm in populo, vt etiam in ipſos Reges cenſuram ſuam exercerent.* Hinc & in Concilio Toletano 6. cùm ſuper ſacramento à nouo Rege præſtando Patres ita ſanxiſſent. *Vt quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quàm inter reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hanc ſe Catholicam non permiſſuros violare fidem, ſed & nullatenus eorum perfidiæ fauens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate*

Ioann. Mariana lib. 6. de reb. Hiſp. cap. 4.

Vaſæus in Chron. Hiſp. ad annũ 631.

Genebrard. lib. 3. Chronolog. in Bonifac. 5. in fi.

Idem Vaſæ. vbi ſuprà.

Concil. Toletan. 6. can. 3.

illectus, ad præcipitia infidelitatis aditum præbeat præuaricationis, Tum demum hæc addunt. *Ergo postquam ordine præmissorum, ad gubernacula accesserit regni, si ipse temerator huius extiterit promissi, sit anathema, maranatha in conspectu Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, simulque cum eo damnatione perculsi, quicumque Sacerdotum, vel quilibet Christianorum eorum implicati fuerint errore.* Vnde iam intelligas ex Toletano textu per te in obiectione posito quamplurima posse elici, quæ tacuisse quàm produxisse satius multò duxissem. Nescisens an volens hęc protuleris, ignoro: Miror tamen.

Ibidem.

Obiectio.

Concilium sub Constantino Porphyrogeneta. Iis qui aduersus Imperatorem insidias sunt machinaturi, vel tumultum excitaturi, anathema. Iis qui ipsis opem ferunt, & in defectione sunt socij anathema. Iis qui consulunt, vel huiusmodi incitant, anathema. Iis, qui ipsos ad pœnitentiam suscipiunt, cùm defectionis pœnitentiam non agunt, nec eam relinquunt, anathema.

pag. 270.

Responsio.

Non ita certè Græcus ipse eiusdem Constantini Nouellæ (*Interueniente*, inquit Balsamon, *cõsensu, atque opera Patriarchæ sanctissimi, qui tunc præerat, Domini Alexij, & ipsius quoque Synodi*) factæ, textus: quandoquidem omnes omnino rebelliones, tumultusque indefinitè & absque vlla limitatione prohibet. Τοῖς μέλλουσιν ἢ ἐπιβουλαῖς ἀπόλλυσθαι τοῦ γοῦν ὑπερασπίσαι ἢ μάλιστα ἀνάθεμα. Τοῖς συμπράττουσιν αὐτοῖς, καὶ

Nouella Constant. Porphyrog. κατὰ τῶν ἀποστασίαν

συγκοινωνοῦσιν ἐν τῇ ἀποστασίᾳ ἀνάθεμα. Τοῖς συμβαλλόυσιν ἢ παροῤμῶσιν εἰς τὰ τοιαῦτα ἀνάθεμα. Τοῖς συνεκβαλλόυσι τούτοις, ἀνάθεμα. Τοῖς δεχομένοις αὐτοὺς ἐν μετανοίᾳ μὴ μεταμελομένους ἀπὸ τῆς ἀποστασίας ἢ καταλιμπάνοντας αὐτὼ, ἀνάθεμα. *Eis qui rebelliones in posterum*, vertit Leunclauius, *vel tumultus excitabunt, anathema. Participibus horum, & in secessione commouenda socijs, anathema. Consilia suggerentibus, vel ad huiusmodi res impellentibus, anathema. Expeditiones cum his suscipientibus, anathema. Recipientibus eosdem per pœnitentiam, cùm eos necdum defectionis pœniteat, nec eam deserant, anathema.* Vbi vides de Imperatore, ne vnum quidem verbum haberi. in Cod. Iuris Græcorom. lib. 2.

OBIECTIO.

An alia nunc est Ecclesia Gallicana, quàm temporibus Hilarij, qui contra Liberium anathema pronuntiauit, quòd perfidiæ Arianæ Sirmij promulgatæ, adhereret, in opere historico (†Anathema tibi à me dictum Liberi & socijs tuis†.) In nullo contradixi, consensum accommodaui, hanc sequor, hæc à me tenetur. (†Iterùm tibi anathema, & tertiò, præuaricator Liberi.) pag. 171.

RESPONSIO.

Vnde verò tanta Gallicano præsuli auctoritas, vt in summum Pontificem anathematis sententiam proferre audeat? Si contra Dioscorum, alioquin Patriarcham Alexandrinum, Chalcedonensis vniuersalis Synodus anathema pronuntiauit, illúque non Episcopatus tantùm dignitate nudauit, sed & ab omni Sacerdotali ministerio alienũ declarauit,

Cõcil. Chalcedon. Act. 2.

eò quòd *Secũdis excessibus*, inquit illud ipsum damnationis decretum, *priorem iniquitatem transcendens præsumpsisset excommunicationem dicere aduersus sanctissimum Archiepiscopum magnæ Romæ Leonem*, quid tandem de Hilario anathema in Liberium summum Pontificem pronuntiante dicendum erit? Et si tanta, secundùm Canones, in iudicãdis Episcopis adhibetur cautio, vt nõ ab omnibus passim, sed à comprouincialibus duntaxat Episcopis nec sine sanctæ sedis Apostolicæ auctoritate condemnari possent, quid de ipso summo Põtifice, quem tamen vnius Gallicani Episcopi iudicio subijcere vult Simon? Scio equidem summum ipsum Pontificem, omnes iudicaturum, à nemine iudicari posse, *nisi*, inquit Canon, *deprehendatur à fide deuius*. At si fortè à fide deuius, nunquid certè à quolibet Episcopo & non potius à Concilio generali, legitimè congregato, iudicandus erit? *Sed*, inquis, *ideo Hilarius contra Liberium Papam anathema pronunciauit, quòd perfidiæ Arianæ Sirmij promulgatæ adhæsisset.* Itane? Quid si & ipsum S. Hilarium, eandem fidei formulam, primò Sirmij contra Photinum editam (*quæ illis*, inquit Sozomenus, *qui filium patri non substantia, & ceteris omnibus similem asseuerarent, interdixit Ecclesia*, quæ & illa ipsa est, cuius Liberius, eodem teste Sozomeno, assertor fuit) non probasse tantùm, sed & tanquam Catholicæ veritati consentientem exposuisse monstrauero, quis iam Hilarium verè in Liberium anathema pronunciasse, asserere audebit? In eo igitur libro, quẽ de Synodis aduersus Arianos S. Hilarius scripsit, cùm de Sardicensi Synodo verba fecisset, hæc

Concil. Sardic. can. 7. 11. quæst. 9. can. Si quis Episcopus.

can. Si Papa. distinct. 40.

Sozom. lib. 4. hist. c. 14.

Idem ibid. cap. 15.

de Sirmienſi ſubiungens. *Conſequens*, inquit, *eſt vt eam nunc fidem retractemus, quæ non olim tunc cum Photinus Epiſcopatu deiectus eſt, conſcripta eſt. Exemplum fidei Sirmio ab Orientalibus contra Photinum conſcriptæ.* S. Hilar. lib. de Synod. contra Aria. circa mediũ.

Et infra, poſt recitatum Symbolum cum anathematiſmis, eorum expoſitionem ita aggreditur. *At primum*, inquit, *poſt generalem illam atque indubitatam ſacramentorum expoſitionem hæc exponendæ fidei aduerſum hæreticos cepit exordium. Eos autem qui dicunt de nullis extantibus eſt filius, vel de alia ſubſtantia, & non ex Deo, & quod erat tempus, vel ſæculum quando non erat, alienos ſcit ſancta, & Catholica Eccleſia. Quis hic ambiguitatis locus, aut quid ex ſynceræ fidei conſcientia reliquum eſt? Non eſt de non extantibus, vt ei extans origo ſit, non eſt extans ei ad originem ſubſtantia aliqua alia, niſi ſola quæ Dei eſt.* Idem ibid.

Hinc & in oratione contra Conſtantium idem S. Hilarius ipſum Imperatorẽ de fidei inſtabilitate ſugillans. *Damnas quoque*, inquit, *& ſubſtantiæ nomen, quo te & Sardicenſi Synodo & Sirmienſi pium eſſe Occidentalibus mentiebaris.* Eadem habet & S. Athanaſius. Quod ne cui mirum videatur, ſciendum planè eſt, triplicem fidei formulam in Sirmiano conuentu promulgatam. Primam quidem illam, de qua mox egimus, quæ licèt verbum Conſubſtantialis non admitteret, nec talis etiam reuerà eſſet, quæ omnem aditum Arianæ hæreſi, in fidem Catholicam irrumpere fatagenti, præcluderet, veritati tamen Catholicæ in omnibus conſentiens erat. Vnde fit, vt & Vigilius Epiſcopus aduerſus Euthychem ſcribẽs, eamdem Sirmianam Synodum hac ex parte ita dixerit Catholicam, vt eius decretis obniti, nihil aliud eſſet S. Hilar. in Orat. contra Conſtãt. iam defũct. paulò poſt mediũ. S. Athanaſ. lib. de Synod.

quam velle cum Photino damnati. *Illius*, inquit, *Catholici Concilij apud Sirmium contra Photinum ex toto Oriente congregati, quis sufficiat fidei sanctiones comprehendere, quæ apud Nicænam Synodum nulla non sunt omnino sancita, quæ nullus fidelium audet respuere aut cunctatur recipere, si non vult cum Photino anathematis eorum sententiæ subiacere?* Altera verò fidei formula, illa est, in qua vtraque substantiæ, scilicet, & omnimodæ cum Patre similitudinis vox, abdicata prorsus fuit, cuius Osium velut auctorem his verbis carpit S. Hilarius. *Oro vos*, inquit, *ne quisquam alius ex his præter senem Osium & ipsum illum nimium sepulchri sui amantem reperiatur, qui tacendum esse existimet de vtroque.* Vnde & eidem huiusmodi titulus ab eodē S. Hilario præfixus legitur. *Exemplum blasphemiæ apud Sirmium per Osium, & Potamium conscriptæ.* Tertia denique illa est, in qua vox substantiæ in præcedenti reiecta, iterum Constantij decreto, nitentibus maximè semiarrianis Episcopis Basilio Ancyrano, Demophilo & alijs, resumpta fuit. De qua ita S. Epiphanius. *Sic*, inquit, *sentiens* (Constātius) *pio ore decreuit, per omnia, velut nos Catholici credimus, similem esse filiū patri, vt & per ipsum non procederent insidiæ contra Ecclesiasticam fidem constructæ, quæ volebant essentiæ nomen tollere.* Cùm ergo Liberius primæ fidei Sirmianæ, quam orthodoxam ex eodem S. Hilario probauimus, subscripserit (vt ex eius etiam ad Orientales scripta Epistola patet, vbi se eamdem fidem veram, & Catholicam profiteri asserit, quam, *Dominus meus*, inquit, *& frater cōmunis Demophilus dignatus est pro sua beneuolentia exponere, quæ Sirmij à pluribus fratribus & Coepiscopis no-*

Vigil. aduers. Eutych. lib. 5. tom. 5. Biblioth. sanct.

S. Hilar. lib. de Synod. aduers. Arian. sub fin.

Idem ibid. paulò pòst initium.

S. Epiphan. hæres. 73.

Refert. eam Baron. anno 357. num. 43.

stris tractata & exposita, & susceptæ est) quomodo ab eodem S. Hilario anathematizari potuit? Vnde planè constat fictitium prorsus esse, quod S. Hilarij nomine, eiusdem S. Hilarij fragmentis, à Fabro editis, appositum fuit: Cùm & Cresconiana collectio, quæ teste Baronio, eamdem Liberij Epistolam cum ijsdem aduersus Liberium interpositis anathematum additamentis habet, non ea tamen sub S. Hilarij, sed incerti duntaxat auctoris nomine, proponat. Baronius ad annum 357. numero 52.

OBIECTIO.

Analia nunc Ecclesia Gallicana, quàm quæ erat temporibus Ludouici Pij, de qua Appendix Aimoini lib. 5. cap. 14. anno 833. Cùm verò rumor vsquequaque diffusus fereret, de cæteris quod verum erat, de Papa verò Romano, quod ideo adesset, vt tam Imperatorem, quàm Episcopos excõmunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ, filiorumque Imperatoris voluntati, parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus, se nullo modo velle eius voluntati succumbere, sed si excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret, cùm aliter se habeat antiquorum Canonum auctoritas. pag. 271.

RESPONSIO.

Quid? Anne Gallicanis competit Episcopis in

ſummum Pontificem animaduertere, excommunicatumque eum denunciare? Quòd ſi ab aliquibus Epiſcopis, falſo rumori, contra Gregorij 4. ſynceritatem, ſparſo, plus æquò credulis, iſtud dictum, nunquid ſeriò, & non potiùs ex ſubreptione, præſumptione, & audacia, vt habet Aimoini textus, verbũ iſtud ab ijs emiſſum fuit? Quorſum ergo ius aliquod ex verbis ex ſubreptione, præſumptione, & audacia prolatis elicere? Quod ſi de eiuſdem Gregorij 4. innocentia adhuc ſubdubitas, accipe omni exceptione maius Synodi Tricaſſinæ teſtimonium. *Iuſto Deo iudice permittente*, inquit, *& inuidia diaboli operante olim recolendæ memoriæ HLudouici pij Auguſti filij factione maliuolorum hominum ſine conſilio* (notæ) *atque conſenſu Papæ Gregorij, quem HLotharius ſub obtentu pacificandi eos cum patre Roma promouerat & ſecum vſque in Eliſatium pagum perduxit, patrem imperio pepulerunt*, Vt proinde calumniam contra eumdem Gregorium confictam recognoſcens, Epiſcoporum partis Ludouici Auguſti verba paruipendas.

Append. ad Aimoin. lib. 5. cap. 14.

Epiſt. Synod. Tricaſſin. ad Nicol. 1. Põtif. inter opera Hincmar. edit. Cordeſ. pag. 536.

Obiectio.

pag. 271. *An alia Eccleſia Gallicana, quàm temporibus Hugonis.*

Responsio.

Alia equidem, quæ ſummo Pontifici iam detrahere, non autem deferre, ſicut eiuſdem Hugonis temporibus, nouerit. Vis ea noſſe? Cùm apud Hugonem Francorum Regem Arnulphus Rhemenſis ciuitatis Archiepiſcopus, in læſę Maieſtatis crimen, ob proditionem, adduceretur, audi quid

quid duplici legatione ad Ioannem 15. missa, ipse Hugo de summo Pontifice professus fuerit. Ac in priore quidem. *Nouis, atque inusitatis rebus,* inquit, *summo studio, summaque cura, vestra consilia expetenda decreuimus, quippe cùm sciamus, vos omne tempus in humanis, ac diuinis studijs exegisse. Considerate ergo quæ sunt facta & facienda* (nota) *præscribite, vt & sacris legibus suus honor reddatur & regalis potestas non annulletur.* Et in fine. *Ergo qui vices Apostolorum tenetis, statuite quid de altero Juda fieri debeat, ne nomen Dei per nos blasphemetur si nobis quærentibus atque rogantibus formam iudicij dare nolueritis.* In posteriore autem. *Beatitudini vestræ,* inquit, *ego, & Episcopi mei per Ioannem Archidiaconum Rhemensis Ecclesiæ scripta direximus, in quibus Arnulphi rationes vobis explanauimus. Sed nunc obsecrando superaddimus, vt mihi, meisq; iusta decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apostolatum vestrum gessisse scimus.* Et infra. *Si nos, & vestra inuisere libet, summo cum honore descendentem de Alpibus excipiemus, morantem, ac redeuntem debitis obsequijs prosequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis, & cognoscatis nos, & nostros, vestra nolle declinare iudicia.* Audi quid & Gallicana Ecclesia Rhemis eodem tempore congregata ad eumdem Ioannem summum Pontificem tunc rescripserit. *Non sumus nescij, beatissime pater,* inquiunt Episcopi, *iamdudum oportuisse nos expetere consulta sanctæ Romanæ Ecclesiæ pro ruina atque occasu sacerdotalis ordinis, sed multitudine tyrannorum pressi, longitudine terrarum semoti desideria nostra hactenus implere nequiuimus. Nunc itaque vestro examini non sine magno dolore perferimus nouum atque inusitatum crimen.* Et infra. *Adesto pa-*

Baronius ad annum 991. numero 2.

Ibidem.

Idem ad annum 994. numero 2. ex Masson. lib. 3. Annal. Franc.

Ibidem.

Baronius ad annum 991. numero 3.

ter ruenti Ecclesiæ & sententiam ex sacris Canonibus promulgatam, vel potius ab ipsa veritate prolatam profer in reum. Sentiamus in vobis alterum Petrum defensorem & corroboratorem Christianæ fidei. Ferat sancta Romana Ecclesia sententiam damnationis in reum quem vniuersalis damnat Ecclesia. Suffragetur nobis vestra auctoritas & in huius Apostatæ detectione & in eius qui domui Dei præesse possit Archiepiscopi noua ordinatione. Quid amplius? Audi & quanta coluerit obseruantia idem Hugo Francorum Rex eumdem Ioannem summum Pontificem, quando scilicet nulla habita ratione eorum, quæ in Arnulphum Synodus Rhemensis decreuisset, neque etiam regnandi iuris, quod maximi tamen ponderis apud Reges esse solet, vt obsequatur Romano Pontifici, Arnulphum, Carolinæ licet stirpis germen, sibi inuisum, de carcere eductum in Ecclesiam Rhemensem restitui, Gerbertum verò amicissimum sibi de ea expelli, libenter patitur. *Misit Ioannes,* inquit Aimoini Appendix, *Leonem Abbatem à sede Apostolica ad dominũ Seguinum Archiepiscopum vrbis Senonicæ, qui vice sua Synodum in vrbe Rhemensi congregaret, mandans illi vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterum in vrbe Rhemensi, ex iussione Apostolica, reuocatus est Arnulphus de carcere, & cum honore magno receptus est in propria sede.*

Append. ad Aimoin. lib. 5. cap. 45.

Obiectio.

pag. 271. *Ecclesia Gallicana in Cõcilio Rhemensi cap. 29.*

Responsio.

Vnde quæso Synodus nominanda illa, quæ in

posteriori Concilio etiam Rhemẽsi legitimè congregato(cui cum Gallicanis Episcopis, legatio interfuit Apostolica, consentientibus cum ijsdem Episcopis, ipsis etiam Francorum Regibus Hugone & Roberto, nemine discrepante, nisi misero forsan Gerberto, alienæ sedis inuasore, in ea deposito) abrogata fuit? Vnde & legitima eiusdem Conciliabuli acta dices, quæ idem Gerbertus aduersarius, furore exæstuans, ob ademptam tunc sibi à Romano Pontifice tam sublimis Ecclesiæ Cathedram, conscripsit? Quandoquidem ipsemet & se per iocum eadem acta literis prodidisse in Epistola ad Vuilderodum Argentinensem Episcopum, ingenuè profitetur. *Hæc sunt*, inquit, *dulcissime frater, quæ Rhetorum nugis complexus sum, amicitiarum pariendæ societatis, retinendæ benevolentiæ causa. Insuper vobis & vestris me meaque impensurus. Proinde vestrum diligẽs expecto iudicium, cùm in hu?tum in Rhemensi Concilio à me vtcumque interpretato:* Vtcumque inquit, vt non serio, vel secundùm ipsam rei gestæ veritatem, sed pro voluntatis tantùm suæ libito, descripta eius acta cognosceres. Hinc & mihi iam pro minimo est obiectis tuis, ex ijsdem Gerberti actis per te excerptis, quæ Catholicæ fidei perduelles, in odium summi Pontificis, paucis abhinc annis, euulgarũt, respondere, cùm nec apud bene sensatos fidem facere queant, & doctissimus Cardinalis Baronius istud feliciter, efficaciterque simul prosecutus fuerit. Sat mihi sit de Seguino Senonensi Archiepiscopo, occasione allegatæ per te Epistolæ, Catholico homine prorsus indignæ, quam Gerbertus (propter excommunicationem

Refertur à Baron. anno 992. num. 50.

Idem Baron. ad annũ 992. numer. 10. & seqq.

à summo Pontifice in omnes Episcopos, qui in eadem qua de agitur, Rhemensi Synodo, vt habet Aimoinus, Arnulphum deiecerant & Gerbertum ordinauerant, latam, plùs æquo exacerbatus) ad eum scripsit, ex eiusdem Aimoini Appendice hæc referre. *Venerabilis autem Seguinus Archiepiscopus*, inquit, *non consensit in degradationem Arnulphi, neque in ordinationem Gerberti, iußio autem Regis vrgebat. Alij verò Episcopi licet inuiti tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulphum & ordinauerunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum quàm terrenum Regem noluit consentire nequitiæ Regis, sed magis quantum potuit redarguit ipsum Regem, propter quam causam ira Regis contra eum efferbuit.* Nisi fortè & cognoscendi desiderio pressus candidus ipse lector, qualis fuerit Gerbertus ille, de quo est quæstio, requirens, breuiter audiat illum, *Minorum gerentem prosapiam*, vt ait Glaber, primò ad Regiam aulam, inde ad Rhemensem Archiepiscopatum deposito Arnulpho aditum sibi callidè præparasse, posteà cùm auctoritate Apostolica se è Rhemensi solio eiectum cerneret, furore percitum, relicto Hugone Francorum Rege, totum se Ottoni Imperatori addixisse, ipsumque in Italiam venientem comitatum, eius tandem fauore, primò Rauennatem Archiepiscopatum, deinde Romanum Præsulatum, inuentione dædalica, ne dicam & diabolica, vt plerique asseruerunt, obtinuisse.

Eginald in Append. ad Aimoin. lib. 5. cap. 45.

Glaber. lib. 1. cap. 4.

Obiectio.

pag. 272. *An alia Ecclesia Gallicana, quàm temporibus Philippi Pulchri, aut Ludouici XII. quæ citra*

peccatum Pontifici aduersus Maiestatem Regiam aliquid molienti, fortiter resistere nos docuit.

Responsio.

Non alia equidem Gallicana tunc Ecclesia erit, quando rem iterùm sibi cum eo esse cognouerit, quem vel non Pontificem, vel saltem propter hæresim summo Pontificatu excidisse crediderit, sicut eiusdem Philippi Pulchri temgore contigisse legimus. Nec enim Ecclesia Gallicana Philippo tunc inhærēs contra ipsum summum Pontificem, sed contra Bonifacium duntaxat, seu Bonifacij personam, non Pontificem, vtpōte malis artibus, viuente adhuc legitimo Pontifice Celestino V. summum occupantem Pontificatum, hæresisque insuper, etsi non conuictum, crimine notatum, se stare credidit. Vnde & in consensu appellationi Regiæ per eam præstito, protestantē eam sic comperimus. *Vobis Domine Rex*, inquit, *& vobis Domini Comites, & G. respondemus, quòd saluis in omnibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ honore, & reuerentia debitis, vestris in hac parte requisitionibus, super cōuocatione Concilij, assentimus.* Et infra. *Pro nobis adhærentibus, seu adhærere volentibus in hac parte, ad futurum verum, & legitimum summum Pontificem, & ad illum, vel illos, ad quem, vel quos de iure fuerit appellandum prouocamus, & appellamus.* Quò cunctis innotesceret, minimè eam sedis Apostolicæ, legitimique Pontificis decretis aduersari voluisse, licet à Bonifacio, pro Pontifice se gerēte, non tam ad futurum generale Concilium, in quo nihilominus super hæresis crimine eius causa tractāda foret, quàm ad futurum

Acta inter Bonifac. & Philipp. fol. 44. & 45.

verum & legitimum Pontificem, appellaret. Ad quid verò hæc? Cùm Philippus ipse, nec hæreticus, nec Apostata, nec Ecclesiæ persecutor fuerit, quod tamen in casu posito omnimodis desiderabatur, vt ius aliquod Bonifacio, legitimo licet Pontifici, subditos à fidelitatis sacramento absoluendi competeret. Quòd ad Ludouicum autem XII. spectat, iam supra ex Pithœo probauimus, Ecclesiam Gallicanam tunc Turonis cõgregatam nihil contra Iulium 2. definire voluisse, sed tãtùm decreuisse. *Ante omnia*, inquiunt Acta, *mittẽdos esse ab Ecclesia Gallicana legatos ad D. Papam Julium, qui fraterna charitate & secundùm Euangelicam correctionem eum admoneant vt à cœptis desistere velit, pacémque & concordiam Principum amplecti. Quod si nolit legatos in hoc audire, interpelletur de conuocando Concilio libero iuxta sacrosancti Basileensis decreta. Et hoc facto, responsoque eius accepto prouidebitur prout ius erit.* Adde quod cùm de temporalibus tantùm rebus, non de spiritualibus, seu de religione, quæstio tunc esset, sicut Iulio secundo Ecclesiasticam ditionem partim proprijs armis, partim fœderatorum Regum auxilio tueri licebat, sic & suam ijsdem medijs Christianissimo Regi conseruare licere, Ecclesia Gallicana arbitrata est.

Pithœ. in tract. de Eccles. Gallic. in schism. statu. p. 532.

Obiectio.

pag. 272. *An anathemati subijcere possent Basilium magnum quod dixerit in Psal.* 32. Dominus Reges facit & euertit. Seruantur autem non per multam virtutem, sed per diuinam gratiam.

RESPONSIO.

Vt quid anathemati subijceretur S. Basilius, qui nihil eorum habet, quæ falsò ei Simon imponit? Basilium consulat candidus lector, eumque ita Psalmi 32. versiculum. *Non seruatur Rex*, nec aliter, nec alio modo exponentem comperiet. *Reipsa*, inquit, *experti sumus, neque corporis viribus, neque animi fortitudini, neque celerati equi, neque subditorum copijs confidendum esse. Cuius vel solus Sennacherib abundè magnum argumentum exhibet qui his instructus omnibus, nihil inde vtilitatis consecutus est.* S. Basilius in Psalm. 32. ex vers. Iani Cornar.

OBIECTIO.

An hæresis arguere Epiphanium qui lib. 1. tom. 3. hæresi 40. Vides, *inquit*, quod hæc potestas mundana à Deo ordinata est & gladij potestatem accepit, non aliunde, sed ex Deo ad vltionem. pag. 272.

RESPONSIO.

Vnde quæso hæresis argueretur S. Epiphanius, qui paulò ante, quàm hæc verba scriberet, iam dixerat. *Principes enim non sunt contra bonum, sed pro bono, & non sunt contra veritatem.* Et qui paulò pòst, hæc dicturus erat. *Hac de causa sunt potestates, vt ad bonum ordinem gubernationis vniuersi mundi omnia ex Deo bene disponantur, ac administrentur.* Nullus enim est nisi fortè hæreticus, qui mundanam hanc potestatem, pro bono stantem, atque omnia ex Deo bene disponentem, & administrãtem, non à Deo ordinatam, & non omni prorsus honore, ac reuerentia dignissimam asserere audeat. Quod ad S. autem Augustinum quem Simon adducit, cùm nihil no- S. Epiphan. lib. 1. tom. 3. hæres. 40.

ui habeat, iam satis superque de eodem loco antea egimus. Restat incommodum ab eo allatum, cui etiam cùm pluries satisfecerimus, si amplius aliquid requirat Simon, eloquentissimam illam Reuerendissimi æquè, ac Illustrissimi Cardinalis Perronij orationem, coram Gallicanis comitijs habitam, pagina præsertim 53. & 54. editionis in quarto, consulat.

Obiectio.

pag. 273. *Bulla Cœnæ Domini non pro lege, sed pro authentica sententia habetur à nouis doctoribus.*

Responsio.

Eman. Sa in Aphorism. verb. Absolutio. numero 22. Idem verb. Lex. num. 1.

Itane? Vnde ergo Emmanuel Sa totius Societatis suæ nomine hæc indubitanter asserit? *Vbi non est recepta Bullæ cœnæ Domini potest ab eius casibus quilibet legitimus confessor absoluere.* Et alibi. *Lex humana non obligat vbi non est recepta à principio. Lex autem non est vsu recepta,* inquit Azor eiusdem etiam Societatis Theologus, *contra quam vel tota Respublica, vel maior pars facit at. Vnde*, addit ille, *videmus multos Canones in Italia, Hispania, & alijs Prouincijs vsu receptos qui tamen in Gallia, vel Germania, vel Polonia nullius sunt firmamenti, & auctoritatis, quia ibi non sunt vsu recepti.* Si ergo bulla hæc non obligat, quia non est recepta in Gallia, ad quid turbaris? Ad quid & turbantur, qui contraria sentiunt? Illic certè trepidauerunt timore, vbi non erat timor.

Epilogvs.

Simon in fi. Apolog. Hæc cum ita sint iam potiore mihi ratione liceat cum Simone sic concludere. *Attendite Pontifices Maximi, & Duces Ecclesiæ: Attendite Reges, At-*

tendite Principes, & Nobiles: Attendite & Magistratus ad veritatem, & veritatem cognoscetis, & veritas liberabit vos. Attendite, inquam, *vt contemplemini ipsam veritatem sicuti est*, ait S. Augustinus, *non per verba sonantia, sed per lucem splendentem*, quæ sine dubio in mentibus vestris orietur, si tamen in Christi sermone, cùm sitis Christiani, fideliter permanseritis. S. Augustin. tract. 40. in Ioann.

Numquid verò, inquit Rupertus, *omnes qui Christum confitentur iam in sermone eius manent? Minimè. Alioquin non tam multi filij nequam, cum filijs regni, tãquam zizania cum bono semine patrisfamilias pullulantia, per publicũ totius mundi agrum succreuissent, nec tam multi pisces mali mixti cum bonis per totum orbem retia fidei dirupissent.* Rupertus Commẽt. in Ioann. lib. 8.

Christi ad Petrum sermo est. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcũque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, quo eius Monarchia clarissimè demonstratur. Quod est enim in ædificio fundamẽtum, hoc est, in ciuitate Rector, & in regno Rex, nec nisi Regi, aut saltem supremo ciuitatis gubernatori, eiusdem ciuitatis tradũtur claues. Matth. 16.

Christi ad Petrum sermo est. *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos*, quo fidei eiusdem Petri infallibilitas perspicuè designatur. Si enim aliquando deficere posset, nec Christus pro Petro rogans, exauditus pro sua reuerentia fuisse diceretur, nec fratres etiam confirmare semper ille posset, qui confirmari, deficiens, aliquando necessitatem haberet. Luc. 22.

Christi denique ad Petrum sermo est, *Pasce agnos meos, pasce oues meas, pasce ouiculas meas*, quo diri- Ioann. vlt.

gendæ Ecclesiasticæ disciplinæ, necnon & conuocandis Concilijs præpositum eum apertè constat. Proprius enim pastoris actus est oues ducere, reducere, tueri, regere, castigare, necnon & cõgregare, congregatisque præesse. Attendire ergo ad sermonem istum. *Sermo namque iste qui Christi est*, ait Rupertus, *sermo est fidei, id est, vnica regula credendi, cui detrahi quidquam nefas est, vel adiici.* Nec tantùm ad illum attendire, sed & manete in illo, alioquin Christum per Ecclesiam, eodem teste Ruperto, dicentem audietis, *Nisi manseritis in sermone meo, non verè discipuli mei eritis, neque veritatem cognoscetis, neque veritas vos liberabit.*

Rupertus Commẽt. in Ioann. lib. 8.

Idem ibid.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

APPENDIX.

Quinquennio inchoatum hoc opus, varijs autem negotijs, Sauaronici præsertim Galli cantu, interruptum, tandem aliquando perfectum, in lucem mittebatur, dum ecce prodeunti occurrit Gallicus alter Simonis libellus, De statu & regimine Ecclesiæ, *eodem planè quadruplici titulo insignitus, &, quod valde mireris, ijsdem propemodum instructus argumentis, quippe qui mutato solùm idiomate Coccygis in morem cătilenam canit eandem. Nouit ingeniosus homo varijs subinde coloribus simulare Cupressum, crambemque reponere ad nauseam. Nos verò ne in simile nugacitatis vitium impingamus, eamdem sæpius tundendo incudem, nihil eorum quæ passim hoc in opere refutata sunt, duximus hìc repetendum, satis esse orati, si ad ea loca diligentem remittentes lectorem, quasi digito fontes ostendamus, vnde cuique puriorem veritatis doctrinam contra venenata Simonis dogmata licebit haurire.*

OBIECTIONES SIMONIS Vigorij ex illius libro Gallico in lucem edito anno 1621.	*RESPONSIONES I. LE JAV ex hoc libro repet.*
OBIICITVR.	RESPONDETVR.
Act. cap. 11. *pag.* 16.	96.
S. Gregorij Epist. 38 lib. 4. *pag.* 22.	105.
Siricij Epist. in Concil. Telensi. *p.* 24.	107.
S. Chrysost Homil. 51. in Matth. *p.* 70.	86.
Can. In nouo, dist. 21. *ibidem.*	79.
Can. Sacrosancta, dist. 22. *ibidem.*	80.
Gregor. Turonens. lib. de Miracul. cap. 28. *pag.* 71.	90.
Epist. Synodal. Felicis 2. *p.* 62. 71. 312.	81. & seqq.
Epist. Anacleti. *pag.* 80.	92. & seqq.
Ioann. Monachi in cap. super eo ē. de hæret in 6. *pag.* 83.	102.
In Liberium. *pag.* 92.	157.
Aduersus Innocent. 1. ex Zosimo. *ibid.*	163.
Aduersus Anastasium. *ibid.*	159.
Aduersus Honorium. *ibid.*	pag. 164 & seqq.
Gloss. Can. In nomine Domini, 23. dist. *pag.* 93.	160.
Anathema S. Hilarij in Liberium. *p.* 94.	635.
Epist. Leonis 2. *pag.* 95.	175.
Hadriani Epist. *ibid.*	175.
Aduersus Formosum. *pag.* 95. 96.	135. & seqq.
Aduersus Bonifacium 8. *pag.* 97.	211.
Super nouarum religionum confirmatione. *ibid.*	290.
Melchioris Cani lib. 5. de locis cap. 5. *pag.* 98.	293.
Deuteronom. cap. 17. *pag.* 100.	120.
Lucæ cap. 22. *pag.* 101.	124.
S. Cyprian. lib. 1. Epist. 3. ad Cornel. *pag.* 103.	463.
S. Hieronym. Epist. ad Damas. *p.* 104.	118.

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.	*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBIICITVR.	RESPONDETVR.
Articulus Symboli Apost. Credo Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem. *pag.* 106.	123.
In Gregorium 7. *pag.* 108. & seqq.	179. & seqq.
Iob cap. 12. *pag.* 111.	611.
Daniel. cap. 4. *ibid.*	613.
Ierem. cap. 17. *ibid.*	615.
De extraordinaria Prophetarum missione. *pag.* 112.	616.
S. Augustin. lib. 5. de Ciuitate Dei. cap. 21. *pag.* 123.	619.
Iob cap. 42. *pag.* 114.	614.
1. Reg. cap. 8. *ibid.*	622.
Daniel cap. 7. *pag.* 116	624.
Can. Iulianus. 11. quæst. 3. *pag.* 124.	203.
Can. Imperatores. 11. quæst. 3. *ibid.*	*ibid.*
S. Thomas 2. 2. quæst. 12. art. 2 *p.* 126.	205.
In Gregorium 7. *pag.* 127.	pag. 193.
Cap. Clericis é. de immunit. Eccles. in 6. *pag.* 131.	207.
Reuocat. Bullæ Bonifacij 8. ex Feraldo. *pag.* 132.	209.
De Regaliorum iure. *ibid.*	210.
Epist. Bonifacij 8. ad Philippum Pulchrum. *ibid.*	211. 212.
Extrauag. Bonifacij 8. *pag.* 133.	213.
Extrauag. Meruit. é. de Priuileg. *p.* 134.	218.
Gelas. lib. 1. Epist 4. ad Anastas. *p.* 138.	225.
Iustin. nouell. 6. quomodo oporteat Episc. *pag.* 138.	228.
S. Irenæ. lib. 5. *pag.* 142.	221.
Tertulia. lib. ad Scapulam. *ibid.*	222.
Optat. Mileuitan. lib. 3. *ibid.*	224.
Can. Si Imperator. dist. 96. *ibid.*	226.
S. Basil. in Psal. 32. *ibid.*	646.

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.	*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBIICITVR.	RESPONDETVR.
S. Epiph lib. 1. hæres. 40. *ibid.*	647.
S. Augusti lib. 5. de Ciuit. Dei. c 21. *ibid.*	619.
Libell. monachor. Apameæ. *pag.* 143.	227,
Gregor. Turonens lib. 5. hist. c 18. *ibid.*	229.
Caroli Calui Epist. ad Hadrian. *ibid*	231.
Concil. Meldens. cap. 15. *ibid.*	630.
2. Paralip. cap. 26 de Ozia. *pag.* 146.	617.
Concil. Lateranens. cap 3. *pag.* 166.	240.
S. Cyprian lib de Baptis. Christi. *p.* 168.	248.
S. Augustin. tract. 18. in Ioann. *ibid*	249.
Epitom. Spondani de corona à Clodoueo missa. *pag.* 181.	258.
De clauibus confessionis sancti Petri à Gregorio 3. & Leone 3. missis *p.* 183	261.
L. vlt. C. de quadrienn. præscript *p.* 184.	263.
De Childerico. *pag.* 187.	265. & seqq.
In Zachariam Pontif. max. *pag.* 189.	275.
De Constantini donatione. *ibid.*	pag 274.
Ex Nithardi lib. 4. de Lothario. *p* 191	pag 277. & seqq.
Cap. nouit é de Iudic. *pag.* 196.	278 & seqq.
Philippi August. respons. *pag.* 198.	285.
Gloss in cap nouit é de Iudicijs *p.* 200.	287.
Can. Excommunicatorum. 23. quæst. 5 *pag.* 201.	252.
De Parricidarum quaternione. *p* 205.	253.
Can. Visis § sicut 16 quæst. 2 *pag* 209	257.
Can. Conuenior ex S. Ambros. 23. quæst. 8. *pag.* 211	256.
Socrat. in Proœmio lib. 5. *pag.* 216.	473.
Can. Principes 23. quæst. 5. *p.* 217	232.
1. Machabæ. cap. 4. *pag.* 218.	277.
Can. Si duo. dist. 79. *pag* 219	338.
Capitular. lib. 5. *pag.* 220	233. 308.
Regino lib. 2. de Carolo Magno. *ibid.*	310.
Pragmatica S. Ludouici. *ibid.*	311.
S. Gregorij Epist. 114. *pag.* 223.	306.

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.	*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBIICITVR.	RESPONDETVR.
Canon. Concilior. African. *ibid.*	303.
Gelas. Epist. ad Anastas. Imper. *p* 224	343.
Can. Nos si incompetenter. 2. quæst. 7. *ibidem.*	341.
Can. De Capitulis. dist. 10. *ibid*	339.
S. Athanas Apolog. 2. *pag.* 228	334.
L. ὀρθὴν 4. C. de sancta Trinit. & fid Cathol. *pag.* 235	323.
De edict. Constantin. apud Theodoret. lib. 1. cap. 28. *ibid*	477.
De Episcopatu Constant. Euseb. lib 4 de eius vita. cap. 24. *pag.* 336	326.
De Euseb. Nicomed & Theognid. *ibid*	330.
Bellarmin. lib. de Cleric cap. 28. *p* 244	362.
Eman. Sa in Aphoris. verb. Cleric. *ibid*	363.
Can. 6. Concil. Aurelianens. 1. *pag* 254	356.
Lib. 1. Capitul cap. 120. *ibid*	357.
De Abiatharis deposit. 3. Reg. 2. *p* 262.	295.
De Sixto 3. *pag* 263. 265.	pag 363.
De Leone 3. *ibid.* 265.	365. & seqq.
De Paschali 3. *ibid.*	368.
De Leone 4. *ibid.*	371.
De Siluerio. *pag.* 266.	373.
De Vigilio. *ibid.*	380.
De Ioanne 12. *ibid.*	391.
De Benedicto 9. Siluestro 3. & Gregorio 6. *pag* 267.	160.
De Constant. 2. Bened. 10. & Christoforo. *ibid.*	376.
De Eugenio 4. *ibid.*	405.
S. Cyprian. lib 1. Epist 9. *pag.* 276.	351.
1. Synod. Carthaginens. can. 6 *p.* 277.	353.
Can. Quo iure dist 8. *pag.* 278.	356.
Quod Papa non possit decreta fidei cõdere. *pag.* 280.	414.
Quod Papa sine Synodo non possit hæ-	

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.

OBIICITVR.

reſes damnare. *ibid.*
De Baſilide à Papa reſtituto. *p.* 283 312.
De Apiario itidem à Papa reſtituto *ibid.*
De Anſegiſo Senonenſi. *pag.* 284.
De Gregor. 4. ex Aimoini li. 5 c. 14 *ibid.*
De Concilio Rhemenſi in cauſa Arnulphi. *pag.* 285.
Gerſon de ſentẽtia Paſtoris iniuſta 286.
Ex Nilo Theſſalonicenſi Epo. *p.* 288.
S. Cyprian lib. 1. Epiſt. 4. *pag.* 291.
Can. Plebs Diotrenſis diſt. 63. *p.* 293
Can Noſſe. diſt. 63. *ibid.*
Synod Aruernenſ. can. 2. *ibid.*
Synod. Pariſienſ. can. 8. *ibid.*
S. Leonis Epiſt 89. *pag.* 294.
Synod Cabillonenſ. can. 10. *pag.* 293.
De pecunia pro electione ſummi Pontific. perſoluta. *pag.* 296.
Can. Adrianus diſt 63. *pag.* 298.
Can. Ego Ludouicus ead. diſt *ibid.*
Can. In Synodo ead. diſt. *pag.* 299.
Gregor. Turonenſ. lib. 4. cap. 6. de electione Catonis. *pag.* 300.
Eiuſdem lib. 4. cap 15. de electione Euphronij. *ibid.*
Eiuſdem lib. 6. cap. 39. de electione S. Sulpitij. *ibid.*
Concil Aurelianenſ. 5. can. 10. *ibid.*
Gregor. Turonenſ lib. 4. cap 26 de electione Heraclij. *pag.* 301.
Hincmar. Epiſt. ad Carolũ Caluum *ibid.*
Can. Reatina. Can Nobis. Can. Lectis in marg. *ibid.*
Flodoard hiſt. lib. 4. cap. 3. *ibid.*
Fulbert. Epiſt. 8. *pag.* 302.
Iuon. Carnotenſ. Epiſt. 60. *ibid.*

Reſponſiones ex hoc libro repetendæ.

RESPONDETVR.

415.
45.
2.
351.
639.
642.
603.
418.
421.
423.
424.
425.
426.
427.
427.
pag. 436.
pag. 138. & ſeqq.
244.
148.
443.
446.
445.
447.
448.
449.
437.
452.
453.
455.

Nico-

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.	*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBICITVR.	RESPONDETVR.
Nicola. Monach. lib. 1. cap. 29. vitæ S. Godefridi. *ibid.*	459.
Rigord. lib 1 de gest. Philipp Aug. *ibid.*	460.
S. Basilij Epist. 33. ad S. Gregor. Nazianz. *pag.* 308.	466.
Concil. Antioch. Can. 15. *pag.* 311.	47.
Caroli Calui Epist ad Ioan. 8. c 18. *ibid*	63.
Concil. Carthag. in Epist. ad Celestin. *pag.* 312.	41.
S. Cyprian. lib. 1. Epist. 3. *pag.* 313	44.
Concil. 8. de appellat. ad Patriarchas. *ib.*	60.
L. Sancimus C de Episc. audient. *p.* 314.	54.
Gelas. Epist ad Faustum. *ibid*	67.
Quod Sardicens. Concil. Can. ante Nicolaum 1. obseruati nõ fuerint *p* 315.	69.
De Patrum Africanor. reclamat. contra Zozimum. *pag.* 316.	76.
Caroli Calui Epist. ad Ioan. 8. c. 19 *p.* 317	67.
Quod Orientales Iulium reprehẽderint ob S. Athanas. restitutionem. *p.* 318.	pag 4. 5. 6.
De Concilio Sardicensi à S. Athanasio impetrato. *pag.* 319.	6. & seqq.
Quod Concilium Sardicense œcumenicum non fuerit. *ibid.*	9.
Quod S. Leo cum lacrymis à Theodosio Concilium postulauerit. *ibid*	10.
De Concilij necessitate pro restitutione S. Chrysost. ex Sozomeno. *pag.* 320.	15.
De Maximo & Constantinopolitano Patriarchatu. *pag.* 321.	20.
Quod Nestorius non à Papa, sed à Synodo depositus. *ibid.*	22.
Quod Anthimus non ab Agapeto, sed à Synodo Prouinciali pulsus. *ibid.*	26.
Quod Sergius, Pyrrhus, Paulus & Petrus à Synodo, non à Pontifice dam-	

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.	*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBIICITVR.	RESPONDETVR.
nati. *ibidem.*	27.
De Acacio à Felice damnato. *pag.* 322.	32.
Gloss. Can. Nemo. 9. quæst. 3. *pag.* 323. & 329.	385.
Nauar. de Pœnitent. dist. 5. *pag.* 326.	606.
Aduersus S. Damasum. *pag.* 327.	387.
Aduersus Symmachum. *ibid.*	389.
Aduersus Ioann. 12. & Benedict. 9 *ibid.*	391.
De Dioscoro post mortē damnato *ibid.*	393.
Aduersus Ioannem 23. *pag.* 328	386.
Gloss. Can. Si Papa. *ibid.*	385.
De Ioannis Theutonici appellatione. *pag.* 330.	602.
Ex S. Augustino de Concil. in causa Cæciliani. *pag.* 332.	599.
In Synodum Romanam vnde Can. Nemo. 9. quæst. 3. sumptus est. *pag.* 335.	395. & seqq.
De Cyclo decemnouennali seu numero aureo. *ibid.*	pag. 396.
In Synodum Sinuessanam. *pag.* 336.	399.
In Synodum Florentinam. *pag* 338.	405. & seqq.
In Synodum Lateranensem sub Iulio 2. & Leone 10. *pag.* 339.	409.
Socrat. in Procœmio lib. 5. hist. *p.* 344.	474.
Euseb. lib. 4. de vita Constant. c. 42 *ibid.*	477.
S Leonis Epist. 42. ad Marcianū. *p* 345.	483.
De indictione 2. Synod. Constantinop. *pag.* 346.	478.
Epist Constant. Pogonati ad Donum Papam. *pag.* 347.	494.
Epist. S. Pulcheriæ ad S. Leonem. *ibid.*	496.
De ordinatione Metropolitanorum Thraciæ, &c. *pag.* 348.	500.
Quod 20. tantùm Nicæni Canones fuerint. *pag* 352.	516.
Can. prima adnotatio dist. 16. *ibid.*	521.

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.		*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBIICITVR.		RESPONDETVR.
Gratian. in princip. dist. 17.	pag. 352.	523.
Contra Epist. S. Marcelli.	pag. 353.	ibid.
De Concilio Constantinop. sub Leone Iconomacho.	pag. 355.	575.
De Synodis Galliæ, Hispan. Germaniæ à Principib. coactis.	pag. 357.	525.
De Concil. Turonens. sub Ludouico 12. Francorum Rege.	pag. 365.	411. & 646.
Quod Eustathius in Concil. Nicæno præsederit.	pag. 372.	547.
Felic. 3. Epist. 5 ad Zenon. Imperat.	ibid.	549.
De præside Synodi Cõstantinop.	p. 373.	551.
De præside Synodi Ephesinæ.	pag. 374.	ibid. & seqq.
De præside Synodi Chalcedonẽs.	p. 377	556.
De præside Synodi cõtra Anthimũ.	378	558.
De præside Synodi 6.	ibid.	559.
Matth. cap. 18. &c. aduersus Conciliorum confirmationem.	pag. 383. 384.	560. 663.
Quod gratiæ Dei non recipiunt diem nec conditionem.	pag. 383.	561.
Act. cap. 15.	pag. 385.	563.
S. Augustin. l. 15. de Trinit. cap. 26.	ibid.	564.
Phot. Nomocan. tit. 1. cap. 4.	p. 386.	565.
Theodoret. lib. 5. cap. 9.	pag. 388.	569.
S. Leonis Epist. 59.	ibid.	573.
Contra Epist. Synodi Nicænæ ad S. Siluestrum.	pag. 389.	566. & seqq.
De Synodicis Epistolis ad sedes Patriarch. mitti solitis.	pag. 390.	576.
De Cõcilijs Carthag. & Mileuita.	p. 391.	577. 578.
De Theodoreto in 2. Ephesina Synodo damnato.	pag. 393.	49.
Can. olim. ex S. Hieron. 95. dist.	p. 395.	581.
S. Chrysost. in cap. 3. 1. ad Timoth.	ibid.	582.
Can. quãquam ex S. August. 2. q. 7.	ibid.	581.
Ephes. cap. 4.	pag. 394.	596.

Obiectiones ex Gallico Simonis libro.	*Responsiones ex hoc libro repetendæ.*
OBIICITVR:	RESPONDETVR.
De Ieroſolymit. Synodo act. 15. *p.* 396.	586.
De Chorepiſcop. ſubſcript. in Synodo Nicæna. *ibid.*	589.
De Choreſpiſcopis, qui & quales fuerint. *ibid.*	pag. 588.
De Attalo Preſbytero, quod Synodo Nicænæ ſubſcripſerit. *pag.* 397.	590.
Euſeb. lib. 3. de vita Conſtant. c. 9. *ibid.*	591.
Theodoret. lib. 5. cap. 8. de Diodoro, & Petro S. Baſilij fratre. *pag.* 398.	592. 593.

ERRATA SIC CORRIGITO.

PAgina 2. linea 16. Præſbyterum, lege Preſbyterum, idem ſeq. lin. p. 4. l. 20. contexuerunt. p. 6. l. 29. Conſtantiumque. p. 8. l. 10. Sciſcitabar. p. 17. l. 10. Honorium. l. 26. poſtulo. p. 20. l. 18. ſedium. p. 23. l. 16. cæteriſque. p. 24. l. 11. vices. p. 25. l. 21. deprehenditur. p. 26. l. 1. per. p. 27. l. 12. multoſque ab Archimandritis. & in margine Niceph. lib. 17. cap. 9. p. 29. l. 8. veneno. pag. 31. l. 29. eadem. pag. 32. l. vlt. Acacium. p. 33. l. 26. laborabat. p. 34. l. 8. ab inuicem. & l. 20. autem Ægyptiis. p. 36. l. 1. & 9. Antiochenus. p. 37. l. 6. dicit. p. 38. l. 3. & habet. l. 12. exors. l. 17. eum. p. 39. l. 5. Encyclica. p. 40. in marg. S. Athanaſ. p. 57. l. 13. Ablauium. p. 58. l. 15. polleret. p. 60. l. 8. noni. p. 61. l. 13. Primatem. p. 69. l. 15. traditam. p. 75. l. 9. Timebas. p. 77. l. 29. inuentis. p. 85. l. 16. Athanaſium. p. 92. l. 5. Romanorum. p. 109. l. 1. l nfallibilitate, & in tit. lib. 2. vſque ad pag. 208. & alibi. p. 119. l. 4. cathedræ. p. 125. l. 3. conuerti. p. 127. l. 2. catechizari. p. 133. l. 7. Epiſtolæ. p. 134. l. 15. ab. p. 141. l. 9. res. pag. 143. l. vlt. Ottonis. p. 148. l. 13. Pontificis. p. 151. l. 26. Ioanne. p. 158. l. 1. ſubſtantiæ. & l. 5. reiecíſſet. p. 175. l. 29. reperiebantur. p. 198. l. 3. inimicitia. & l. 9. acerrima. p. 218. l. vlt. ἀρχεία. p. 246. l. 11. reſtringere. p. 249. l. 22. cathedram. p. 275. l. 16. reperiebas. p. 286. l. 21. & p. 287. l. 5. Rigordo. p. 302. l. 15. anteuertens. & l. 16. Procopius. p. 303. l. vlt. Epiſco. p. 304. l. 15. Concilium. p. 376. l. 25. orarium. p. 424. l. 1. patronis. p. 487. l. 5. Attila. & l. 12. Præfectorum. & l. 22. præſens. p. 510. l. 23. indi. & l. 24. reprobaſſe. p. 520. l. 27. inuentis. p. 524. l. 1. faceſſit. p. 536. l. 21. Apocriſarius. p. 543. l. 23. redditus. p. 545. l. 15. Agatho. p. 559. l. 2. petus. & l. 11. throno. p. 572. l. 26. gratulabundus. p. 598. l. 16. Patriarcha Conſtantinopolitanus. p. 612. l. 12. Babylonem. p. 618. l. 25. noſtras. & l. 27. cap. 21.

Si quæ alia præſertim in citationibus occurrant, ſuppleat candidus lector.

5-6-2